PSALMORVM
DAVIDIS ET ALIORVM PROPHETARVM,
LIBRI QVINQVE.

Argumentis & Latina Paraphrasi illustrati, ac etiam vario carminum genere latinè expressi.

Nunc postremùm recogniti & à variis mendis repurgati.

THEODORO BEZA Vezelio Auctore.

LONDINI,
Typis Thomæ Vautrollerij & impensis
Herculis Franciſci.
1580.

BRITISH MUSEUM

ILLVSTRISSIMAE NOBILITATIS DOMINO, D. HENRICO, HVNTINGTONIÆ COMITI, Hastinguæ Domino, Regiæ Serenissimæ Maiestati à consilijs, & eiusdem nomine Septentrionali regioni præfecto, Theodorus Beza, Gratiam & pacem à Domino.

DE Psalmorum præstantia permulti plurima tum veteres tum recentiores verè & appositè scripserunt: nemo tamè, iudicio meo, satis multa dixit, quòd infinita sit eorum vtilitas, siue consilium in difficultatibus, siue præsidium in periculis, siue consolationem in aduersis petamus, siue denique Dei laudes celebrare eique gratias, sicuti par est, agere studeamus. Mihi verò neque ista aliunde repetere nunc est animus, neque quicquam iis adiicere, sed huius instituti mei rationem paucis explicare. Duo nobis præcipua in sacris libris traduntur: quæ sint nimirum credenda, quæ itidem facienda, inter quæ quum principem locum teneat legitima numinis inuocatio, habent quidè illa Psalmi cum cæteris libris communia (nã & prophetiis abundant insignibus, & præcipuos veræ fidei locos luculenter explicant, & di-

minorum præceptorum explicationem continentes solutissimam (sed hoc habent veluti proprium ac peculiare, quòd in ceteris libris nobiscum loquitur Dominus, in Psalmis vero quid nos vicissim Deo respondere oporteat diuinissimè traditur. Merito igitur hunc librum inter cæteros publicè ac priuatim semper versarunt, legerunt, cantarunt omnes vere Christiani cætus, quâquam nõ eo quo decuit fructu: tam malè videlicet tum græcis ex hebræo sermone, tum latinis ex græco conuersis, vt, quod ex Augustini præsertim commentarijs animaduertere licet, plurimis locis nõ modo sit aberratum à genuina Psalmistarum sententia, sed etiam de eruendo aliquo commodo sensu frustra sit à doctissimis doctoribus desudatum: vt perpetuum illud cõsectandarũ allegoriarũ studium omittam, quo non psalmi duntaxat sed omnes etiam sacri veteris testamenti libri sunt miserrimè profecto contaminati. Ac studuit quidem post Origenis octapla Hyeronimus emendata vulgata versione illi malo mederi, sed in Psalmis præsertim remedium mala consuetudo vicit. Immensum est igitur illud Dei Opt. Max. beneficium nostris temporibus in Ecclesiam Dei collatum, quòd restituta sit Hebræi sermonis cognitio, & quasi cælitus rursũ in Ecclesiam effusum linguarum trium donum, ex quibus fontibus hauriri sacra, & puri riuuli in omnes regiones diduci possint. Itaque excusari sanè nullo pacto potest eorũ intolerabilis pertinacia qui virandæ nouitatis specie tantum bonum vsque adeò aspernãtur, vt aliis etiam illius vsum interdicant. Contrà verò summam laudem merentur eruditissimi homines, qui nostra patrùmque memoria tum veteres versiones emendare,

emendare, tum nouas pro viribus elaboratas Eccleſiis proponere, tum etiam obſcuris locis lumen inferre, ſiue ſcholiis appoſitis, ſiue iuſtis commẽtariis, ſiue quâuis alia ratione, ſtuduerunt. Illos excipio qui vel temerè vel ambitioſè auſi ſunt id facere in Eccleſia quod non niſi ordine ac rite fieri oportet, ac ſanè factum eſſet aut fieret deinceps, ſi officium facerent quibus id onus præcipuè incumbit. Ceſſare tamen profectò in hac ἀταξίᾳ non decet qui cõferre aliquid ad hunc vſum Eccleſiæ vel recta voluntate impelluntur, vel etiam ſui muneris neceſſitate cogũtur, in quibus nomen & ipſe meũ auſim, pro ſingulari Dei miſericordia, profiteri. Aliorum igitur maximorum virorum ego veſtigiis inſiſtens, primum quidem inſtigante me magno illo D. Iohanne Caluino, pſalmorum verſionem, Gallicis rithmis à Clemẽte Marotto, Gallorum ſui temporis poetarum facilè principe, quò cõmodius in Eccleſiis Gallicis cantari poſſent, inchoatam, abſolui. Poſtea magis ac magis illorũ lectione ac meditatione delectatus, tentaui quoq; Latinis numeris nonnullos exprimere, minimè id quidẽ quòd aſſequi me vllo modo poſſe diuini ſpiritus illius dignitatem exiſtimarem, ſed vt iis quæ legiſſem altius animo infigendis hæc mihi exercitatio prodeſſet. Quinetiam fateor me quorũdam peſſima carmina legentem (quales nimium multi diuiniſſimam iſtam poëſim non minus turpiter quàm audacter contaminare non deſinunt) non potuiſſe nõ vehementiſſimè cõmoueri vt etiam ſim auſus an minus malũ aliquid huius generis præſtare poſſẽ experiri: quẽ meum conatum etſi doctiſſimi & planè cũ veteribus etiam optimis comparandi, meo iudicio,

poetæ Georgij Buchanani editum poema retardauit, amicorum tamen ſuaſu ſum ad finem vſque perſequutus. Quid enim vetat illud δὶς κὰ τρὶς τὰ καλὰ in iſtis præſertim vſurpare? Ego etiam ſperare auſim, optimorum & doctiſſimorũ quorundam iudicio fretus, nec iniucunda, nec prorſus inania etiam hæc noſtra viſum iri: & vt luminibus meis ſiue Buchananus ſiue alius quiſpiam officiat, præterquàm quod abundè mihi ſatisfactum erit ſi non inutilis hic meus labor Eccleſiæ fuerit, illud quoque Maronis me cõſolabitur, *Aeneæ magni dextra cadis.* Prætereà quum multa deſiderari ac merito quidem, viderem in paraphraſi iam olim à Campenſi edita, quod optimum interpretandorum Pſalmorum & aliorum aliquot ſacrorum librorum genus eſſe exiſtimo, nouam, eamq; breuem ſimul ac perſpicuam paraphraſim magno ſtudio ſcribere ſum aggreſſus, magnopere quidé adiutus doctiſſimorum Theologorum commentariis, ſed in nullius tamen verba iuratus: adeo quidẽ vt interdum à mea quoq; Gallica verſione diſceſſerim, tum quod ſint δεύτεραι φροντίδες σοφάτεραι, tum quod plures ac diuerſas explicationes ſæpe vnus idemq; locus admittat. Huic autẽ paraphraſi oppoſita eſt è regione Latina verſio κατὰ πόδας, qualis eſt præſertim à doctiſſimo viro D. Henrico Mollero nuper edita, pauculis tantũ à me immutatis & interdũ emollitis. Singulis deniq; Pſalmis, (omiſſis Hebræis inſcriptionibus quæ ad Muſicen antiquam nobis adhuc ignotam pertinent, qua ratione quoq; illud Hebraicum SELA præterij) argumenta præfixi, quibus & ſummam & vſum illorum, atque adeo methodum, quoties opus fuit, ſua cuiq; claſſe attributa, expli-

explicaui: & alios quidem simpliciter διδακτικὸς, alios διδακτικὸς πολιτικὸς, vel ἐκκλησιαστικὸς, vel οἰκονομικοὺς: quosdam ποιμαντικοὺς, quosdam ἐυτικοὺς, nonnullos παραμυθητικοὺς, alios ἐυχαριστικὸς, ὁμολογιαστικὸς etiam aliquos, itemq; ἱκετικὸς & παρηγορικοὺς, præcipuo cuiusque fine, quanta fieri à nobis diligentia potuit, obseruato, appellaui: qua in re meam saltem diligẽtiam bonis & minimè maleuolis probatum iri confido. Deniq; cur in tuo potissimum nomine ista mea qualiacunq; apparere vellem non has tantum causas quæ tibi communes sunt cum tot aliis illustribus proceribus & Dominis quibus hodie meritò Anglicanum regnum cæteris orbis terrarum imperiis præstat, eximiam videlicet pietatem cum singulari charitate cæteriſq; præclaris virtutibus coniunctam, quarum hodie fructũ tot exteri populi ac præsertim Gallicæ gentis propter Euangelium exules amplissimum percipiunt, sed aliam quoque habui propriam ac peculiarem. Illustrem enim adolescentem Franciscum, fratris tui filium in hac academia ex tuo mandato nunc versantem quotidie intuens, in quo virtutum vestræ illustrissimę familiæ, ac præsertim singularis cuiusdam probitatis expressæ imagines elucent, fateor vsque adeò fuisse me illarum specie pulcherrima delectatum, vt admirabilem vestri nominis amorem in me excitarit, quod meũ studium huius libelli consecratione tibi testatum, vt benigno vultũ excipias etiam atque etiam te rogo. Bene vale, Illustrissime Domine, & quàm diutissimè non Anglicano tantùm regno & Serenissimæ Regiæ Maiestati, sed vniuersis quoque veris Ecclesiis incolumis viue. Geneuæ, XVI. Maii anno vltimi temporis CIↃ. IↃ. LXXIX.

חרון טקרניאל ברטרמוש על התלים אשר הרב
רב תאודורוש בזא היטיב להעתיק בלעז
ובלשון רומי:

בני עבר בינו בני יון דינו
וכתים יכינו עלי זאת רעיונם:

חקדמונים קצו להבין מה רצו
אבות עבריים לצו בנעם נגונם:

והנה רב ההוא בזא אם גלחו
והיטב חורהו כעל כל חגיונם:

בלעז ראשונה ודומות אחרונה
כלשון עליונה מתרגם כל אונם:

קרני אל



Εἰς Θεόδωρον τὸν Βῆζαν τοῦ Δαβὶδ ψαλμους
ῥωμαϊστὶ μεθερμηνεύσαντα.

Καὶ τόδ' ἀοιδοπόλοι κληίζετε, ἠνὶ Δαβὶδ γὰρ
Ρωμαίων γλώττηκαλὸν ἀοιδιάει.
Σπεῦδον ἱδρώοντες τόδε πολλοὶ. νῦν δ' ἄρα μοῦνος
Βῆζας, ὁ καὶ μείζοις ἤνυσε τὸν ἄεθλον.

Φραγκίσκος ὁ Πόρτος.

IN

IN EVNDEM AEMYLII Fr. Porti Cretensis. F.

Παρ᾽ τοῖς Ἀργείοις θάλλει μέγα κῦδος Ὁμήρου,
Καὶ μέγα Οὐϊργιλίου πέλεται κλέος εἰ νὶ Λατίνοις,
Αὐτὰρ ἀληθεύειν ὁ θεὸς δωρήσατο δῶρα
Τεὶν, ἅπερ ἐν πάντων στρωφᾶται μάστακι, πᾶσι
Γνώριμα καὶ τελέθει τοῖς ἄιας ἐνναετῆρσι.
Δεῦρο, δέχου στεφάνους, καὶ δάφνας, τᾶισιν Ἀπόλλων
Αὐτὸς μουσάων ἡγήτωρ τὴν σέο θεῖαν
Ἤθελε κοσμῆσαι κεφαλήν· φάτιν ἄλλος ἀείδη
Τὴν σέθεν, ἡδ᾽ ἄινους, ὅστις τεῖν ἦεν ὁμοίος.

In sacros Psalmos, Latinè à Theodoro Beza expressos.

QVò me, Beza, rapis? cælos subuectus in altos
Sydereas iam nunc, te duce, carpo vias.
Hoc faciunt docto fundis quas pectore voces,
Dauidica recinens carmina pulsa lyra.
Orphea mirentur priscorum secla virorum,
Immites doctum ducere voce feras.
Venturi Bezam laudent per secla nepotes,
Mortales doctum iungere mente Deo.

Antonius Fayus.

O Prima nemo negat quin Gallica feceris olim
Hebræis vates quæ cecinêre modis:
Sermone hæc eadem nunc verò, Beza, Latino
Dum condis, fallor ni meliora facis.
Fas igitur mihi mirificum te dicere vatem,
Optima quæ fuerant qui meliora facis.

Dauid Claudius.

IN THEOD. BEZAE PSALMOS,

PAVLI MELISSI SCHEDII *Epigramma.*

EN sacra iam tandem, votis quam mille petitam,
Cernimus, Isaidæ psaltria vatis adest:
Psaltria, non Solymam sed vestem induta Latinam,
Pieridum casto ponè sequente choro.
Cantibus illa præit, respondent cantibus istæ,
Mutuáque alternis vox sonat apta modis.
Rector, Apollineo perfungens munere, Beza
Temperat argutæ fila canora lyræ.
Huic Deus est carmen, summus Deus ille deorum:
Inque Dei laudes quod canit, omne canit.
Hæc nos Musa beat. vidén' vt modulamine miro
Alliciens homines fidera in ipsa trahat?
Quò rapior? tam dulce melos mihi verberat aures,
Speret vt ætherium mens superare polum.
Non ita vere nouo iucundùm Daulias ales,
Non ita vicino funere cantat olor.
O suaues Bezæ sanctásque piásque Camœnas:
Ah pereat, Bezam quisquis amare nequit.

THEO-

THEODORO BEZAE

P. I.

QValis quæ intonsi seruat fastigia montis
Annosa, & ramis procera ingentibus arbor,
Quam notus & gelida decurrens Caurus ab Arcto
Ictibus alternis quatiunt frustráque minantur,
Vicina vasto complentes murmure syluas:
Illa immota suis altè radicibus hæret,
Præcipitésque Iouis turbati despicit iras:
Sic animi sincera tui constantia, (qua tu
Iamdudum infecto pietatem niteris orbi
Asserere, atque animis hominũ depellere quicquid
Vana superstitio ritúsque imitata profanos
Induxit, sensim terras grassata per omnes)
Non regum imperiis fracta est, non victa resedit
Immeritis odiis, sæui aut formidine lethi:
Sed magis illa tuo sententia pectore inhæsit,
Æternum inuitis Christum celebrare tyrannis.
Quid memorem egregias dotes? si fortè lubebit
Carmine secretos Musarum insistere calles,
Dignus qui æterna cingaris tempora lauro,
Præcipuè Ausoniis, Graiis, Gallísque camœnis
Dauidicos aptare modos, & nablia sacra
Aggressus, sacri meritò fers nomina vatis:
Seu sanctas solio leges expandis ab alto,
Consolando pios, vitiísque immanibus asper,
Tullius & Suadæ tibi cesserit ipsa medulla.
Nec minus ignoras, causas exquirere doctus,
Quicquid Aristoteles, quicquid mens dia Platonis
Extulit in lucem, atque pios depromis in vsus.
Nec verò ipse probas id quod gens barbara garrit,

Docta ſequi tenebras, & caſſa viuere luce,
Et ſtudia & Muſas pietati offundere nubem:
Sed veluti ridenti adamas circumdatus auro,
Purior apparet, maiori exitque nitore,
Quàm plumbi duríve incluſus carcere ferri:
Sic veræ pietatis amor, ſic inclyta virtus,
Siquando docto reſident in pectore, miros
Edunt concentus, maioráque lumina pandunt.
Salue ergo decus ô patriæ, quo vindice tandem
Æthereum radiare iubar, pulſíſque tenebris,
Dulcia ſentimus melioris commoda vitæ.
Hæc tibi pro tantis meritis, quæ pignora noſtri
Sint animi, grato audemus ſuſpendere voto.

PSALMO.

PSALMORVM DAVIDIS, ET ALIORVM PROPHETARVM LIBRI QVINQVE, VARIO CARMINIS genere expreſſi, addita duplici latina verſione ex Hebræis, vna paraphraſtica, altera adſtrictiore.

LIBER PRIMVS.

Pſalmus primus διδακτικός.

Argumentum & vſus Pſalmi primi.

Pſalmus iſte concio eſt de ſummo hominis bono, cuius hęc ſunt capita.

Aberrare prorſus à veræ fœlicitatis ſcopo quotcunque trita ab hominibus via gradiuntur: quoniam homines ſuapte natura mali, ex malis ſcelerati, ac tandem etiam numinis ipſius contemptores euadant.

Ab vno Deo diſcēdum verū illius iter, idq; ex doctrina nobis ab ipſo tradita, quā dies ac noctes meditari nos oporteat.

Hanc viam ingreſſo plurimas & maximas tempeſtates occurrere, ſed ſimulem eum eſſe proceræ arbori ad aquarum fluenta conſitæ, quæ perpetuo humore irrigata ſemper vireat, & ſuo tempore fructificet: eiq; omnia cedere ipſius commodo.

Impios contra quiſquiliis ſimiles eſſe, quas vel minimus aurę flatus diſſiciat.

Tum demum appariturum verè hoc diſcrimen, quum Deus pro tribunali ſedens, bonis æternam fœlicitatem impertiet, alij verò ne iudicis quidem conſpectum ferent, neque in piorum cœtu inſiſtent.

Stare enim illud, Deum iuſtum eſſe, ac proinde bonorum mores comprobare: malorum autem viam ipſos ad ſempiternum exitium perducere.

Eiusdem Psalmi primi.

PARAPHRASIS	INTERPRETATIO.
1 *VIr ille demum beatus est, qui neq; à malis vita consilium petit, neque tritam scelerati viam insistit, neq; numinis derisoribus assidet.*	1 BEatus ille vir, qui nō accedit ad consilium malorum, & in via peccatorum non insistit, & in sede derisorum non sedet.
2 *Sed cuius delitiæ omnes in doctrina Iehoua sitæ sunt, quam dies ac noctes meditatur.*	2 Sed in lege Iehouę delitiæ ipsius: & in lege eius meditatur die ac nocte.
3 *Similis est iste arbori ad aquarum fluenta satæ, fructum edenti tempore suo, nec vnquā marcescenti, & quicquid agit prosperum exitum habet.*	3 Et est *vir ille* tanquam arbor plantata secundum fluēta aquarum, quæ fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non marcescit, & quicquid facit prosperum est.
4 *Longè aliter se habent mali, paleis nimirum similes quas propellit ventus.*	4 Non sic mali: sed sunt velut gluma quam dissicit ventus.
5 *Nec enim mali coram Deo iudice subsistere poterunt, sine scelerati in bonorum cœtu.*	5 Propterea non consistēt mali in iudicio: neq; peccatores in cœtu iustorum.
6 *Deus enim iustorum vitam approbat, malorum autem vita, ipsos in exitium ducit.*	6 Nam agnoscit Iehoua viam iustorum: via autem malorum peribit.

Idem Psalmus primus dicolos distrophos.

Prior versus est Iambicus trimeter, acatalecticus.

⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑–

–– –– ⏑⏑⏑ ––

⏑⏑–

Posterior

Posterior Iambicus dimeter, acatalecticus.

⏑– ⏑– ⏑– ⏑–
–⏑ ⏑⏑⏑ –⏑ ⏑
–⏑⏑

» 1 BEatus ille qui nec incedit malos
» Vitæ magistros appetens,
» Nec improborum in omne præcipitem scelus
» Ingressus insistit viam.
» Nec execrandis mixtus irrisoribus,
» Profanus assidet comes.
» 2 Summi sed vsque verba sancta numinis
» Omni anteponit gaudio:
» Et illa secum, sorte contentus sua,
» Noctes dies q; cogitat.
» 3 Qualis virentis læta ripæ margine
» Densis superbiens comis,
» Arbos colono grata ramos porrigit
» Ponderibus annuis graues,
» Et vim rigentis dura frangens frigoris,
» Honore constanti viret:
» Talis vir ille, quicquid aggreditur, boni
» Securus exitus facit.
» 4 Non sic scelesti: gluma sed vt inutilis,
» Iactata venti turbine.
» 5 Non iam supremi ferre vultum iudicis,
» Nec verba poterunt aspera:
» Nec in bonorum mixta cœtu innoxio,
» Scelesta consistet cohors.
» 6 Nam q; vt bonorum facta numen approbat,
» Sic funditus perdit malos.

Psalmus secundus προφητικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi secundi.

Psalmus iste verè est propheticus, sub Dauidis typo, interpretibus Apostolis, Act. 4. 25. & 5. 32. & Heb. 1. 5. & 5. 5. Prædicit igitur quemadmodum Dauid post maxima demum certamina promissum regnum adeptus est, finibus imperij longe propagatis: ita Messiam verum Deum & hominem esse regē vniuerli terrarum orbis à Deo patre designatum. Fore tamen vt omnium ordinum homines ad illud decretum impediendū conspirent, sed quibus tamen momento fractis, ille sit in ipsa Ierosolymorum vrbe, in crucis videlicet throno coronandus: ac superata morte resurgens, fines imperij sui ad extremum orbem terrarum propagaturus. Perituros igitur quicunque collum ei vltrò non summiserint, & beatissimos futuros qui debita reuerentia fuerint illum amplexi. Itaque pertinet quoq; hic Psalmus ad singula quæq; Ecclesiæ membra, quatenus videlicet pios omnes oportet capiti Christo fieri conformes.

Eiusdem Psalmi secundi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 QVamobrem tumultuantur gentes, & populi res inanes solicitè meditantur?	1 QVare fremunt gētes: & populi meditantur inania?
2 Quorsum *coeunt Reges terrarum Domini: & aduersus Iehouam ac regem ab ipso designatum principes consilium capiunt?*	2 Sistunt se reges terræ: & Principes decernunt aduersus Iehouam, & aduer Christum eius.
3 *Abrumpamus* aiunt *istorum vincula, & iugum eorum excutiamus.*	3 Dirumpamus *aiunt* vincula eorum: & proiiciamus à nobis funes ipsorū
4 *At videt eos cœlorum incola, Dominus, inquam, & chachinnans ludibrio illos habebit.*	4 Qui habitat in cœlis ridebit: & DOMINVS subsannabit eos,
5 *Deinde iratus eos compellabit, atque furenti compellabit.*	5 Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo perturbabit eos, *in verbis.*

6 Ego

6 *Nam ego ipſe* inquit *hunc vnxi qui in Sione, ſancto monte meo, regnaret.*

7 Rex autem ipſe viciſſim *Promulgabo*, inquiet, *quid Iehoua de me ſtatuerit, illa de me loquutus, Tu es filius ille meus, ego hodie genui te.*

8 *Poſtula à me & gentes tibi tradam poſſidendas, & orbis terrarum fines obtinendos.*

9 *Conteres iſtos ferreo ſceptro, & tanquam vas fictile diffringes eos.*

10 *Nunc igitur Reges ſapite, erudimini terrarum gubernatores.*

11 *Iehouam colite & reueremini, eumque hilares ſimul & trepidantes celebrate.*

12 *Adorate hunc ipſius filium, ne quando iraſcatur, & è medio repente tollamini, vbi videlicet ipſius ira exarſerit. o beatos illos qui huic confidunt.*

6 Ego vnxi Regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum.

7 *Ego autem Rex* enarrabo illud ſtatutum, *dicens* Iehoua dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te.

8 Poſtula à me, & dabo tibi gentes, vt ſint hæreditas tua: & vt ſint poſſeſſio tua terminos terræ.

9 Confringes eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli diffringes eos.

10 Nunc igitur Reges, ſapite: erudimini Iudices terræ.

11 Seruite Iehouæ in timore: & exultate ei cum tremore.

12 Oſculamini filium, ne quãdo iraſcatur, & pereatis ex via, quando exarſerit ſubito ira eius. beati omnes qui cõfidunt in eo.

Idem Pſalmus ſecundus, μονόκωλος carmine phalæcio hendecaſyllabo expreſſus.

– – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
– ⏑
⏑ –

1 GEntium furor vnde tantus hic eſt?
Sic fruſtra populos tumultuari?
2 Sic reges properare concitatos?
Sic vnâ inq; Deum inq; præpotentis
Regis à Domino caput perunctum,

Facta hæc imperia principes mouere?
3 *Horum nunc age, nunc iuuabit (aiunt)*
Diruptis semel euolare vinclis,
Et curuo iugamox fugare collo.
4 *Sic illi. At Deus ex poli supremo*
Ridens vertice spectat hos furores:
Hásque terribiles ferocientum
Minas omnibus excipit cachinnis.
5 *Donec horribili furore feruens,*
Ipsos præcipiti furore fractos,
Voce terreat intonans tremenda.
» 6 *At hunc (inquies) in Sione Regem*
» *Designauimus: hunc placet sacrati*
» *Nobis imperium tenere montis.*
7 *Tunc ego intrepidus Dei perenne*
Edictum memorabo, namq; nobis
Hæc verò pater est locutus ore,
Tu mi Filius: (inquit) hac beatæ
8 *Luce te genui. ecquid est quod optes?*
Posce tu modo. Nam tibi vniuersas
Concessum simul vndiquâque gentes,
Et laxi spatia obtinere mundi.
» 9 *En sceptro tibi ferreo licebit*
» *Mentes conterere omnium rebelles:*
» *Idq; tam facilè ac labore nullo,*
» *Quàm potest figulus rotata vasa*
» *Leui frangere, quum libebit, ictu.*
» 10 *Ergo deposito furore tandem,*
» *Reges nunc sapite, oro: principesq;*
» *Qui vasti imperium tenetis orbis,*
» 11 *Nunc Deum veriti colatis vltro,*
» *Et vestro pariter Deo exhibete*

» *Mixtus*

» *Mixtos lætitia & tremore cultus,*
» 12 *Nunc amplexibus obuijs recepium*
» *Ipſius quoque filium fouete,*
» *Iram ne ſemel eius aſperetis:*
» *Quæ ſi vel ſemel arſerit, neceſſe eſt*
» *Vos mox funditus interire totos.*
» *At contra, omnibus ô modis beatos,*
» *Illos qui Domino Deoq́, fidunt!*

Pſalmus tertius εὐκτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi tertij.

Tertius hic pſalmus, tunc à Dauide decantatus quum repentina Abſalomi filij coniuratione ex vrbe ac ſolio penè nudus deiectus periiſſe plane videretur, exemplo ſuo docet tum quoque quum peccata vlciſcitur Dominus, quam ardenter ſimul ac confidenter ipſum inuocare nos in extremis præſertim periculis oporteat, illius partim potentia, partim patefacta nobis in Euangelio beneuolentia fretos.

Eiuſdem Pſalmi tertii.

PARAPHRASIS.

1 *QVam multi me ecarnãt, Iehoua! quàm multi in me conſurgunt;*

2 *Quàm multi de me dicunt. Nulla iſti ſalus in Deo ſuo ſupereſt.*

3 *Sed tu Iehoua, clypeus es mihi vndiquaque, tu meum es decus. tu caput meum extuliſti.*

4 *Iehouam mclamaui, & ille me ex ſancto monte ſuo exaudijt.*

5 *Cubo* igitur *& ſommum capio, & euigilo, quoniam tuetur me Iehoua.*

INTERPRETATIO.

1 IEhoua quàm multi ſũt qui premunt me! *quam* multi inſurgentes aduerſus me!

2 *Quàm* multi dicentes animę meæ, non eſt ſalus ei in DEO.

3 Tu verò, Iehoua, clypeus es circa me · gloria mea, & exaltans caput meum.

4 Voce mea ad Iehouam clamaui: & exaudiuit me ex monte ſancto ſuo.

5 Ego cubo & obdormio & euigilo: quia Iehoua ſuſtentat me.

6 *Vt multa me myriades coacta circunſepſerint, non expaueſcam.*

7 *Prodi Iehoua, ſerua me Deus mi: certè colaphos impegiſti omnium hoſtium meorum maxillis, & dentes iſtorum obtriniſti.*

8 *Iehoua is demum eſt qui ſuos liberat: & populus tuus is eſt demum qui te beneficum experitur.*

6 Non timebo à multis myriadibus populi: qui vndiq; ſeſe opponunt mihi.

7 Exurge Iehoua, ſerua me DEVS meus: Sanè percute omnes inimicos meos in maxilla, dentes eorum contere.

8 Iehouæ eſt ſalus: & ſupra populum tuum benedictio tua.

Idē Pſalmus tertius, tricolos tetraſtrophos. Verſus primus & ſecundus Dactylicus Alcaicus Acatalecticus.

– – ∪ – – ∪ ∪ – ∪ ∪

Tertius, Iambicus Archilochius dimeter Hypercatalecticus.

– ∪ – – ∪ – – ∪ – –

Quartus, Dactylicus Alcaicus Acatalecticus.

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ – –

1 *HEu quam minaces, mi Deus, hoſtium*
Creuêre vires, & furor impotens!
Solum hinc & iſtinc me feroci
Quanta premit fremitu caterua!

2 *Quin trita vox eſt or a per omnium,*
In te relictum prorſus opis nihil,
Mortale robur nedum ab iſtis
Seruet vt incolumem periclis.

3 *At tu iacentem me clypeo teges,*
Abs te vt receptis rurſus honoribus,

Gemmæue.

» *Gemmante ſublimis renodem*
» *Conſpicuum caput hoc corona.*
» 4 *Ergo eiulantem me ſuperùm Pater*
» *Quum ſacræ ab arcis culmine inaudiit,*
» *Et pectore ex imo profuſis*
» *Optimus annuerit querelis.*
» 5 *Curis ſolutum pectora tetricis,*
» *Nec dormientem nec vigilem pauor*
» *Turbabit vllus ſub potentis*
» *Præſidio domini quietum.*
» 6 *Imo vt coactas innumerabiles*
» *Cernam phalanges vnius in caput,*
» *Mentem beatam recreabit*
» *Spes, patris in gremium recumbens.*
7 *At tu reſumptis viribus excitus*
Prodi, & ruentem robore ſuſtine,
Horumque dentes óſque durum
Ictibus, obterito ſonoris.
8 *Quippe omnis in te noſtra ſita eſt ſalus,*
Et tu viciſſim muneribus nouis
Gentem tibi vni conſecratam
Aſſiduè cumulas benignus.

Pſalmus quartus Δαμυθηλικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi quarti.

Pſalmus iſte tum Eccleſiam in genere, tum ſingulos ex Eccleſia docet, ſceleratis ingruentibus, non modò non deſpondere animum, ſed etiam aduerſarios confidenter increpare, experta toties Dei virtute, & cauſæ ſuæ bonitate, firmiſſimis denique futuræ vitæ promiſſionibus fretos: in quam vnam intentos eſſe, neque à caducis iſtis bonis pendere nos oporteat.

Eiuſdem Pſalmi quarti

PARAPHRASIS.

1 *REſponde vociferanti mihi Iehoua, innocentiæ meæ arbiter: ô qui me toties ex angustijs eduxisti, miserere mei, & preces meas exaudi.*

2 *Præclari* ſcilicet *homines, quousque dignitatem meam ignominia afficietis, vanitate gaudebitis, & irrita futura consilia capietis?*

3 *Nam scitote Deo placuisse me supra cæteros euehere quē amore singulari complecteretur. Iehoua me clamantem exaudiet.*

4 *Contremiscite igitur & peccare desistite. expēdite ista apud vos, & in stratis vestru taciti ista meditemini.*

5 *Et Deum ita vti par est colite: & Domino confidite.*

6 *Plerique dicitant, Quatandem ratione diteſcemus? At nobis, Iehoua, tui vultus splēdor affulgeat.*

7 *Nam longè maius est gaudiū quo me intus afficis, quàm quum illorū vindemia & messis redundat.*

8 *Quietus igitur cubabo & som-*

INTERPRETATIO.

1 DVm clamo reſponde mihi Iehoua *vindex* iuſtitiæ meæ: In anguſtia feciſti ſpaciū mihi. *eduxiſti me in latitudinem.* miſerere mei, & exaudi orationem meam.

2 Filii viri, *id eſt, vos illuſtres & potentes*, vſquequo gloria mea in ignominiam diligetis vanitatem & quæretis mendacium?

3 At ſcitote, quòd eximium fecerit me Iehoua gratis acceptum ſibi: Iehoua exaudiet, quum clamauero ad eum.

4 Commouemini & ne peccate: loquimini in corde veſtro, *id eſt, expendite apud vos iſta:* ſuper cubile veſtrum ſilete.

5 Sacrificate ſacrificia iuſticiæ, *id eſt, rite*, & confidite in Domino.

6 Multi dicunt· Quis oſtendet nobis bonum? Attolle ſuper nos lumen vultus tui, Iehoua.

7 Dediſti lætitiam in corde meo maiorem, quàm quæ eſt tempore. quo vinum & frumentum ipſorum multiplicantur.

8 In pace ſimul cubabo & obdor-

num capiam. Tu enim vnus, Iehoua, ſecurum me præſtas.

obdormiam: quoniam tu Iehoua ſolus ſecurè facis me habitare.

Idem Pſalmus quartus tricolos, tetraſtrophos. Verſus primus & ſecundus Choriambicus Aſclepiadeus tetrameter.

-- -UU- -UU- UU

Tertius, pherecratius trimeter acatalectícus.

-- -UU --

Quartus, Choriambicus Glyconius trimeter acatalectícus.

-- -UU- UU

» 1 O *Vindex ſcelerum, iuris ô arbiter,*
Inſontis trepidas accipito preces,
2 *Et me rebus in arctis*
Auditum, vt prius, erue.
» 3 *At vos, ô proceres, dicite, callidi,*
» *Fruſtra conſilijs quandiu inanibus*
» *Oppugnabitis iſtud*
» *Dignatum imperio caput?*
» 4 *Certè præ reliquis munificus ſuo*
» *Qui lectum arbitrio me Deus exſulit,*
» *Clamantem quoque vindex*
» *Idem promptus inaudiet.*
5 *Peccatum ſatis eſt: nunc trepidos iuuet,*
Noctis per tacitæ muta ſilentia,
Tota euoluere mente
Tantum præteritum nefas.
» 6 *Exin legitimis iuſtitiæ ſacris,*

Mactata innocui pectoris hostia.
Spes defigite vestras
In solo superùm Patre.
7 *Largas poscat hospes, ætheris immemor,*
Terrenis inhians stultum hominum genus:
At tu me æthere ab alto
Splendore irradies tuo.
8 *Tu curis facies liber vt anxijs,*
Confisusque tuæ præsidio manus,
Dulcis tempora vitæ
Felix, mi Deus, exigam.

Psalmus quintus εὐκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi quinti.

Hic quoque psalmus est εὐκτικός, & istas ritè precandi regulas docet, quum iniustè quispiam affligitur. Ardenter videlicet precandum: dubitationi de ipsius Dei vel erga nos voluntate vel potentia illud esse opponendum, quòd & Deus noster & Rex noster sit: impatientiam hac cogitatione frenandam, quòd ipsius Dei natura ferre non possit sceleratos inultos, ac proinde quò truculentiores sunt hostes, eò certius ac propinquius esse ipsorum exitium. Denique non ipsas hostium pœnas, non nostra ipsorum commoda, sed vnius Dei gloriam, in huiusmodi petitionibus, spectari à nobis oportere, sicut ille propterea nobis benefacere non desinit.

Eiusdem Psalmi quinti.

PARAPHRASIS.

1 *AVdi qua loquor, Iehoua: percipe quod intus musito.*
2 *Attende sonoris clamoribus meis, mi Rex & Deus mi: tu enim is demum es cui preces istas offero.*

INTERPRETATIO.

1 VErba mea auribus percipe Iehoua, intelligē meditationē meā.
2 Attende ad vocem clamoris mei Rex meus, & Deus meus: quoniam ad te oro.

3 Iehoua

3 *Exaudi diluculo vocẽ meam Iehoua. Nã ipſo diluculo me ipſum ad te precandũ cõparo, teq́; velut è ſpecula obſeruo.*

4 *Quoniam non es, Deus, cui placeat improbitas: vel qui ſceleratos admittas.*

5 *Non conſiſtent coram te arrogantes, odiſti ſceleribus deditos.*

6 *Mendaces perdis, & cadibus contaminatos ac fraudulentos abominaris, Iehoua.*

7 *Itaque bonitatis tuæ magnitudine fretus ædem tuam ingrediar, & te adorabo ac reuerebor in ſancto palatio tuo.*

8 *Tu igitur benigne tuorum aſſertor, oppreſſum me ab hoſtibus deducito, & viam qua intus coram te incedam complanato.*

9 *Nullus eorum quidquam ſyncerè loquitur: intus mille nocendi artes fouent: guttur eorum eſt veluti ſepulcrum patens: blandu verbis eorũ linguas inſidiatur.*

10 *Perage ipſos reos, Iehoua, ſic vt ſuis conſiliis excidant: iſtos multitudine ſcelerum cooperios, tibique rebellantes, diſſice.*

11 *Tũc omnes qui ad te confugerint latabuntur, & quum eos tutatus fueru æternũ triumphi*

3 Iehoua, mane audies vocẽ meam: mane diſponam tibi, *præparabo me tibi* & ſpeculabor.

4 Quoniam non es DEVS, qui delectetur impietate: nõ morabitur apud te malus.

5 Non conſiſtent gloriabũdi coram oculis tuis: odiſti omnes operãtes iniquitatẽ.

6 Perdes loquentes mendacium: Virum ſanguinum & doli abominabitur Iehoua.

7 Ego vero in multitudine bonitatis tuę ingrediar domum tuam: adorabo in palatio ſanctitatis tuæ, in timore tui.

8 Iehoua deduc me in iuſticia tua, propter aduerſarios meos: complana coram me viam tuam.

9 Quoniam non eſt in ore eius rectitudo: intimum eorum prauitates: ſepulchum apertum guttur ipſorum: lingua ſua blandiuntur.

10 Perage ipſos reos Iehoua: cadant à conſiliis ſuis: propter multitudinem iniquitatum ipſorum diſpelle *abjice* eos: quoniam rebelles ſunt contra te.

11 Et lætabũtur omnes cõfugientes ad te: in æternum ouabunt, & proteges eos,

phum canent, tunc inquam, omnes nominis tui timentes te lati prædicabunt.

& exultabunt in te diligentes nomen tuum.

12 *Quoniam tu benedices iuſto, Iehoua: & benignitatis tuæ ſcuto circundabis eum.*

12 Quoniã tu benedices iuſto, Iehoua: beneuolentia tua quaſi ſcuto circundas eum.

Idem Pſalmus quintus, monocolos, verſu Dactylico, Alcaïco, acatalectico.

-- ∪- ⏑ -∪∪ -∪∪

1 *INtentus audi quæ loquar, ô Deus,*
Ah verba luctus conſcia maximi:
2 *Audi querelas quas tibi, quas tibi,*
Mi rex, Deus mi, væh, miſer eiulo.

3 *Te mane primo ſollicitus voco,*
Tu mane primo ſollicitum audias,
4 *O tu hoſtis omnis perpetuus mali,*
O nulla quîcum fœdera ſunt malis.

» 5 *Inſana vultus ante tuos cohors*
» *Vaneſcit omnis. Tu ſcelus impotens*
» 6 *Perferre, cunctæ perfidiæ & doli,*
» *Fuſiq́, vindex, ô bone, ſanguinis.*

7 *At me ecce ſacra ad limina maximæ*
Fretum æquitatis præſidio tuæ,
En me verendi numinis ad pedes
Et mente & ipſo corpore ſupplicem.

8 *Tu me ambulantem dirigito bonus,*
Tu me ſceleſtis aſſere ab hoſtibus,

9 *Quorum*

9 *Quorum ora tetram perfidiam vomunt,*
Cor mille fœtum fraudibus æstuat.

Illis hiantis ceu tumuli ſpecus
Fauces, adulans lingua doli artifex.
10 *Illos Deus mi, conſilijs ſuis*
Fruſtratos, omnes deſtrue funditus,

Perde hos rebelles mille modis tibi,
11 *Idem tuorum (ſola quibus ſita eſt*
Spes omnis in te) certa perennibus
Addens benignus gaudia gaudijs.

Hos tu potenti robore protege,
» 12 *Iuſtos tueri nanque tuum eſt opus,*
» *Tutóſque contra multiplices minas*
» *Præſtare ſcuti præſidio tui.*

Pſalmus ſextus εὐλικός.

Argumentum & vſus Pſalmi ſexti.

Hic Pſalmus precationem continet, ſed argumenti diuerſi à ſuperioribus. Ibi enim lucta deſcribitur hominum piorum cum hominibus duntaxat à quibus iniuſtè vexantur: hic verò proponitur exemplum hominis ſic ab hoſtibus oppreſſi, vt in primis cum peccato, & morte, adeóque ipſius iræ diuinæ ſenſu luctetur, quod certamen eſt omnium maximum ac periculoſiſſimum. Sunt autem iſta præcipuè ex hoc Pſalmo colligenda: amariſſimos eſſe fructus peccati, tum corpus tum in primis animam grauiſſimè vulnerantis: reſidere in ſanctis quoque peccati reliquias, quamobrem etiam Deus illos interdum ſeueriſſimè corripiat: vnicum ſupereſſe aduerſus hoc, alioqui inſanabile, vulnus remedium, gratuitam Dei in Chriſto miſericordiam: ad hanc gratiam ſeria deiectione animi & vera peccati agnitione ſanctos deduci, vt fide & ardente aſſiduáque inuocatione veniam in Chriſto apprehenſo adipiſcantur: Omne denique hoc certamen tandem gloriæ Dei

& maximo ſanctorum bono ceſſent, modo altera pœnitentiæ pars, id eſt emendatio vitæ, conſequatur: liberationem denique ab his malis idcirco demum petendam, vt ſimus diuinæ prædicandæ beneficentiæ inſtrumenta.

Eiuſdem Pſalmi ſexti.

PARAPHRASIS.

1 *IEhoua, ne me furens arguito, ne me iratus corripito.*

2 *Miſerere mei, Iehoua, viribus omnibus deſtituti: ſana me, Iehoua: nam & ipſa oſſa mea conquaſſata ſunt.*

3 *Sed & anima mea prorſus eſt conſternata. Tu verò, Iehoua, quouſque?*

4 *Reſpice me conuerſus Iehoua, libera animam meam, ſerua me pro gratuita benignitate tua.*

5 *Nec enim poſſit tui meminiſſe qui ſit mortuus, neque in ſepulchro tuas laudes prædicare.*

6 *Fatigatus ſum ſuſpirando, lectulus meus natat, ſingulis noctibus lachrymis meis liquefactus.*

7 *Vultum meum exedit mœror: conſenui præ arumnis quibus opprimor.*

8 *Faceſſite procul vos ſcelerati. Meos enim eiulatus exaudiit Iehoua.*

9 *Meas, inquam, preces Iehoua exaudiuit, Iehoua me ſibi ſupplicantem excepit.*

INTERPRETATIO.

1 IEhoua, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

2 Miſerere mei Iehoua, quoniam vires me deficiunt ſana me Iehoua, quia conturbata ſunt oſſa mea,

3 Et anima mea conturbata eſt valde: & tu Iehoua vſquequo?

4 Conuertere Iehoua, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

5 Quia nulla eſt in morte memoria tui: in ſepulchro quis laudē dicetibi?

6 Fatigatus ſum ſuſpirando, natare feci per ſingulas noctes lectum meū, lacrymis meis ſtratum meum liquefeci.

7 Corroſa eſt præ triſtitia facies mea: conſenuit propter omnes anguſtiatores meos.

8 Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam audiuit Iehoua vocem fletus mei.

9 Exaudiuit Iehoua deprecationem meam: Iehoua deprecationem meam ſuſcepit.

10 Eru-

10 *Erubescant & conturbentur omnes inimici mei, & terga vertant momento euersi.*

10 Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: terga vertant, pudefiant subito.

Idem Psalmus sextus, monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo, vt secundus.

2 *NE me, ne (rogo) quamlibet nocentem*
Ira illa opprimito seueriore:
Nec me corripe quandiu furoris
AEstu concitus impotente ferues.
2 *Sed me respice iam dolore fractum,*
Et fer lenis opem mihi misello,
Cuius deuorat intimas medullas
Tetri sæuities nefanda morbi.
3 *Mens quoque innumeris malis subacta*
Tota exæstuat. Ah, Pater supreme,
Quem finem facies acerbitatum?
4 *Age, aduerte oculos sereniores:*
Seruato hanc animam Deus benigne,
Et malis semel hisce liberato,
Tuæ munere liberalitatis.
5 *Nam qui viuere desiit, tuarum*
Laudum cogitur immemor silere,
Et meta taciti obrutus sepulchri
Tuas iam nequeat sonare laudes.
6 *Totus ecce liquesco lacrymando,*
Ipsis dum gemo conscijs tenebris
Thoro præ lacrymis meis madente,
Thoro, inquam, in lacrymis meis natante.
7 *Mea en lumina mœrore excauata*

Exedit tineæ voracis instar,
Et tanquam arida iam premat senectus,
Absorpto pereunt liquore ocelli,
Obsesso innumera hostium caterua.
8 *Sed quid pluribus hæc iuuet referre?*
Tu nunc tu procul, ô sceleſta cunctis
Pridem assueta malis cohors, facesse.
9 *Accepit Dominus meas querelas,*
Audiuit quoque lacrymationes,
Et mixtam gemitu petitionem.
10 *Ecquid vos igitur pudet sceleſti?*
Ecquid nunc trepidatis? ecquid, inquam,
Terga obuertitis, & repentè magno
Perculsi fugitis pauore cuncti?

Pſalmus ſeptimus εὐκτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi ſeptimi,

Quum homines ſoleant contumelioſæ calumniæ maximè commouere, vt tunc perdifficile ſit iracundiam, & quæ inde conſequuntur mala, cohibere, præſertim quum nihil nobis præſidij in legitima magiſtratus cognitione ſupereſt: docemur hoc Pſalmo licere quidem nobis defenſionem coram Deo & hominibus opponere, ſed ita vt vni Deo ſeueriſſimo calumniantium vltori innocentiam noſtram, citra turbidos vllos affectus, commendemus. Sunt autem huius ſcribendi Pſalmi occaſiones & circumſtantiæ diligenter conſiderandæ, ſiue ad Saulem ipſum, ſiue ad Semei (cuius hiſtoria refertur. 2. Sam. 16.) ſiue ad alium quempiam Saulis cognatum referatur: vt nouerimus in grauiſſimis etiam calumniis, quibus & fama & vita ipſa petitur, hanc animi moderationem nobis retinendam. Pertinet autem hæc doctrina præcipuè ad Eccleſiam ipſam & eius gubernatores, quos præ cæteris conſueuerunt Satan & ipſius miniſtri, iaculis iſtis configere.

Eiuſdem.

Eiusdem Psalmi septimi.

PARAPHRASIS.

1 *Sperо in te, mi Deus Iehoua, serua me omnibus qui me persequuntur ereptum, & libera me.*

2 *Ne mi vinum iste quasi leo discerpat, & liberatore destitutum abripiat.*

3 *Iehoua Deus mi, si fecimus illud admisi: si scelus istud manus meæ patrarunt.*

4 *Si cuiquam malum rependi: nisi hunc ipsum immeritò me persequentem periculo eripui:*

5 *Persequatur me hostis ad necem: comprehendat me, & prostrato vitam eripiat, & omnem existimationem meam sepeliat.*

6 *Exurge iratus, Iehoua, & sublimis aduersus omnes inimicos meos irrue: euigila mei causa, iurù assertor quod tu mihi tribuisti.*

7 *Circundet te populorum corona, & ad eam ex alto solio te conuerte.*

8 *Iehoua, ius dicito populis: vindica me Iehoua, prout sum insons & innocens.*

9 *Desinat, quaso, malorum improbitas, & iustum stabilito. Scrutaris enim corda & hominis intima, iuste Deus.*

INTERPRETATIO.

1 IEhoua DEVS meus, in te spero: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

2 Ne *iste* discerpat vt leo animam meam: rapiat & non sit liberator.

3 Iehoua Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.

4 Si reddidi malum pacifico meo *pacificè degenti mecum* sine causa:

5 Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.

6 Exurge Iehoua in ira tua, & exaltare contra furores inimicorum meorum: & euigila super me ad iudicium quod mandasti.

7 Cœtus populorum circũdet te: &, propter hunc in altum attollitor.

8 Iehoua iudicat populos: iudica me, Iehoua, in iustitia mea, & secundum integritatem meam, quæ est penes me.

9 Finiatur, quæso, malitia impiorum, & stabilias iustũ quia probas corda & renes, Deus iuste.

10 Scutum meum penes Deum est, qui rectos corde protegit.

11 Deus iustum asserit: idē quotidie Deus irascitur.

12 Quod ni in viam iste redeat, Deus gladium exacuit, arcum tetendit & obfirmauit.

13 Instrumenta sibi quibus illum conficiat comparauit, & sagittas in feruidos illos me opprimentes destinat.

14 Ecce parturit iste iniuriam: concepit enim apud se molestiam quam mihi inferret, sed inanis erit eius partus.

15 Puteum fodit profundū, sed in eam ipse foueam ruet quam excauauit.

16 Malum quod mihi molitus est recidet in ipsius caput, & in ipsius verticem ruet damnum in me comparatum.

17 Celebrabo Iehouam, vt ipsius iustitia meretur, & psallam nomini Iehouæ altissimi.

10 Scutum meum super Deum: qui seruat rectos corde.

11 Deus iudicat iustum: & Deus irascitur quotidie.

12 Si non conuersus fuerit, gladium suum acuit: arcum suum pedę pressit & firmauit illum.

13 Et sibi parauit instrumenta mortis: sagittas suas in persecutores parauit.

14 Ecce concepit *iste* iniquitatem: & prægnans est dolore, & pariet rem inanem.

15 Puteum fodit & effodit eum: & cecidit in foueam *quam* fecit.

16 Reuertetur molestia eius in caput eius: & supra verticem eius iniuria ipsius descendet.

17 Celebrabo Iehouam secundum iustitiam eius: & psallam nomini Iehouę altissimi.

Idem Psalmus septimus tricolos tetrastrophos, vt tertius.

1 *IN te recumbit spes mea mi Deus.*
Tu me scelestis hostibus eripe.
2 *Ne forte prorsus destitutum*
Me leo dilaniet cruentus.
3 *Si tale quidquam mō Deus, edidi,*
Nec gesto puras fraudis manus,

4 Si

4 *Si læsi amicum ter scelestus,*
Immeritis bona ni rependi:
5 *Me sæuus hostis præcipiti ruens*
Cursu prehensum sternat humi ferox,
Meq́, & meos istos honores
Proteras hic pedibus superbis,
6 *Ah surge tandem, surge potens Deus,*
Fracturus horum terrificus minas,
Nec iura quæ te auctore posco
Irrita nunc facito supinus.
7 *Sic sede ab alta lumine plurimo*
Mundus coruscum te pauidus tremat:
Et cuncta iustè temperantem
Terra tremens colat vniuersa.
8 *Tu me innocuum & criminis insciam*
9 *Serua: malorum tu cohibe scelus,*
Iustos tuère, ô qui in profundos
Vsque animi penetras recessus.
10 *Tu fortis vmbo, tu clypeus mihi,*
Certum piorum præsidium & salus.
11 *Vindex bonorum, idem superbos*
Quotidie feriens furentes.
12 *Quod ni iste mores induat alteros,*
Nempe ense acuto iam Deus hunc petit,
Arcuq́, fixurus retorto
Lethiferis oculis tuetur.
13 *Ferale telum feruidus è graui*
Promptum pharetra iam manibus tenet,
Stridente iam neruo sonantes
Hostibus ingeminat sagittas.
14 *En corde in imo tristia qui mala*
Concipit olim, parturiet scelus,

» *Mendacia vrrito, moleſtus*
» *Ipſe ſibi, vt pariat labore.*
» 15 *Verum vt laborans qui puteum ſibi*
» *Effodit in quem cornua obtundat,*
» 16 *Ita hunc ſua opprimet velabens*
» *In caput improbitas ſceleſtum.*
17 *Tunc ipſe iuſto carmina numini*
Tanto ſacrabo iam vacuus metu,
Deiq́ laudes in ſupremi
Cantibus orapius reſoluam.

Pſalmus octauus εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi octaui.

Aguntur hoc Pſalmo gratiæ Deo de maximis duobus beneficiis in humanum genus collatis, videlicet creatione in Adamo, & inſtauratione in Chriſto. Et ſi enim homo, ſua vnius culpa, ab eo præſtantiæ gradu excidit in qua fuerat conditus: ſuperſunt tamen adhuc illius dignitatis veſtigia, tum in eo quòd ſuprà beſtias omnes eminet, & in eaſdem habet quandam vitæ ac necis poteſtatem: tum in illa ſingulari prouidentia qua Deus genus humanum amplectitur. Sed alter ille ſtatus, in quem æternus ille Dei filius aſſumptam in vnitatem perſonæ, poſt depoſitam eiuſdem infirmitatem humanam, naturam euexit, vt eius dignitatis participes faciat omnes credentes (quibus etiam vnis hoc tribuit vt in hac vita prædititi ſint veræ ſapientiæ lumine, & rebus in hoc mundo conditis bona conſcientia fruantur) verus eſt huius Pſalmi finis, interprete ipſo Spiritu ſancto, Matth. 21. 15. 1. Cor. 15, 27. & Hebr. 2. 8.

Eiuſdem Pſalmi octaui.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *IEhoua Domine noſter, quàm eſt magnificum nomen tuum in vniuerſa terra, gloriam tuam ſuprà cœlos*	1 IEhoua Deus noſter, quàm magnificum eſt nomen tuum in vniuerſa terra, collocans gloriam tuam

ipſos attollant.

2 *Ipſa infantium & vbera ſugentium ora tuum robur confirmant, vt euaneſcere oporteat quotcunque opprimant alios, aut in ſeipſum ſeruntur.*

3 *Enimuerò tuos illos cœlos, digitorum tuorum opus, contemplans, lunam & ſtellas à te tam concinnè diſpoſitas,*

4 *Quid eſt, inquam, homo vt eius rationem habeas? quid eſt mortali patre ſatus, vt eũ reſpicias?*

5 *Feciſti eum aliquantulo inferiorem Angelis, gloria & decore ipſum coronaſti.*

6 *Præfeciſti eum omnibus operibus manuum tuarum: omnia pedibus ipſius ſubiecisti.*

7 *Pecudes & armenta omnia, ipſaſq; adeò feras.*

8 *Aues per aërem volitantes, & piſces maris, ſemitas tranantes.*

9 *Iehoua Domine noſter, quam eſt magnificum nomen tuum in vniuerſa terra!*

tuam ſupra cœlos!

2 Ex ore infantium & lactãtium confirmaſti *tuum* robur, propter aduerſarios tuos: ad compeſcendum inimicos & vindictæ cupidos.

3 Quum video cælos tuos opus digitorum tuorum: lunam & ſtellas quas firmaſti, *tunc dico:*

4 Quid eſt homo quòd memor es eius: aut homine ſatus, quòd inſpicis eum?

5 Tu feciſti eum pauliſper ſubſidere infra Angelos: gloria tamẽ & honore coronaſti eum.

6 Conſtituiſti eum dominatorem ſuper opera manuũ tuarum, omnia poſuiſti ſub pedibus eius.

7 Oues & boues omnes: etiam beſtias feras.

8 Volucres cœli & piſces maris: quicquid tranſit ſemitas maris.

9 Iehoua Domine noſter, quàm glorioſum eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Idem Pſalmus octauus monocolos, carmine heroico hexametro.

1 O *Deus, ô mundi ſolus qui flectis habenas,*
Vt tua ſe virtus terras diffundit in omnes!

» *Vt decor iste tuus cœli super alta coruscat*
» *Culmina! Quin etiam qui matrum ex vbere pendent*
» 2 *Elingues pueri, (dictu mirabile) vires*
» *Immensas, nimiumq; tuum muto ore fatentur,*
» *Vt taceat victus quantumuis concitus ira,*
» *Quantuscunque tui vesanus numinis hostis.*
3 *Ergo tua quoties celsi laquearia cœli*
Structa manu, quoties splendentis lumina lunæ
Conspicio, & puro radiantes æthere flammas,
» 4 *Vah, inquam, quis homo est, quæue est hominum ista propago,*
» *Quos, Deus, & cura, & tanto dignaris honore*
5 *Dotibus hunc siquidem ornatum decorisq; corona,*
Iussisti superos infra subsidere paulùm:
6 *Et manibus quæcunque tuis, immense, creasti*
Illius imperio ac pedibus submissa teneri:
7 *Quicquid ouium, boumq; greges per rura, per agros*
Pascuntur, nemorumq; feras per lustra vagantes,
8 *Et volucres pictis scindentes æthera pennis,*
Et liquidi pisces sulcantes æquoris undas.
9 *O Deus, ô mundi solus qui flectis habenas,*
Vt tua se virtus terras diffundit in omnes!

Psalmus nonus εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi noni.

Propheta hoc nono Psalmo Ecclesiam docet de acceptis olim à Deo beneficiis singularem eius tum potentiam tum beneuolentiam testantibus assiduè gratias agere, & istis exemplis sese tum in præsentibus ærumnis erigere, tum aduersus secuturas calamitates confirmare, certo futuris quicunque Ecclesiam infestant.

Eiusdem

Eiusdem Psalmi noni.

PARAPHRASIS.

1 *Celebrabo Iehouam toto corde meo, & omnia illa mirifica ipsius facta prædicabo.*

2 *Lætabor & exultabo de te, nomini tuo psallam, Deus altissime.*

3 *Eò quòd hostes mei terga verterunt, corruerunt, & ad tui conspectum perierunt.*

4 *Iustum enim iudicium de mea causa tulisti, tuóque tribunali insidens iustum esse te iudicem comprobasti.*

5 *Increpasti prophanorum copias, & istos exitio sempiterno deleuisti.*

6 *Vastitates illæ quas tu hostis minabaris, nusquam sunt. vrbes scilicet destruxisti, & incolarum memoria vna cum ipsis desyt.*

7 *At Iehoua perpetuum est imperium, ad suum cuique tribuendum assiduè sedenti.*

8 *Is est demum qui terrarum orbem iustè regit, & populos sicuti par est moderatur.*

9 *Is est oppressi arx sublimis, & opportunum oppressi perfugium.*

10 *Itaque in te sperant quibuscunque homen tuum innotuit, quia te quærentes nunquam deseris, Iehoua.*

INTERPRETATIO.

1 Celebrabo Iehouam toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

2 Lætabor & exultabo in te: psallam nomini tuo altissime.

3 Quòd inimici mei cõuersi sint retro: impegerint & perierint à facie tua.

4 Quia es executus iudiciũ meum & causam meam: sedisti super solium iudex iustus.

5 Increpasti gentes: perdidisti malum nomen eorum deleuisti in perpetuum & semper.

6 Iniuice, cõsummatæ sunt *scilicet* vastitates in perpetuum, & ciuitates destruxisti: periit memoria ipsorum cum ipsis.

7 Imò Iehoua in æternũ sedebit, parans ad iudicium sedem suam.

8 Et ipse iudicabit orbem in iustitia, & iudicabit populos rectissimè.

9 Et erit Iehoua exaltatio oppresso: exaltatio oportunis temporibus in tribulatione.

10 Et sperabunt in te, qui norunt nomen tuum: quia nõ deseris quærentes te, Iehoua.

21 Psallite Iehoua, Sionis incolæ, res ipsius gestas populis prædicate.

22 Inquirit enim in cædes, suorum haud immemor: nec clamantes oppressos obliuiscitur.

23 Miserere mei, Iehoua, ó qui me ex ipsis mortis faucibus eruisti, vide quæ mihi vis ab hostibus meis inferatur.

24 Vt laudes omnes tuas narrem, & Sionem ingressus in liberatorem exultans prædicem.

25 Demersa sunt hostium copia in eam ipsam foueam quam mihi excauarunt, & eo ipso laqueo sunt irretiti quem mihi absconderunt.

26 Ex hoc iudicio innotuit Iehoua, impio suis ipsius artibus capto.

27 Corruent vero scelerati in infernum, & quotcunq; Deum obliuiscuntur.

28 Nec enim inopes perpetua oblivioni tradentur, nec eorum expectatio qui opprimuntur semper ipsos frustrabitur.

29 Exurge Iehoua, ne mortales ipsi insaleſcant: dent tibi iudici pœnas populi.

30 Conſterna ipsos, Iehoua: fac vt omnes sese mortales esse intelligant.

21 Psallite Iehouæ qui habitat in Zion: annunciate in populis gesta eius.

22 Quia requirit sanguines, illorū recordatur non obliuiscetur clamoris eorum qui opprimuntur.

23 Miserere mei Iehouæ vide oppressionem meam ab ōforibus meis, qui tollis me ex portis mortis.

24 Vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Zion: & exultem in salute tua.

25 Demersæ sunt Gentes in foueam *quam* fecerunt: reti quod abscōderunt, captus est pes eorum.

26 Innotuit Iehoua iudicio *quod* fecit: opere manuum suarum illaqueatus est malus.

27 Retrorsum agentur itaque in sepulchrum: & omnes gētes quæ obliuiscuntur Dei.

28 Quoniam non perpetuò obliuioni tradetur paup er spes eorum qui opprimuntur non peribit perpetuò.

29 Exurge Iehoua, ne corroboretur iste: iudicetur Gētes in conspectu tuo.

30 Iniicito Iehoua trepidationem ipsis: cognoscant Gētes quòd homines sunt.

Idem

Idem Psalmus nonus, dicolos distrophos, carmine elegiaco.

1 TE tota, alme Deus, celebrabo mente, tuaq;
Mirifica illa etiam plurima gesta manu.
2 *Tu mihi delitiæ, tu sola & vera voluptas,*
Tu mihi materies carminis vnus eris.
3 *Nam quòd fusæ acies, quòd se præsente phalanges*
Præcipiti hostiles terga dedêre fugæ,
4 *Iudicis hoc opus est, qui parum criminis istud*
Seruasti celsæ tutius ab arce caput:
5 *Terribili increpitans populos quum voce fugares,*
Mors quibus æterna lumina nocte premit.
6 *Num verò subuersa iacent cum ciuibus ipsis*
Oppida, non vllo restituenda die?
7 *Imò illud potius firmum æternumq;, superbe,*
Quod stabis pallens ante tribunal, erit
» 8 *Hic residet mundum frenis qui legibus æquis*
» *Et populos summa cum ratione regit.*
» 9 *Inde bonus miseros solio tutatur ab alto,*
» *Mittere promisso tempore promptus opem.*
» 10 *Hinc fit vt ipse suos quum nunquam deserat, illum*
» *Spe pariter numquam deficiente colam.*
11 *Hunc igitur pulchræ ciues laudate Sionis.*
Et mira ipsius dicite gesta manu.
» 12 *Hic etenim memori cædes vlciscitur ira,*
» *Hic inopum attenta suscipit aure preces.*
» 13 *Perge Deus: toties seruatum hunc denique serua.*
O cuius maneo munere saluus ego.
14 *Sic mihi tu media deinceps celebrêre Sione.*
Tu vitæ vindex, auctor & vne, meæ.
» 15 *Ecce suam in foueam deprensus concidit hostis,*

Implicitúsque ruit caßibus ipse suis.
16 *Iustitia apparet sic numinis illa, malorum*
Quæ iubet artifices arte perire sua.
17 *Debetur siquidem certæ turba impia morti,*
Et quicunq; Dei non manet vsque memor.
18 *Nanque nec oppressos æternùm deserit ille,*
Nec spes fidentem fallere certa potest.
19 *Surge ô cunctipotens, mortales frange superbos,*
Fac paueant Gentes iudicis ora sui.
20 *Disiice perculsas, humana denique sese*
Fac populi discant conditione satos.

Psalmus decimus παραμυθητικὸς καὶ εὐκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi decimi.

Graphicè prorsus hoc psalmo describitur hostium Ecclesiæ truculentia, & immanis securitas, cuiusmodi describuntur à poëtis Cyclopes: quorum tamen omnes irriti futuri tandem sint conatus, Deo neque illos sinente inultos, neque Ecclesiam suam deserente.

Eiusdem Psalmi decimi

PARAPHRISIS.

1 *QVare Iehoua procul abscedis, & quum auxilio maximè opus est, in calamitate videlicet, te subducis?*
2 *Ferociter scelerati in bonos sæuiunt: fac vt suis ipsorum machinationibus isti capiantur.*
3 *Placet enim sibi impius in cupiditatibus suis, & sese auarus sic beatum putat, & ipsi Deo insultat.*

INTERPRETATIO.

1 QVARE Iehoua stas procul? *quare* abscondis *te* tempore oportuno, in tribulatione?
2 In elatione impii persecutionem patitur oppressus: comprehendantur in consiliis suis quæ cogitant.
3 Quoniam gloriatur impius super desiderio animæ: & auaro benedicit: insultat Iehouæ.

4 Impius

4 *Elata fronte incedens nihil curat, & nihil aliud quàm Deũ nullum vſſe cogitat.*

5 *Proſperè cadunt eis omnia: iudicia tua procul à ſuo conſpectu quaſi in cœlum vſque ſummouet: omnes ſibi aduerſantes ſolo halitu proſternit.*

6 *Statuit apud ſe perpetuò ſe immotum futurũ, nec aduerſi quidquam ſenſurum.*

7 *Os eius plenum eſt execrationibus, moleſtia & iniuria ſub eius lingua deliteſcunt.*

8 *Occupat inſidijs vicorum angiportus, ex latebris inſontem interfecturus, & limis oculis ope deſtitutos obſeruans.*

9 *Inſidiatur ex latebris ſicut ex luſtris leo conſueuit: inſidiatur, inquam, vt miſeros in rete pertractos abripiat.*

10 *Demittit ſeſe ac deiicit, & ita miſerorum grex ipſius dẽtibus & vnguibus in prædam cedit.*

11 *Statuit apud ſe Deum iſta obliuiſci, neque intueri, aut certè non ſemper obſeruare.*

12 *Exurge Iehoua, attolle manũ, ô potens, nec egenorum obliuiſcere.*

13 *Cur enim ſceleratus Deo inſultarit, ſibi perſuadeni nun-*

4 Impius in altitudine naris ſuæ non inquirit: omnes cogitationes eius *ſunt quòd* Deus non ſit.

5 Succedunt viæ eius omni tempore: excelſum iudicia tua de coram ipſo, *id eſt longè ſunt poſita a conſpectu eius*, in omnes aduerſarios ſuos ſufflat.

6 Dicit in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem, quia mali expers *ero*.

7 Execratione os eius plenum eſt & fraudibus atque dolo: ſub lingua eius *latet* moleſtia & iniquitas.

8 Sedet in inſidiis vicorum: in latebris occidit innoxẽtem: oculi eius in pauperem intenti ſunt.

9 Inſidiatur in abſcondito, ſicut leo in ſpelunca: inſidiatur ad abripiendũ pauperem: *diſcerpit* pauperem attrahẽs eum in rete ſuum.

10 Deiicit & deprimit *ſe*, & cadit in vires eius turba pauperum.

11 Dicit in corde ſuo, oblitus eſt Deus: abſcondit faciem ſuam: non videbit in perpetuum.

12 Exurge Iehoua Deus: eleua manum tuam: ne obliuiſcaris pauperum.

13 Quamobrẽ improbus inſultet Deo? dicet in corde

quam fore vt iſta inquiras?

14 Tu certè iſta intuitus es, obſeruas enim ſiquis alium ladat aut laceſſat: vt eum comprehenſum coram te ſiſtas: in te recumbunt inopes, & pupillos tuendos ſuſcepiſti.

15 Confringe iſtius improbi ac ſcelerati robur: inquire in ipſius ſcelus, vt ſtatim è medio ſublatus nuſquam appareat.

16 Iehoua Rex aternus prophanos è terra ſua diectos peſſundabit.

17 Inopum vota exaudit Iehoua: confirmas cor eorum: aures illiu accommodas.

18 Pupillos & oppreſſos aſſere, ne terreni iſti homunculi perpetuam tyrannidem exerceant.

ſuo, non requires?

14 Vidiſti, quoniam tu moleſtiam & vexationem conſideras, vt ponas in manum tuam: ſuper te relinquetur pauper, pupillo tu eris adiutor.

15 Confringe brachium mali & ſceleſti: quæres malitiam eius & non inuenies.

16 Iehoua Rex eſt ſeculi & ſemper: perierunt Gētes è terra eius.

17 Deſideriū pauperū exaudis Iehoua: confirmas cor eorum: attendis aure tua.

18 Vt aſſeras pupillos & opreſſos ne pergat amplius terrere homo de terra *id eſt ſumptus de terra, vel terreus*.

Idem Pſalmus decimus, monocolos, carmine Iambico trimetro acatalectico.

```
U–  U–  U–  U–  U–  U–
––  UUU UUU     UU–
UU–     ––
UUU     –UU
        UU–
```

1 IRate quoúſque, ſtabis ô Deus, procul,
Anguſtiáque miſerum in ipſa deſeres?
2 En impius inopem ferociter premit,
Fac ipſe pereat mortis artifex ſuæ.
3 Ipſius vt qui numinis ſpretor, nefas
Audax in omne, ſcelere in ipſo gaudeat.
4 Elatus expendit nihil niſi quod libet,

Es

Et numen ipsum videt impiè vafer.
5 *Rebus secundè sibi cadentibus ebrius,*
Securus ipsi quid mineris cælitus,
Quos odit, haliti posse solo subrui,
6 *Seq, ævum im omne fore beatum somniat.*
» *Namq, orbis ipse fractus vt præceps ruat,*
» *Extra ruinæ se putat periculum.*
» 7 *Periuriis ora tumet atque fraudibus,*
» *Iniuriæ & damna eius insident gulæ.*
» 8 *Omnes viarum, instar latronis, exitus,*
» *Inde innocentes perditurus, obsidet.*
» *Venator arcu qualis intento, feras*
» *Prædator iste talis inhiat pauperem.*
» 9 *Qualis reducta ex valle prorepit leo,*
» *Sic iste miseris sævus imminet, imminet.*
» 10 *Expansa qualis seruat anceps retia,*
» *Iacens modò, modò deprimens, studio caput,*
» *Ita iste furtim inopem allicit, & heu, fortibus*
» *Tandem vnguibus miseros caternatim rapit.*
» 11 *Dein (qui est furoris cumulus) hæc vel non videt,*
» *(Inquit) Deus, vel si videt obliuiscitur.*
12 *At tu, Deus, consurge, & erecta manu,*
Te pauperum memorem potens ostendito.
» 13 *Impune vero te impius deriserit?*
» *Te impune scelerum denegarit vindicem?*
» 14 *Tu cuncta cernis, factaq, malorum annotas*
» *Suoque sumis tempore vigil in manus.*
» *Hinc pauper in te intentus vnum respicit,*
» *O qui es salus orborum, & vnicus parens.*
15 *Agedum scelestum & impium istum contere,*
Vt nec sibi quæsitus vsquam appareat.
16 *Semel profanis vt tuo pulsis solo,*

Colare ſeclis Rex perennis omnibus.
17 *Age miſerorum vota qui exaudis Deus,*
Firmato corda tuorum, & accipito preces.
18 *Inopem & pupillum vindex aſſerito manu,*
Vaſa iſta terrea ne amplius nos terreant.

Pſalmus vndecimus παραινθητικός.

Argumentum & vſus Pſalmi vndecimi.

Docet Propheta pios in hoc mundo eſſe auicularum ſimiles, quæ propter venatorum inſidias incertis ſedibus coguntur oberrare: nec tamen propterea audiendos qui deſerendam ſtationem putant, quaſi vel temerè ferantur res humanæ, vel pij ſint alioqui perituri. Tandem enim exitum ipſum demonſtrare, Dei prouidentia res omnes ac ſingulas adminiſtrari, qui neque in ſe ſperantes deſerat, neque ſui contemptores inultos ſinat. Et videtur Dauid hunc Pſalmum edidiſſe, ſtudentibus aulicis per amicitiæ ſpeciem illum aula extrudere, quaſi alioqui à Saule occidendum, quod ille ſibi niſi extrema neceſſitate adacto faciendum non putauit.

Eiuſdem Pſalmi vndecimi

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *CONfido Iehoua: quinam dicitis quaſi vita mea conſulentes, Anolato in montem veſtrum?*	1 IN Iehoua confido, quomodo dicitis animæ meæ, profugite in montes veſtros ſicut auis?
2 *Nam ecce, inquitis, impij apoſuerunt pedem arcui, ipſaſque adeò ſagittas neruo adaptant, rectos corde clanculum tranſfixuri.*	2 Certè ecce mali pede premunt arcum: firmant ſagittas ſuas ſuper neruum vt iaculentur in occulto aduerſus rectos corde.
3 *Et quum fundamenta ipſa collabantur, iuſtus quid agat?*	3 Quandoquidem fundamẽta deſtruuntur: iuſtus quid agat?
4 *Iehoua in templo ſancto ſuo reſidet. Iehoua in cælis thronũ obtinet: oculi ipſius ſingula*	4 Iehoua *eſt* in templo ſancto ſuo: Iehoua in cœlis ſolium eius: oculi eius aſpiciunt:

perspiciunt: palpebris explorat mortales.

5 *Iehoua scrutatur tum bonos tum malos: eum autem qui sceleribus gaudet summo odio prosequitur.*

6 *Scelerates carbonibus & igne & sulphure & vento adurente compluet, quæ potio est ipsis assignata.*

7 *Iustus enim Iehoua iustitiã diligit, & ob oculos semper eos habet qui rectum sequuntur.*

aspiciunt: palpebræ eius explorãt filios hominis.

5 Iehoua iustum approbãt: impium vero & diligentem iniquitatem odit anima eius.

6 Pluet super impios prunas ignem & sulphur, & vẽtum adductionũ, portionem calicis eorum.

7 Quoniam iustus Iehoua iusticiam diligit: rectum vident facies eius.

Idem Psalmus vndecimus, dicolos distrophos. Primus & tertius est trochaicus acalecticus.

Secundus & quartus sunt trochaici dimetri catalectici.

1 *MEnte quum tota in Deum tutus recumbam,*
Cur fugacis alitis
More, sic necis metu auios recessus
Vultis vt petam celer?

2 *Nam suos iam, (dicitis) tetendit arcus,*
Iam sagittas impius
Admouet neruo, intimis vt vsque ab antris
Innocentes sauciet.

3 *Et labantes ipsius minentur orbis*
Quum ruinam cardines,
Perditis rebus quid hic agat, periclum

Iustus accersens sibi?
» 4 *Ecce cœli vertices supra corusci*
» *Aureo Deus ex throno,*
» *Quisque quid paret, quid infra moliatur,*
» *Acribus oculis notat.*
» 5 *Hinc throno ex alto à bonis recto scelestos*
» *Diuidens discrimine,*
» *Vt fauere illis solet, sic hos rebelles*
» *Pectore odit intimo.*
» 6 *Inde pruinas, sulphur, ignes turbinésque*
» *Voluet impetu ruens.*
» 7 *Ista nanque illis Deus propinat ille,*
» *Qui bonus fauet bonis.*

Psalmus duodecimus εὐκτικὸς.

Redacta interdũ in has angustias Ecclesia, vt quibusuis impune quiduis audẽtibus seu vi seu dolo perpetrare, omnia videri possint deplorata; docet nos hic psalmus nihilominus Deum certa fiducia inuocare. Quum enim ipsius & voluntas & fides sint certissimæ, statuere prorsus oportet ipsum exaudire suorũ gemitus quos oportunè soletur, & vicissim optimè nosse improborum scelera quæ suo tempore vlciscatur.

Eiusdem Psalmi duodecimi.

PARAPHRASIS.

ADes seruator Iehoua, sublati sunt enim charitate praditi, & fidei tenaces versari inter homines desierunt.

2 *Alius alium etiam amicum fraudulenter alloquitur, verbis blandientes, & animis alternantes.*

3 *Excinde, Iehoua, linguas istas assentatrices, & tam superbè*

INTERPRETATIO.

1 SErua Iehoua, quoniam consumptus est pius: quoniam imminuti sunt fideles à filiis hominum.

2 Falsum loquuntur quisque ad proximum suum; labio blanditiarum in corde & corde loquuntur.

3 Excindat Iehoua omnia labia assentationũ & linguas loquentes

ſeſe efferentes:

4 *Nos, inquiunt, loquẽdo quid uis obtinebimus: nobis dicere quicquid libet licet: quis enim nobis dominatur?*

5 *At Iehoua, nunc tandem, inquit, propter iſtos tam immaniter oppreſſos, & propter gementes miſeros inſurgam, & ab iſtis irretitos in tuto conſtituam.*

6 *Eloquia Iehoua, eloquia pura ſunt, & velut recoctũ argentum ac ſepties purgatum.*

7 *Tu igitur Iehoua illos ſingulos tuere, & aduerſus iſtud hominum genus perpetuò cõſerua.*

8 *Paſſim enim oberrant impij, hominum deterrimis in ſummum faſtigium euectis.*

loquentes magnifica.

4 Qui dicunt lingua noſtra prævalebimus: labia noſtra nobiſcum ſunt: quis Dominus nobis?

5 Propter vaſtationem eorum qui opprimuntur, propter gemitum egenorum, nunc exurgam dicit Iehoua: ponam in ſalute eos quos illaqueauit.

6 Eloquia Iehouæ eloquia pura: argentũ coctũ in catino terreo purgatũ ſepties.

7 Tu Iehoua cuſtodies eos: ſeruabis eum à generatione iſta perpetuò.

8 Circumquaque impij ambulant: dum exaltantur viliſſimi inter homines.

Idem Pſalmus duodecimus monocolos, carmine Iambico trimetro acatalectico, vt decimus.

1 *SErua Deus. Nam quem innocem mortalium?*
Nec ſorte dira quiſquam amici tangitur,
Nec eſt fidem qui nolit vltrò frangere.

2 *Certant ſodalem fallat ecquis blandius,*
Sentire mente aliud, loqui aliud, nil pudet.

3 *At tu, Deus, labra iſta ſubdola diſſeca,*
Tamq́, impudenter mentientes deſtrue.

4 *Nos, inquiunt, quiduis loquemur fortiter,*
Namq́, ora quiſnam noſtra nobis obſtruet?

5 *Ego (inquit Deus) obſtruam; clamoribus*
Opprobriiſq́, motus innocentium,

Quos ipse vestris explicabo retibus.
» 6 *Hæc ille, cuius voce mundus nihil,*
» *Qui verba fundit puriora quolibet*
» *Auro, caminis vel recocto septies.*
7 *Tuo innocentes ergo præsidio tege,*
Et omne in æuum ab his tuere pessimis.
8 *En impios passim, quibus florentibus.*
Veh ter quaterque cæteris mortalibus.

Psalmus decimustertius ἐυκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi decimi tertij.

Docet nos Propheta, quò deploratior est in mundo Ecclesiæ status, eò ardentius Deum inuocare & tanto constantius illi fidere, nunquam irritis futuris sanctorum precibus.

Eiusdem Psalmi decimitertij.

PARAPHRASIS.

1 *QVādiu Iehoua mei prorsus eris immemor? quādiu tuum à me vultum subduces?*
2 *Quandiu consilia sollicitè intus agitabo, & meipsum discruciabo? quandiu meo capiti hostis ille meus imminebit?*
3 *Respice me: exaudi me, Deus mi: restitue lumen oculis meis, ne lethali somno obdormiam.*
4 *Ne quando dicitet hostis quòd me superarit, & qui me opprimunt exultent quòd ego corruerim.*
5 *Ego certè bonitati tuæ cõfido, certus futurum vt meum hoc*

INTERPRETATIO.

1 QVousq; Iehoua obliuiscéris mei penitus? Quousque abscondes faciem tuam à me.
2 Quandiu disponam consilia in anima mea? anxietatē in corde meo quotidie? vsquequo exaltabitur inimicus meus supra me?
3 Respice, exaudi me Iehoua Deus meus: illumina oculos meos, ne obdormiã in morte.
4 Ne quando dicat inimicus meus, prævalui ei: ne coarctatores mei exultēt, postquam labsus fuero.
5 Ego autem in bonitate tua confido: exultabit cor meũ in

cordolum aliquando abs te liberatum gaudio perfundatur, & te canam, Iehoua, cuius benignitatem reipsa futrum experiar.

in salute tua: cantabo Iehouæ, quia benefecit mihi.

Idem Psalmus decimustertius monocolos, carmine Iambico dimetro acalectico.

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– – – –

1 *AH me quousque negliges?*
Quousque depelles procul?
2 *Quousque mentis anxius,*
Et huc & illuc differar?
Hostis quousque sub iugum
Hoc triste demittam caput?
3 *Ah me Deus mi, respice,*
Commotus his clamoribus:
Mœrore cæca lumina
Splendore læto recrea:
Ne me dolori non parem
Letbalis opprimat sopor:
4 *Neu me subactum iam sibi*
Superbus iste prædicet,
Meisque lætus casibus
Insultet hostis arrogans.
5 *Tua, potens, ab unica*
Benignitate pendeo:
Malisque in ipsis gaudeo
Tuæ salutis præscius,
Tibique vindex vnice,
Festis lito iam canibus.

Psalmus decimusquartus διδακτικός

Argumentum & vsus Psalmi decimiquarti.

Continet hic psalmus tristissimam descriptionem hominis ψυχικῦ, siue non regeniti, vt ipse Paulus explicat Ro. 3. 10: quæ tum intelligentiæ, tum voluntatis deprauatio, præcipuè spectandam se præbet in illo capitali perpetuóque odio quo mũdus Ecclesiam persequitur. Iubet tamen Propheta verum Israelem bono fortique animo esse: Messiæ venturi expectatione fretum. Idem igitur multò magis nobis nunc præstandum est, quum Christus iam aduenerit & mysterium omne nostræ salutis impleuerit: cuius tamen aduẽtum posteriorem adhuc cum vetere populo expectamus, tum demum videlicet in vera patria nostra collocandi.

Eiusdem Psalmi decimiquarti.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *VSque adeo vesanos esse homines vt sibi tandem persuadeãt Deum nullum esse, ex eo constat quòd omnes sunt deprauati: omnes sese reddunt execrabiles: & ne vnus quidem eorum rectè vitam instituit.*	1 DIxit insanus in corde suo, nõ est Deus: corrupti sunt, abominabiles facti sunt studio, non est qui bene agat.
2 *Iehoua ipse, quem nihil latet, cælo contemplatus homines, vt videret ecquis ipsum nosset ac requireret.*	2 Iehoua ex cœlo prospexit super filios hominum, vt videret an esset aliquis intelligens *aut* requirens Deum.
3 *Comperit omnes ab ipso deflexisse, omnes simul fatere, & ne vnum quidem esse qui rectè vitam instituat.*	3 Omnes deflexerunt, simul fætent: non est qui bene agat, ne vnus quidem.
4 *An non verò prorsus insaniũt isti scelerati, plebem Deo sacram vorantes tanquam panem, & Iehouam non inuocantes?*	4 Nonne intelligẽtia carent omnes *isti* scelerati, vorantes plebem meam *sicut* deuorant panem, & Iehouam non inuocantes?

5 Illic

3 *Atqui tempus erit quo non minus trepidabunt quam nūc sunt securi. Deus enim iustorum genus tuetur.*

4 *Ludibrio scilicet habetis consilium eorum quos opprimitis, sed Iehoua est eorū perfugiū.*

7 *Ah, vtinam tandem ex Sione prodeat ille Israelis liberator! Nam tum demum exultabit Iacob, tunc in latitiam solvetur Israel, quum Iehoua captivos suos reduxerit.*

5 Illic trepidabunt trepidatione: quia Deus est cum generatione iustorum.

6 Consilium oppressi pudefacitis, Sed Iehoua est protector ejus.

7 Quis dabit ex Zion salutē Israelis? vbi reduxerit Iehoua captivos populi sui exultabit Iacob, lætabitur Israel.

Idem Psalmus decimusquartus, dicolos distrophos, priore versu heroico hexametro, altero dimetro Iābico acatalectico.

» 1 O *Quo non homines furor abripis? impius ecce*
Omne Tacitus numen negat.
» *Hinc vitia, hinc quæcūq; homines teterrima patrāt:*
» *Vt sit bonus ne vnus quidem.*
» 2 *Ipse Deus summa cæli qui considet arce,*
» *Et inde cuncta despicit,*
» *Scrutatus, sapiens tot tandem ex millibus ecquis*
» *Studiosus esset numinis,*
» 3 *Defeciſſe omnes, omnes ad turpia ferri,*
» *Vah, vsque ad vnum comperit.*
Et mox. Quisnā, inquit, stupor hic? quid panis ad in- (star
Meos voram crudeliter,
4 *Nec scelus hoc nouisse suum, neque numinis iram*
Mihi deprecari supplices?
5 *Atqui tempus erit, quo iustos asserat ille*
Et vos trematis impij,
6 *Religio nunc nulla quibus ridere miſellos,*

Vndique fidentes Deo.

7 *Ah quando tandem promissa ex arce Sionis*
Salus tua aderit, Israel?
Gaudia tunc liber testabere voce Iacobe,
Tunc Israel letabere.

Psalmus decimus quintus, Διδακτικός.

Argumentum & vsus Psalmi decimiquinti.

Propheta descriptis superiore psalmo manifestis Ecclesiæ hostibus, nūc describit quinam à Deo censeantur veri & nunquam expungendi Ecclesiæ, siue æterni regni cælestis ciues, hypocritis oppositi, qui licet in ipso Ecclesiæ sinu versentur, adeoque interdum ad ipsius gubernacula sedeant; tamen ex Ecclesia non sunt, vtcunque sese falsa pietatis opinione, & alios ementita religionis specie decipiant. Docet ergo veros Dei cultores ex iis discerni non quæ sint bonis & malis communia, id est ex cultus externi obseruatione, sed quæ sint verè bonorum propria: mentis videlicet apud Deum integritate, & probitate minime fucata erga homines, quod vtunque non verbis duntaxat, sed sanctè & iustè comparata vita testentur. Deniq; quædam istiusmodi sanctæ & iustæ vitæ præcepta sigillatim tradit, cuiusmodi sunt.

Alienum esse ab omni furto & fraude.
Nemini obtrectare.
Ab omni inferenda iniuria abhorrere.
Calumnias odisse.
Sceleratos auersari.
Dei timentibus sese adiungere.
Iurisiurandi religioni omnia sua posthabere.
Commoda ex cuiusquam damno nunquam captare.
Iudicia incorruptè exercere. Addit denique certam & luculentam promissionem nunquam à Deo deserendos, sed certa ac immota felicitate apud ipsum fruituros, quicunque hunc vitæ cursum tenent.

Eiusdem Psalmi decimiquinti.

PARAPHRASIS.

1 *CEdo Iehoua, quisnam ex tabernaculi tui tot inco-*

INTERPRETATIO.

1 IEhoua quis commorabitur in tabernaculo tuo?

Quis

lis, in isto sancto monte tuo in æternum permanebit?

2 *Qui mente integra, & ab omni fuco aliena, iustitiam colit.*

3 *Cuius lingua non est obtrectatrix: qui proximum neque vi aperta, neque per calumniam ladit.*

4 *Qui sceleratos auersatus, Dei timentes colit: qui damnum potius pati vltrò malit quam datam fidem fallere.*

5 *Qui pecuniam alterius damno non mutuat, neque munere corruptus in sontem damnat.*

6 *Quisquis ita se gerit, certissima & prorsus immota felicitate perfruetur.*

Quis habitabit in monte sancto tuo?

2 Qui incedit integer, & facit iustitiam: & loquitur veritatem in corde suo.

3 Qui nō detrahit lingua sua: non afficit sodalem suum malo: nec opprobrium excitat contra propinquum suum.

4 Vilis est in oculis eius homo nihili, sed timentes Iehouā honorat: iurat damno suo & non mutat.

5 Argētum suum non fæneratur: & munus aduersus innocentem non accipit.

6 Qui facit hoc, non mouebitur in æternum.

Idem Psalmus decimusquintus monocolos, carmine heroico hexametro, vt psalmus octauus.

» 1 *ECquis erit, Deus alme, tuo qui numine tutus*
» *Septa colat sacrata tibi, sanctóque receptus*
» *Monte tuo felix æternos exigat annos?*
» 2 *Scilicet integro simplex cui pectore candor,*
» *Cui iusti stat vita tenax: cui conscia veri*
» 3 *Pectora; cui nullo temerata est crimine lingua:*
» *Alterius lædi nomen qui ferre recusat,*
» *Insonti nedum vt noceat periurus amico:*
» 4 *Qui scelerum artifices odio auersatus acerbo,*
» *Mente colit tota veræ pietatis amantes:*
» *Qui simulac promissa fides, incommoda malit*
» *Mille pati, quàm iuratæ periuria linguæ:*

„ 5 *Infames numerat nullos qui fœnore nummos,*
„ *Nec vitam insontis scelerato vendidit auro.*
„ *Hac quisquis vitam ratione exegerit, ille*
„ *Ille Dei fælix æternùm monte quiescet.*

Psalmus decimussextus εὐχαριστικὸς. καὶ προφητικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi decimisexti.

In hoc psalmo Dauid quasi extrà se abreptus agnoscit regnum quo potiebatur sibi immerenti à Deo collatum, cuius etiam vnius ope ritè & sicuti par est illud regere & administrare possit. Deinde quum plerumque soleant homines istiusmodi imperiis ad luxum abuti, duplicem sibi prorsus alium scopum proponit: nempè veram & seriam diuini cultus, abolita omni idolomaniæ specie, instaurationem, & sedulam piorum defensionem. Postremò testatur sese alterius æterni sibi promissi regni memorem, eò semper oculos in ipsa etiam morte conuersurum, atque adeo cum hac spe hilarem in ipsum vsque sepulchrum descensurum: quoniam videlicet Messiæ virtute fretus, morituri quidem, sed prius reuicturi quàm corruptionem vllam in sepulcro sentiat, sit & ipse resurrecturus, & æternæ ipsius beatitudinis particeps futurus. Est igitur hic psalmus inter cæteros planè Spiritu prophetico conscriptus. Continet enim insignem doctrinam de Magistratuum origine, iure & officio: doctrinam Pharisaicam de operum etiam fidem consequentium meritis manifestè coarguit: Christi denique resurrectionem, itémque eius in nobis quoque à morte excitandis efficacitatem (interpretibus Petro ipso Act. 2. 25. & Paulo Act. 13. 34.) non tã vt Propheta prædicit, quam vt Euangelista describit. Et quum Messiam CHASID appellat (id est, vt ego interpretor, eum hominem in quem pater omnem suam gratiam ac beneficentiam plenissimè effudit, quam ex ipso vno per fidem haurimus) vno verbo videtur Euangelicæ doctrinæ summam complexus.

Eiusdem

Eiusdem Psalmi decimisexti.

PARAPHRASIS.

1 CVstodi me Deus, Nã tu
is es demum cui confido.
2 Tu anima mea Iehouã
sic compella, Tu demum es
Dominus meus, neque tamen
à me quicquam proficisci po-
test quod tibi commodet.
3 Sed sanctis & præclaris illiu
hominibus iuuandis qui me-
cum sunt in terris, summa cũ
voluptate insigilo.
4 Miseri certè sunt modis omni
bus qui numen aliud quarit-
ant. Absit igitur vt eorum
immania & cruenta sacra
participem, qua vel ore ipso
mihi religio est enuntiare.
5 Tu Iehoua portio mea es, tu
meum demensum, tu mihi vi-
tus pro omnibus sufficis.
6 Et certè amœnissimus locus,
& hæreditatu portio longè
pulcherrima mihi obuenit.
7 Ago & agam tibi de eo gra-
tias, Iehoua, quòd hoc consi-
lium mihi suggesseris, méque
per ipsas etiam singulas noctes
intus erudias.
8 Habui & habebo te Iehoua
semper ob oculos, tantisper ni-
mirum dum mihi ad latus ad-
sueris, immotus futurus.
9 Propterea cor mihi salit, &
hac lingua mea exultat, imò
& hoc ipsum meũ corpus se-
curum ne mortẽ quidem per-
timescit.

INTERPRETATIO.

1 CVstodi me Deus quo-
niam in te confido.
2 Dic Iehouæ, *anima*
mea, Dominus meus es tu:
beneficentia mea non ad
te.
3 In Sanctis qui sunt in ter-
ra, & honorandis, omnis
mea voluptas *sita est*.
4 Multiplicãtur dolores eo-
rum *qui* ad alium festinant
non libabo libamina eo-
rum sanguinolenta, nec as-
sumam nomen eorum su-
per labia mea.
5 Iehoua *est* sors portionis
meæ & calicis mei: tu su-
stentas sortem meam.
6 Funes ceciderunt mihi in
locis amœnis vtique hære-
ditas pulchra est mihi.
7 Benedicam Iehouæ, qui
cõsuluit mihi etiam nocti-
bus *quibus* erudiunt me re-
nes mei.
8 Posui Iehouam in con-
spectu meo semper: quo-
niam ad dextrã meam *est*,
non mouebor.
9 Propterea lætatum est cor
meum: & exultat gloria
mea: etiam caro mea quie-
scit securè.

10 *Nec enim me deseres in sepulcro, vt qui passurus non sis vt tuus ille tibi gratissimus & in quem benignitatẽ omnem tuam effudisti, corruptionem sentiat.*

11 *Tu mihi aditum ad veram illam vitam patefacies. Nam gaudiũ quo verè expleri possit animus, in tui conspectu situm est, & tuũ vnius est sempiternam latitiam largiri.*

10 Quoniam nõ derelinques animam meam in sepulcro: nec finies vt tibi acceptus videat corruptionem.

11 Notam mihi facies semitam vitæ: satietas lætitiarum est in conspectu tui: suauitates in dextera tua semper.

Idem Psalmus decimusextus monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo, vt secundus.

1 *Fidentem tibi, mi Deus, tuêre,*
2 *Dic & tu quoque corculum misellum,*
Vnus tu Dominus mihi, Deúsque,
Nec quidquam tibi gratiæ referre
Aut prodesse tibi queam vicissim.
3 *Sed si quis pietate notus vsquam,*
Si quis integer, hunc amo coloq́,
Toto pectore, & intimis medullis.
4 *At hos numina falsa qui deorum*
Tam colunt auidè, noui dolores
AEruminæq́ manent nouæ subinde.
Horum ergo execror execranda sacra,
Infæmésque putri cruore cultus:
Quorum religio est mihi, vel ipsa
Solis nomina mussitasse labris.
5 *Tu fundus mihi, tu calix abundè*
Cunctas sufficiens beatitates.
6 *O quæ prædia, quæ mihi obtigerunt*

Opes

Opes, consilium tuum sequuto,
7 *O me qui monitis tuis gubernas*
Noctes, summe Deus, diesq; totos!
8 *Quem modò ante oculos, modò hinc & inde*
Ad latus video meum assidere,
Cunctorum impauidus periculorum.
Hinc cor lætitia salit redundans,
9 *Hinc in gaudia lingua tota fertur,*
Ipsum hinc denique conquiescit omni
Leuatum penitus pauore corpus.
10 *Nam tu me minimè cauo in sepulcro*
Linques, nec tumulo sines edaci
Iacentem in cineres tuum hunc resolui,
» *Quem tu præcipua benignitate*
» *Vnum præ reliquis, Deus, beasti,*
» 11 *Quin vitæ potius viam perennis*
» *Te duce ingrediar, beatitate*
» *Vt felix potiar fruárque plena,*
» *Quam vultu placidus sereniore*
» *Benignáque tuis manu refundis.*

Psalmus decimusseptimus

εὐχλικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi decimiseptimi.

Docet nos hic psalmus quum vel ipsâm religionẽ vel pios eius professores persequuntur tyranni, rectam tamen conscientiam seruare, & à Deo liberationem petere. Docet etiam quod Christus demonstrat in epulonis illius & pauperis vlcerosi Lazari parabola siue historia, nempe diuites sceleratos in hac vita saginari, in altera perituros: contra verò sanctos ærumnis hic premi, vt meliora sperare discant, quæ spes illos non fallet.

Eiusdem Psalmi decimiseptimi

PARAPHRASIS.

1 AVdi Iehoua quod iustum est, attende clamori meo: auribus accipe quas tibi absque vlla simulatione preces fundo.

2 Prodeat sententia secundum me a tribunali tuo: & ostende tibi perspecta esse quæ recta sunt.

3 Tu ipse cor meum scrutatus es nocte, exploratum examinasti, neque me in culpa esse deprehendisti, verbaliter in istos affectum quam os meum testatur.

4 Ego, quod ad istos homines attinet, ita me gessi vt quemadmodum iubes, sedulò caverem semitam à prædonibus tritam

5 Sustenta me igitur vijs tuis gradientem, ne ambulans vacillem.

6 Inuoco te, exaudi me Deus: prabe attentas aures, & verba mea exaudi.

7 Exere omnem illam mirificam tuam clementiam, tu seruator eorum qui in te sperant aduersus eos qui in tuam ipsius potentiam insurgunt:

8 Custodi me quasi oculi pupillam, & alarum tuarum vmbraculo protege.

9 Aduersus istos sceleratos qui me destruunt, hostes inquam vndique mihi tanta cum a-

INTERPRETATIO.

1 AVdi Iehoua iustitiam iustam causam, attende clamori meo: auribus percipe orationem meam qua fit absque labijs fraudulentis.

2 A facie tua iudicium mei prodeat, oculi tui aspiciant rectitudines.

3 Probasti cor meum, inspexisti nocte, examinasti me, nihil deprehendisti: cogitatio mea non transgreditur os meum.

4 Quantum ad facta hominum, secundum verbum labiorum tuorum ego abstinui cani mihi à semitis latronum.

5 Sustenta gressus meos in semitis tuis: ne moueantur plantæ meæ.

6 Ego inuoco te: itaque exaudi me Deus: inclina aurem tuam mihi & exaudi sermonem meum.

7 Mirificato misericordias tuas, Seruator sperantium: ab his qui insurgunt contra dexteram tuam.

8 Custodi me vt pupillam filiam oculi: vmbra alarum tuarum absconde me.

9 A facie impiorum istorum qui me vastarunt: inimicorum meorũ qui pro anima

ad

uiditate imminentes.

10 *Supernatat ipsorum oculos pinguedo, & ferociter loquuntur.*

11 *Nostra quoque vestigia vndiquaque obseruant, in id vnum intentis oculis vt nos ad terram prosternant.*

12 *Etenim iste leonē refert præda inhiantem & leunculum ex lustris insidiantem.*

13 *At tu prodi Iehoua, vt eum potius prauentū deiicias tuoque gladio vitam meam isti scelerato ereptam conserua.*

14 *Eripe me, inquam, manu tua Iehoua, ab istis mortalibus, mortalibus inquam tam diu florentibus, qui præter hanc vitam nihil cogitant, quorum vitam depromptis etiam velut ex tuo penu delitijs ita exatias, vt ipsorum filijs atque adeò nepotibus supersit quod relinquant.*

15 *At ego iniuste ab illo nunc oppressus, tuo conspectu tandem perfruar, & experrectus téque intuens satiabor.*

ad necem circumdant me.

10 Adipe suo occluserunt *faciem suam*, ore suo loquuti sunt superbè.

11 Secundum gressus nostros nunc circumstant me, oculos suos adiecerunt ad *nos* prosternendos in terra.

12 Similitudo eius est quasi leonis desiderantis prædari, & quasi leunculi insidentis *suis* lustris.

13 Surge Iehoua, anteuerte ipsum, deiice eum, libera gladio tuo animam meam ab *isto* improbo.

14 Manu, inquam, tua, à mortalibus Iehoua à mortalibus qui sunt à seculo, quorum portio *sita est* in *hac* vita: & quorum ventrem imples ex tuo penu, qui relinquunt residuum suum paruulis suis.

15 Ego *vero* innoxius videbo faciem tuam, satiabor quū ad conspectum tuum euigilauero.

Idem Psalmus decimus septimus dicolos distrophos, primus & secundus versus est Iambicus dimeter a catalecticus.

⏑– ⏑– ⏑– ⏑– –
–⏑⏑ ––
–– ⏑⏑–
⏑⏑– –⏑⏑

Tertius est monometer catalecticus.

1 AEqua, Deus, audi postulantem
Audi eiulantem, audi precantem
Mendacijq; purum.
2 En ad tuum tribunal adsum,
Hinc iura quid ferant requiro,
Hinc tute iudicato.
3 Tu cor meum Deus probasti,
Et noctis ipsas per tenebras
Scrutatus es seuerè.
Fornacis examine probatum
Idem loquentem & cogitantem,
Tu me vsque comperisti,
» 4 Nil quid agerem reliqui moratus,
» Tuo ab ore dependens, latronum
» Prouidus iter refugi.
» 5 Tu me vijs tege ambulantem
» Tuis, graui ne pes vacillans
» Præceps eat ruina.
6 Certè audies, Deus, vocantem.
Audi ergo, nec meas querelas,
Bone, accipere recusa.
7 Hîc mira sese prodat illa
Bonitas, tuos seruans potenter,
Hostes feros retundens.
8 Tuêre me vt oculi pupillam,
Tuêre me alarum sub vmbra
Absconditum tuarum.
9 Hos impios, inquam, coërce,

Meum

Meum in vnius caput furente
Sic impetu ruentes.
» 10 *Rerum ſecundarum ſagina*
» *Turgent crepantes, & feroci*
» *Tonant ab ore quiduis.*
» 11 *Leonis inſtar, victu hiante,*
» *Modò irruentis, modò latente*
» *Repentis ex cubili,*
» 12 *Veſtigijs euntis inſtant,*
» *Vnum hoc ſtudentes, me repertum*
» *Vt obterant proterui.*
» 13 *At tu impium, Deus, anteuerte,*
Sterne hunc priorem, & me potente
Accinctus enſe ſerua.
14 *Ab his tua tu me tuêre*
Manu, bonis quos hæc caducis
Tot vita ſouit annos.
Tu dapibus iſtos paſce opimis,
Quin & ſimillibus quod relinquant
Nepotibus ſuperſit.
15 *At me iuuet recti tenacem,*
Tui vſque conſpectus beato
Fulgore recreari,
Et hoc ſemel ſomno ſolutum,
Tuo vnius vultu coruſco
Vſque ſaturum beari.

Pſalmus decimusoctauus εὐχαριστικὸς καὶ προφητικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi decimioctaui.

Quo tempore ſcriptum fuerit à Dauide hoc ἐπινίκιον conſtat ex 2. Sam. 22. & ipſius certa ac luculenta inſcriptione

quum videlicet diuictis omnibus hostibus, regnoq; non modo in sua gente constituto, sed etiam longè lateq; propagato, in hoc vnum esset intentus vt verè se non sui ipsius sed Dei vnius gloriæ prouehendæ causa regnare ostenderet. Et illud verè fatendum est, nullum scriptum extare eorũ etiam poetarum qui ingenii & eloquentiæ laude floruerunt cum isto comparandum, si vel ipsam vnam phrasin spectemus. Ad sententiam autem ipsam quod attinet, sic illa sua ingentia pericula describit, vt qui illa legit penè in mediis ipsis rebus versari sibi videatur: tam sublimi præterea scribendi genere, Dei in exercendo iudicio gloriam, summamque maiestatem veluti depingit, vt cælum ac terram inter legendum adhuc conquassari sentiamus: sic denique sibi concessas victorias narrat, vt eius triumphos oculis cernere videamur. Hæc autem vni Deo sic refert accepta, vt sibi ne tantillum quidem laudis tribuat, simulque certus ex prophetico spiritu, regnum istud, quantumuis florens, exemplum tamen esse duntaxat ac simulachrum æterni illius regni Messiæ ex ipso nascituri, ideo illuc vsq; progreditur, & omnes orbis terrarum populos hunc regem amplexaturos prædicit, interprete Paulo, Rom. 15. 9.

Eiusdem Psalmi decimioctaui

PARAPHRASIS.

Triũphale carmẽ Dauidis serui Iehouæ, quo Iehouã affatus est ex omnibus suis hostibus & manu Saulis ereptus. Tunc ergo sic loquutus est.

1 IEhoua robur meum, diligo te ex intimis visceribus meis.

2 Iehoua est petra & arx mea, liberator meus, Deus meus,

INTERPRETATIO.

Carmen triumphale Dauidis serui Iehouæ, cui carmen istud cecinit quum ab omnibus hostibus ac præsertim à Saule ipsum liberasset.

1 VNc igitur dixit. Ex intimis visceribus diligo te Iehoua fortitudo mea.

2 Iehoua est petra mea, & arx mea, & liberator meus, Deus

& rupes mea, perfugium meum, ſcutum meum, cornu quo hoſtem repello, & altum propugnaculum meum.

3 Iehoua etenim à me collaudatus & inuocatus liberauit me ab hoſtibus meis.

4 Mors ipſa me vinculis ſuis cõſtrinxerat, perditiſſimi homines inſtar rapidiſſimi torrentis expauefactum me circunſtabant.

5 Iacebam quodammodo fuſcijs ſepulchralibus obligatus & laqueis mortis irretitus.

6 Iehouam in his anguſtijs inuocaui, Deum inquam meum inclamaui, & ille vocem meã ex ſuo palatio exaudijt, excepto auribus clamore quẽ apud eum effundebam.

7 Illico terra conquaſſari & cõtremiſcere: ipſa montium fundamenta concuti, & illo irascente vacillare.

8 Ipſe verò fumum efflans naribus, ore toto flammas euomens, ignitas prunas eiaculans,

9 Cælos ipſos deſcenſurus inclinauit, caligine pedibus ipſius diffuſa,

10 Pennigeriũ cælitibus inequitans, & alis ventorum vectus:

11 Atra caligine vndique ipſius tabernaculum circũdante,

Deus meus, rupes mea: ad eum confugiam, ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, & ſublimem arcem meam.

3 Collaudatum inuocaui Iehouam: & ab inimicis meis fui liberatus.

4 Circundederant me funes mortis: & torrentes Belial terruerant me.

5 Funes ſepulchri circumdederant me: præuenerãt me laquei mortis.

6 In anguſtia mea inuocaui Iehouam, & ad Deum meum clamaui: audiuit ex palatio ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius peruenit ad aures eius.

7 Et commota eſt & tremuit terra: & fundamenta montium nutarunt, & ſeſe mouerunt, quoniam ira erat illi.

8 Aſcendit fumus per nares eius, & ignis vorax ex ore eius: prunæ ardebãt coram eo.

9 Et inclinauit cælos & deſcendit: & caligo *erat* ſub pedibus eius.

10 Et vehebatur ſuper Cherub, & volabat, & agitabatur ſuper alas venti.

11 Poſuit tenebras latibulum ſuum circa ſe, & tabernacu-

nimbisque densissimis nigerrimis tectus:

12 Donec eius rutilans splendor nubes ipsas perfringeret, & ignium globi circunsilirent.

13 Tandem calitus intonuit, & sonora illa voce, non sine grādine & fulgoribus, omnia cōplente.

14 Emissis igneis sagittis ac repetitu fulminibus hostes meos cōturbatos disiecit.

15 Tum ipsi aquarum gurgites, retectis mundi fundamētis apparuerunt, vsque adeò terribilis fuit tua increpatio, Iehoua, & vehemens ille ruens tui furoris impetus.

16 Sic igitur ille me, dextera celitus emissa apprehensum, ex illo profundo gurgite extraxit.

17 Ab hoste, inquam, illo prapotente & cateru hostibus quorum viribus opprimebar.

18 Nam illi quidem ex improuiso me prostratum penè contriuerant, sed ille mihi baculi instar fuit me sustinentis.

19 Méque ex istis angustijs erutum patente ac spacioso loco collocauit, quoniā sic ei visum est immerentem me complecti.

20 Habuit nimirum ille mei immeritò ab istis oppressi rationem, & ista insonti mihi tribuit.

lum suum, tenebras *inquam* aquarum, nubes ætheris.

12 Præ splendore coram ipso nubes eius transierunt: grando *adfuit* & prunæ ignitæ.

13 Tũc intonuit ex cœlis Iehoua: & altissimus edidit vocem suam, grandinem & prunas ignitas.

14 Et emisit sagittas suas & dissipauit illos: & fulgura multiplicauit & disiecit illos.

15 Tunc apparuerunt gurgites aquarum & retecta sunt fundamenta orbis: ab increpatione tua Iehoua & à flatu venti iræ tuæ.

16 Emisit manum ex alto, apprehendit me & extraxit me ex aquis multis.

17 Eripuit me ab inimico meo potente, & ab odio habentibus me, quoniam prævalebant mihi.

18 Prævenerant me die contritionis meæ: sed fuit Iehoua baculus mihi.

19 Eduxit me in spatiosum locum, & eripuit me, quoniam bene vult mihi.

20 Rependit mihi Iehoua secundum iustitiam meã: secũdum puritatem manuum mearum *ista* tribuit mihi.

21 Quia

21 Sum enim, quantumuis iſti me vexarent, viam mihi à Iehoua præſcriptam ſequutus, neq; vllù iſtorum iniuriù adduci potui vt à Deo ſicuti ſcelerati conſueuerũt deſciſcerẽ.

22 Immo ob oculos habui leges ab eo ſancitas, nec eius ſtatuta à conſpectu meo ſummoui.

23 Sed ſine fuco me geſſi cum illo, neque affectibus meis alioqui me extra vellis ſemitam abrepturis obtemperaui.

24 Habuit igitur ille mei immeritò ab iſtis oppreſſi rationem, & inſontem me reſpexit.

25 Benignum enim te benignis, & integris integrum exhibes.

26 Et ſicut iis qui ſyncerè incedunt te ſyncerum prabes, ita callidi callidiorem te experiuntur.

27 Nam vt aliquando tui valde vexentur, tu tamen illos ſeruas, & ſuperbè ſe gerentes improbos deprimis.

28 Hinc ille ſplendor quo facis vt depulſis tenebris ſplendeſcam.

29 Feciſti ſiquidem vt iſtas difficultates alacriter ſuperarem, & obiecta mihi mania tranſilirem.

30 Plana enim via eſt qua Deus nos ducit: ſermo Dei eſt purgatiſſimus: omnes ipſi fidentes Deus quaſi clypeus tuetur.

21 Quia obſeruaui vias Iehouæ: neque impiè deſciui à Deo meo.

22 Omnia iudicia eius coram me: & ſtatuta eius non abieci à me.

23 Et fui integer eum eo: & continui me ab iniquitate mea.

24 Itaque rependit, Iehoua mihi ſecundum iuſticiam meam, ſecundum puritatẽ manuum mearum, coram oculis eius.

25 Erga benignũ exhibes te benignũ: & erga virũ integrum exhibes te integrum.

26 Erga purum exhibes te purum: & aduerſus diſtortum te diſtortum præbes.

27 Itaque populum oppreſſum ſeruabis: & oculos ſuperbos deiicies.

28 Ideo accendis lucernam meam: Iehoua Deus meus illuſtrat tenebras meas.

29 Nam per te cucurri expeditus: & per Deum meum tranſiliui mœnia.

30 Dei integra via eſt: ſermo Iehouæ excoctus, clypeus eſt omnibus confidẽtibus in ipſo.

31 *Nam quis Deus est præter Iehouam? & quis est potens præter Deum nostrum?*

32 *Is me robore accinxit, & viã mihi communiuit.*

33 *Agilitatem mihi ceruis ipsis patrem tribuit, meque in tutis & editissimis locis collocauit.*

34 *Manus meas docuit præliari, & tantum mihi robur conciliauit, vt arcum æreum hisce brachiis meis possim confringere.*

35 *Tu me scuti tui præsidio seruasti, meque dextera tua labentem pro ingenti benignitate tua fulciuisti.*

36 *Tu fecisti vt extra angustias securus incederẽ, & vacillantes plantas meas retinuisti.*

37 *Itaque hostes meos persequutus sum & assequutus, nec prius sum reuersus quàm illis ad internecionem cæsis.*

38 *Sic illos prostraui vt surrigere se non potuerint pedibus meis calcati.*

39 *Quia videlicet tantum mihi robur subministrasti, vt qui in me insurrexerant præcipites ceciderint mihi ad pedes.*

40 *Feciſti vt ceruicem mihi feriendã præbuerint, vtq; perdiderim qui me persequebãtur.*

41 *Clamarunt tamen, fateor, & quidem ad te Iehoua: sed tu illos non liberasti, neque clamantibus respondisti.*

31 Nam quis est Deus præter Iehouam? & quis potens præter Deum nostrum?

32 Is Deus accinxit me robore & cõplanauit viam meã.

33 Ad æquauit pedes meos *pedibus* ceruarum: & super arces meas statuit me.

34 Is est qui instruxit manus meas ad prælium: adeò vt contereretur arcus æreus brachiis meis.

35 Et præbuisti mihi scutum salutis tuæ, & dextera tua fulciuit me: & benignitas tua auxit me.

36 Dilatasti gressus meos subtus me, & non nutarunt tali mei.

37 Persequutus inimicos meos, comprehendi illos: nec sum reuersus, donec consumpsissem eos.

38 Percussi eos, nec potuerũt surgere: ceciderunt subtus pedes meos.

39 Nã præcinxisti me robore ad bellum: fecisti subtus me curuari insurgentes aduersus me.

40 Et inimicorum meorum præbuisti mihi ceruicem: & osores meos perdidi.

41 Clamarunt, nec adfuit eis Saluator: ad Iehouam, & non respondit eis.

42 Et

42 Itaque cõminui illos, vt pulueri similes fuerint quem dissipat ventus: & illos conculcaui tanquam lutum quod pedibus ambulantium teritur.

42 Et comminui illos, vt pulueres coram facie venti: sicut lutum platearum attriui eos.

43 Quinetiam à domesticis & intestinis turbis me liberasti: atque adeò fecisti vt in gentes mihi antea ignotas imperium obtineam.

43 Liberasti me à seditionibus populi: imposuisti me caput gentibus: populus quem non noram, factus est seruus mihi.

44 Ignoti, inquam, populi iubenti mihi obtemperãt, & alienigenæ præ metu sese mihi inuiti subyciunt.

44 Ad auditũ auris obediunt mihi: alienigenæ mentiuntur mihi.

45 Alienigenis concidérunt animi, adeò vt in suis quoque remotissimis præsidijs sint consternati.

45 Alienigenæ emarcuerunt & consternati sunt è penetralibus suis.

46 Viuat Iehoua, agnoscatur & colatur ab omnibus, sicuti meretur, præsidiũ illud meum: Deus liberator meus vbique prædicetur.

46 Viuat Iehoua, & benedicta sit rupes mea: & exaltetur Deus auctor salutis meæ.

47 Deus, inquam, ille meus vindex, & qui tot mihi populos subiecit.

47 Deus qui dat vindictas mihi: & subdit populos sub me.

48 Tu me asseruisti ab inimicis meis, eruisti me ab ijs qui in me insurrexerant, & illi homini truculento eripuisti.

48 Qui me asseruisti ab inimicis meis, & ab insurgentibus in me eruisti me: & à viro violento eripuisti me.

49 Propterea te inter prophanas gentes ipsas celebrabo, & nomini tuo psallam.

49 Propterea celebrabo te inter gentes, Iehoua: & nomini tuo psallam.

50 Nam certè Regem tuum magnificè seruasti, neque ipsum duntaxat Dauidem regem abs te vnctum, sed etiam eius sobolem, perpetuò mansuram, singulari beneficio affecisti.

50 Magnifico liberatori regis sui, & qui præstitit misericordiam vncto suo Dauid, & eius soboli in perpetuum.

Idem Psalmus decimus octauus, dicolos tetrastrophos. Versus primus secundus & tertius Choriambicus tetrameter.

-- -⏑⏑- -⏑⏑- ⏑-

Quartus Coriambicus trimeter.

-- -⏑⏑- ⏑-

1 TE toto, alme Deus pectore diligam,
Firmum ô præsidium & certa salus mea,
Tu secura mihi arx, inque periculis
Tutum perfugium mihi.

2 Te vitam incolumis vindice transigo,
Tu totus meus es, tu velut ædita
Rupes, cuius ego præsidio truces
Mundi despicio minas
Tu scutum solido tergore multiplex,
Tu cornu rigidum, cuius ab impetu
Detrudi, arce velut tutus ab ardua,
Hostiles video globos.

3 Impendet quoties dura necessitas,
Laudes ecce tui concino numinis.
Et mox tota fugam corripit hostium
Oris victa phalanx sono.

4 Præsenti exanimem mortis imagine,
Vndarum obruerat more furentium
Hostilis rabida concita vi manus
Vnius miseri in caput.

5 Iam vita indomitis victa doloribus,
Horrebat tumuli frigora proximi,
Iam mors compedibus cruda tenacibus
Instabat misero mihi.

Ifiu

6 *Istis quid facerem rebus in asperis?*
Ex imis Dominum faucibus inuoco,
Et quanta fieri voce potest, Dei
Supplex subsidium peto.
Ille autem superum sede sedens procul,
Clamores querulæ vocis inaudijt,
Nec nostris precibus præbuit optimus
Aures indociles Pater.
7 *Commoti subitò sub Domini pedes*
Mugitu horrifico contremuit solum,
Atque immota suo pondere, montium
Moles subsiliit grauis.
8 *Ipse atram nebulam naribus igneis*
Flammarumq; globos faucibus euomit,
Et latè pauidum terrifico ruens
Orbem fulgure verberat.
9 *Conuersis trepidans cardinibus solo*
Illabi superûm visa potens domus,
Dein celso ipse Pater vertice desilit
Atris nubibus insidens.
10 *Hinc fratrum aligerûm terga premens eques,*
Ventorumq; furens concitus impete,
11 *Nimborum picea turbine conditus,*
Tranauit trepidum aera.
12 *Nigrantes nebulas flammea vis micans*
13 *Dirupit medias, mixtaq; grandine*
14 *Tempestas cuneos funditus hostium*
Telis contudit igneis.
15 *Missis terribili fulminibus manu,*
Immanis patuit tum maris alueus,
Et quicquid penitus parte sub infima
Mundi pondera sustinet.

Tanta

Tanta est terrifici vis superûm Patris,
Mortales quoties feruidus increpat,
Et mundum horribili cum fremitu ferox
Ira terribili quatit.
16 *Tum verò è mediis nubibus Optimus*
Exerta arripuit me miserum manu,
Ereptumq; cauis gurgitibus maris,
In tuto statuit Pater.
17 *Sic me, terribilis quem furor hostium*
Victricis pauidum sæuitiæ metu
Crudæ condiderat iam tenebris necis,
Seruauit superûm Pater.
18 *Sic captum mediisq; implicitum plagis*
19 *Fulciuit, validaq; explicuit manu,*
Qui me præ reliquis vsque sibi Deus
Charum mirificus fouet.
20 *Sic insontem animum nempe remunerat,*
Et puras penitus flagitij manus,
21 *Eius quippe vias sedulus institi,*
Omni perfidia procul.
22 *Eius perpetuò legibus incubans,*
Defixis in eum luminibus steti,
23 *Et frenans animi prouidus impetum*
Vixi criminis inscius.
24 *Insontem hunc animum nempe remunerat,*
Et puras penitus flagitij manus,
25 *Præstans vsque bonis se bonum, & integris*
Integrum pariter probans.
26 *Nam cui pura animi simplicitas placet,*
Purum te pariter sentiet, ô Deus.
Et quem praua iuuat callidit as, suis
Hunc tu subruis artibus.

27 *Ergo*

27 *Ergo tu miſeros eripies malis,*
Elatorum oculos, ô bone, deprimens,
28 *Meq́ iſtas miſerè per tenebras vagum*
Splendore irradians tuo.
29 *Hoſtiles vetudi, te duce, copias,*
Meq́ ipſe oppoſitis mœnibus intuli.
30 *Nam quácunque vocas, tuta via eſt, tua*
Voce vt purius eſt nihil.
Sperantes clypeo, tu Deus, obtegis.
31 *Te præter ſiquidem, maxime mi Deus,*
Quis cœlo Dominus, quis Deus eſt ſolo?
Quis vi cunctipotens ſua?
32 *Vires ecce mihi ſuppeditas potens,*
Cœptis vſque meis ſollicitè fauens,
33 *Quo ductore, ferus ceu caper, arduis*
Sedi verticis incola.
34 *Per te hæc eſt habilis dextera prælijs,*
Arcus dextra potens rumpere ferreos.
35 *Sed quod viuo tamen, viuo tuo vnius*
Fretus præſidio, Pater.
Labentem tua me ſuſtinuit manus,
Summis larga manus me cumulans bonis:
36 *Et, ne qua titubans corruerem, viam*
Strauiſti facilis mihi.
37 *Victor terga ſequens illicet hoſtium,*
Comprehenſos penitus, te duce, contudi,
Fixoſq́ innumeris vulneribus, meis
Preſſi calcibus impios.
38 *Hos, inquam, ipſe tuo robore prædius,*
39 *Morti ſub pedibus perdomitos dedi,*
40 *Nudum quum iugulum tutemet hoſtium*
Cultris ſubijceres meis.

41 *Clamarunt, sed enim nullus inaudijt,*
Ausos quinetiam quem toties Deum
Spreuere, in medijs propitium sibi
Inclamare periculis.
42 *Qualis turbo ruens paluereamrotat*
Nubem, talis eos feruidus impuli:
Et stratos medij ceu triuij lutum
Contriui pedibus feros.
43 *Tu me, quum populus prorueret furens,*
Seruasti, vt populis præficerer caput,
Ignotisq; adeò gentibus imperans,
Alto iura darem ex throno.
44 *Quin nostri sonitu nominis exciti,*
45 *Ignoti properant, & licet aspero*
Colla vltro pauidi subijciunt iugo,
Blandis non sine vocibus.
46 *Viue æterne Deus, cunctipotens Deus:*
Te laus namque decet, gloria te decet,
O, qui me toties iam velut obrutum
Seruasti incolumem, Deus.
47 *O quo vltore caput tollere iam licet,*
48 *O nostro populos subijciens iugo,*
O quo auctore feror liber ab hostibus,
Illiq; erutus improbo.
49 *Eia te populos vsque per vltimos,*
AEternum celebri carmine concinam:
Te nostra ex humero pendula barbitos
AEternis numeris canet.
50 *Te qui vnctum caput hoc vindice dextera*
Seruasti toties munificus tibi,
Nostris quin etiam secula in vltima
Firmans tanta nepotibus.

Psalmus

Psalmus decimus nonus διδακτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi decimi noni.

Docet nos hic Psalmus vniuersæ veræ Theologiæ summam, cuius finis est, tum Dei ipsius, tum diuini cultus eam habere notitiam qua fiamus æternæ vitæ participes. Ait igitur homines Dei gloriam ac maiestatem, id est (interprete Paulo Rom. 1. 10.) æternam ipsius potentiam ac diuinitatem ex ipso cælorum conspectu, & dierum ac noctium vicibus, ac præsertim Solis aureo splendore terrarum orbem cursu inenarrabili collustrantis doceri, vt nemo possit ignorantiam illius prætexere, quem locum apostolus, tum eo quem citauimus loco, tum Act. 13. 17. pertractat. Sed addit homines alia longè perfectiore patefactione indigere, quæ & eadem illa, & Dei præterea voluntatem perspicuè commonstret: conscientiam denique nostram lethali peccatorum vulnere sauciam tranquillet, sicut docet Apostolus copiosè. 1. Cor. 1. 21. & deinceps. Hæc autem non aliunde doceri nos affirmat quàm doctrina nobis cælitus ab ipso tradita, veram illam sapientiam non modò verbis, sed etiam reipsa nostris animis infigente, vt æterna lætitia nos exhilaret. Hæc autem vis quum tota sit Euangelij, liquet Dauidem præcipuè de hac diuini verbi scripti parte disserere, & de gratuita peccatorum remissione contionari, quæ tunc erat legalibus ceremoniis adumbrata, nunc verò nobis est tum ab ipso Christo, tum apostolicis scriptis plenissimè ac manifestissimè explicata.

Eiusdem Psalmi decimi noni

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *CÆli enarrant Dei gloriam, & expansa illa cælestium orbium machina non ab alio quàm à deo ipso creari se potuisse testificatur.*	1 CAEli gloriam Dei: & opus manuum eius annunciat illa expansio.
2 *Dierum ac noctium alternantes vices sapientissimi illius opificis potentiam quasi ex amplissima perpetuáque scaturigine nobis hauriendam*	2 Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.

subministrant.

3 *Quin etiam quasi canoram vocem edunt cæli, quæ ab omnibus cuiuscunque dialecti gentibus percipiatur.*

3 Non *est* sermo neque loquutio *vnde* non audiatur vox illorum.

4 *Nam & illa ipsorum exactissima structura, & constantissimi certiq; spatijs definitus motus, quo præsertim Solis illud immensum corpus ambitu calorũ quasi tabernaculo tectum circumfertur, omnes mortales, ab vno mundi extremo ad alterum, veluti canora voce compellant.*

4 In vniuersam terram exiuit regula eorum: & ad extremitatem orbis verba eorum. Soli posuit tabernaculum in eis.

5 *Sol quidem ipse sponsi gemmis & auro refulgentis & ex thalamo prodeuntis speciem referens, & veluti robustus quidam athleta sese ad decurrendum stadium vibrans,*

5 Et ipse egreditur tanquam sponsus ex thalamo suo: exultat tanquam vir robustus ad decurrendam viam.

6 *Ab ima immensi illius spatij extremitate ad alteram indefesso & inenarrabili motu decurrit: nec quisquam est qui illius æstum effugiat.*

6 Ab vno extremo cælorum egressus eius: & circuitio eius *est* super axibus eorũ: nec quicquam absconditur à calore eius.

7 *Sed alium præterea longè excellentiorem, immo prorsus perfectum magistrum huius sapientiæ habemus: doctrinã videlicet cælitus nobis patefactam & à Deo præscriptam, qua nos planè in integrum restituit: qua omne salutis nostræ consilium Iehoua certò nobis patefecit: omnes denique, dummodo sua insipientia sibi conscij, dociles sese præbeant, vera sapientia instruit.*

7 Doctrina Iehouæ *est* perfecta, restituens animam: testimonium Iehouæ certum sapientes faciens paruulos.

8 *Doctrinam, inquam, à Deo*

8 Statuta Iehouæ *sunt* recta, exhilarantia

cõſtitutam, quæ planè ac perſpicuè docet rectam felicitatis viam, animas ſolido gaudio recreat, & vera luce mentis oculos illuſtrat.

9 Hæc enim eſt quæ purum ac ſnuariabilem Dei cultum, & planè inſtam ac omni labe carentem colendi Iehouæ rationem, commonſtrat.

10 Quiddam certè omni auro quantumuis puro pretioſius, & omnibus mellis fauis ſuauius.

11 Sic enim ſerui tui, Iehouæ, qua via ſit eis incedendum eruditiuntur, & qui illam inſiſtunt, te tandem munificentiſſimum experiuntur.

12 Sed eheu quis tandem errores ſuos intelligat? Tu me igitur ab iſtis quæ ne noſſe quidem poſſum clementer abſoluito.

13 Sed & me ſeruum tuum ne patitor ab effrenibus illis affectibus ſuperari: facito potius vt integer & à ſceleribus immunis hanc vitam exigam.

14 Vt nec quicquam loquar, nec animo cogitem, quod tibi (in cuius conſpectu conſiſto) ſit ingratum: tibi, inquam, Iehouæ, propugnatori & liberatori meo.

exhilarantia cor: præceptum Iehouæ purum eſt illuſtrans oculos.

9 Timor Domini ſincerus, permanens in ſeculum: iudicia Iehouæ ſunt veritas: & pariter iuſta comperiuntur omnia.

10 Optabiliora auro & quidẽ obrizo multo: dulciora melle & faui liquamine.

11 Nam ſeruus tuus circumſpectus redditur in illis: in cuſtodiendis illis merces multa.

12 Errores quis intelligit? ab occultis munda me.

13 Etiam à ſuperbiis contine ſeruum tuum, ne dominentur mihi: tunc ero integer, & immunis ero à ſcelere multo.

14 Sint tuæ voluntati accommodata verba oris mei, & meditatio cordis mei coram te, Iehoua, petra mea, & redemptor meus.

Idem Pſalmus decimus nonus dicolos tetraſtrophos. Verſus primus ſecundus & tertius, ſapphicus hendecaſyllabus.

⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

Quartus Adonius.

1 Illa cœlorum irrequieta moles,
Et solo eximo superos ad axes
Curua quod mundi spatia vniuersi
Complet inane,
Arte inaudita artificis supremi
Clamitant se se fabrefacta quondam,
Cuius æternum decus vsque totus
Personat orbis.

2 Clara lux lucem, & tenebræ tenebras
Mutuò nexis vicibus prementes,
Inclyti alterno celebrant Parentis
Carmine laudes.

3 Barbaras vsquam regio nec vlla
Sic alit gentes, nequeant vt istas
Assequi toto penitus sonoras
AEthere voces.

4 Quum patens quacunque habitatur orbis,
Legibus certis agitata moles,
Patris æterni resonet canoro
Gutture numen.

5 Quale vernanti pudet ore toto
Prodiens coniux thalamo futurus,
Talis eoa procul aureus Sol
Surgit ab ora.
Quale robustus'q; agilis'q; cursor
Euolat præceps stadium peruans,
Vltimis donec spatijs superbè
Victor anhelet:

6 Tale splendenti properans ab ortu
Sol, rapit sese occiduas in vndas,

Torrido

Torrido latè populos adurens
Feruidus æstu.
Orbe sed toto supero inferoque
Lege nihil prorsum magis efficáxque,
Mole curarum recreare fessas
Vndique mentes.

8 *Fida quæ interpres, superûm Parentis*
Pandit arcanum, sapientiamq;
Infimis præstat, timidâ feroces
Mente repellens.
Hæc iter rectè docet, atque puro
Gaudio mentes cumulare certa
Quamlibet cæcos recreat perennis
Munere lucis

9 *Hæc pium monstrat Domini innocentem,*
Nulla quem possint abolere secla:
Trames hæc certus, penitúsque partes
Rectus in omnes.

10 *Hinc opum cedit pretium, & coruscæ*
Diuitis cedunt Ophires metalla:
Huic apum cedit labor, & refertæ
Nectare cellæ.

11 *Hanc ego intentis oculis tuendo,*
Te colo seruus dominum fidelis,
Præmij certus, tua quod sequuti
Iussa reportant.

12 *Sed quis erroris animi euagantis*
Nouit? ah clemens Pater, oro, quicquid
Sordium cordis tego sub recessu
Elue promptus.

13 *Impetus mentis cohibe feroces*
Ne ruant fastu dominante præceps,

Quin ab hoc grandi potius supersim
Crimine purus:
14 *Vt tibi carmen, Pater ac Redemptor,*
Corde quod promptum canimus, probetur:
Sera mors donec tua me canentem
Facta coronet.

Psalmus vicesimus εὐκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi vicesimi.

Exemplum precationis piorum subiectorum pro sui Magistratus salute in summis præsertim periculis quale istud fuit quod occasionem huic Psalmo tribuisse existimatur, descriptum 2.Sam.10.& 1.Paralip.19. ex qua precatione hæc quoque sunt doctrinæ capita præcipuè eruenda.

Deum esse auctorem & conseruatorem politiarum.

Stare politias ope diuina, non fortuitò nec prudentia mere humana.

Bella quædam esse iusta ac necessaria.

Plurimum interesse inter impiorum & piorum fiduciam.

Eiusdem Psalmi vicesimi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Exaudiat te in istis difficultatibus Iehoua, teque inuocatus in tuto collocet.*	1 Exaudiat te Iehoua die angustiæ: exaltet te nomen Dei Iacob.
2 *Prodeat è sanctuario tibi opē laturus, teque ex Sionis monte fulciat.*	2 Mittat tibi auxilium ex sanctuario: & ex Sione fulciat te.
3 *Declaret sibi gratas oblationes tuas fuisse, holocaustum tuum cælitus cremans.*	3 Memor sit omniū oblationum tuarum: & holocaustū tuum in cinerem redigat.
4 *Præstet tibi quod desideras, & impleat quod apud te constituisti.*	4 Det tibi secundum cor tuū & omne consilium tuum impleat.
5 *Vt triumphemus abs te liberati, Iehoua, teq; Deum nostrū*	5 Exultabimus in salute tua & in nomine Dei nostri vexillum

erectiu vexillis celebremus, qui petitiones omnes regu ipsi cõcesserit.

6 *Et certè iam vt ipsa regẽ abs te vnctum conseruasti, tam illum ex illo cælesti sacrario tuo exaudiuisti, & potente ac salutifica dextera tua fretum tutatus es.*

7 *Nam illi tum curribus tum equis suis fidunt: nos autem vnicum nomen tuum memoramus.*

8 *Itaq; illi fracti corruerunt, nos autem erecti perstamus.*

9 *Adesto seruator. Rex ille nos ipsum inuocantes exaudiat.*

vexillum erigemus: impleat Dominus omnes petitiones tuas.

6 Iam nouisquòd seruauerit Iehoua vnctum suum: exaudiet eum de cælo sancto suo, in robore dexterę ipsius est salus.

7 Hi in equis sperarunt: nos autem nomen Iehouę Domini nostri memorabimus.

8 Illi incuruati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus.

9 Iehoua serua nos: Rex ille exaudiat nos, die quo inuocamus eum.

Idem Psalmus vicesimus monocolos, carmine trimetro iambico acatalectico, vt decimus.

1 *ITo beatus, teq; in his negotijs*
Sanctum Israelis numen illud audiat.
2 *Tibi sacratis adsit ex palatijs,*
Te, inquam, Sionis ab arce fulciat potens.
3 *Priscæq; pietatis tuæ non immemor,*
Missis ab alto victimam ignibus voret,
4 *Votis benignus denique aspiret tuis,*
Tanta vt coronet cœpta felix exitus:
5 *Reduci vt canamus regi, & his præcibus ratis,*
Vexilla sancto præferamus numini.
6 *Sed quid moramur? regis en sui caput*
Seruauit vnctum liberator optimus.
Cælestis illum ex sede iam sacratij,

Potente vindicauit assertum manu.

7 *Hi curribus fidant, equisq; fortibus,*
At nos in vno gloriemur numine.

8 *Iam sæuus hostis ictus ad terram ruit,*
Iam nobilis nos erigit victoria.

9 *Serua ô Deus: Rex ô Supreme cœlitum,*
Audito voce te imuocantes maxima.

Psalmus vicesimus primus εὐχαεισικός.

Argumentum & vsus Psalmi vicesimi primi.

Dependet hic Psalmus à superiore, continens videlicet, gratiarum actionem de parta insigni victoria quam Dei vnius benignitati acceptam refert Ecclesia, eandem sibi in cæteris difficultatibus opem pollicens.

Eiusdem Psalmi vicesimi primi.

PARAPHRASIS	INTERPRETATIO.
1 *NOua letitia argumentum Regi tuo præbuisti Iehoua, qui robore tuo sese conseruatum, totis viribus exultans agnoscit.*	1 IEhoua, de robore tuo lætatur Rex: & de salute tua quàm vehementissimè exultat.
2 *Tribuisti enim quod optabat, & quod à te suis precibus postulauit, ipsi concessisti.*	2 Desideriũ cordis eius tribuisti ei: & quod protulit labiis non recusasti.
3 *Immo etiam tuis beneficijs eũ & corona ex auro puro pulchre facta ipsi caput præcinxisti.*	3 Quinetiam preueneristi eum benedictionibus beatis: imposuisti capiti eius coronam auri optimi.
4 *Hoc vnum enim à te petebat vt viuus & incolumis ex hoc bello euaderet. at tu illi vitam nunquam desituram tribuisti.*	4 Vitam petiit à te: dedisti ei ampliationem dierum in seculum & semper.
5 *Tantam est gloriam hac tua defensione consequutus, & tãtus est huius decoris splendor*	5 Magna *est* gloria eius in salute tua: splendorem & decorem adaptasti super eum.

quo tu illum exornasti.

6 *Nam certè fecisti vt singulare ac perpetuum beneficiatū tua exemplum sit omnibus futurum: eumq; summe sereno tuo vultu intuitus exhilarasti*

7 *Quum itaq; Rex vni Iehoue confidat, & ab vna summi illius numinis clementia totus pendeat, solium ipsius certè nunquam labefiet.*

8 *Comprehendit manus tua, ô Rex hostes tuos, dextera, inquam, tua hostes qui te oderunt assequetur.*

9 *Tu iratus illos fornacibus flammantibus injicies, vt illos Iehoua ardore ira sua penitus voratos absumat.*

10 *Quinetiam illorum sobolem prorsus destruet, vt nunquam inter homines appareant.*

11 *Tu enim in es aduersus quem mala hac omnia intentarunt, & cui machinati sunt quod perficere nequiuerunt.*

12 *Facies vt tibi terga obuertāt, telis in aduersa ipsorum ora directis.*

13 *Fac, Iehoua, vt magna cum laude tua robur illud tuum appareat, quod decantemus, & psalmis celebremus.*

eum.

6 Quia posuisti eum benedictiones in seculum: exhilarasti eum lætitia vultu tuo.

7 Quoniam rex confidit in Iehoua, & in bonitate altissimi: non nutabit.

8 Inueniet manus tua omnes inimicos tuos: dextera tua inueniet eos qui te oderunt.

9 Pones eos tanquam fornacem ignis in tempore iræ tuæ: Iehoua in ira sua deglutiet eos, & deuorabit eos ignis.

10 Prolem eorum è terra perdes: sobolem eorum ex hominum numero.

11 Quoniam intentarunt tibi malum, cogitauerunt fraudem quam non potuerunt *exequi.*

12 Pone eos humerum *fac tibi terga obuertant*: in funibus tuis dirige *scilicet sagittas* contra faciem illorum.

13 Exaltare Iehoua robore tuo: cantabimus & psallemus tuum robur.

Idem Psalmus vicesimus primus, itidem monocolos, carmine Iambico trimetro acatalectico vt Psalmus decimus.

1 VIrtute ſaluus, viribus victor tuis,
Tibi rex ſolutus fertur hæc in gaudia,
2 *O qui eius omnia vota proſperas Deus,*
Ratumq́, præſtas ore quicquid protulit.
3 *Cuncta immo ſuperans vota, gemmeæ caput*
Regis corona illuſtre deuincis tui.
4 *Immo huius vnam poſtulans vitæ moram,*
Perennis ecce munus æui retulit.
5 *Tua potente victor vt qui dextera,*
Splendore radies inclytus victoriæ.
6 *Benignitatis nobile exemplum tuæ,*
Tuiq́, vultus recreatus lumine.
7 *Namque vna Regis, tu Deus, fiducia,*
Tuo futuri ſtabilis vſque munere.
8 *Age ergo, Rex, perſequere quos ipſum tibi*
Iam tradit hoſtes numen omnes in manus.
9 *Fornacis illos flammeæ iratus dato,*
Iamiam vſtulandos & vorandos ignibus,
10 *Tecum vltor illos ipſe deſtruat Deus,*
Suæq́, flamma abſumat iracundiæ.
11 *Illos, & illorum nepotes impios,*
Excinde prorſus vltimam ad propaginem.
12 *Mala machinantes in te, & irritis licet*
Cœptis, malitiam prodere auſos peſſimis.
13 *Tu terga cæde illorum, & admotum arcui*
Aduerſa telum ipſorum in ora figito.
14 *Surge ô Deus, tuum iſtud vt robur potens*
Et voce grata perſonemus, & manu.

Pſalmus viceſimus ſecundus προφητικὸς καὶ εὐκτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi viceſimi ſecundi.

Quum

Quum agonem illum Christi nunquam satis meditari possimus ex qua victoria nostra dependet, & in quo vno tum quàm horribile sit in manum Dei iudicis incidere, tum quàm sit immensa Dei misericordia qua suam Ecclesiam complectitur, quàm sublime sit denique sapientiæ diuinæ mysterium perspicuè contemplari licet: certè Psalmus iste inter cæteros dignus est quem è memoria & manibus ipsis nunquam deponamus. Sic enim exinanitionem Filij Dei nobis depingit vt penè adhuc in cruce pendentem, & in illa cum Satana, peccatis nostris & morte lucta tristissimos illos gemitus emittentem, adeoque velut ex ipso inferorum gurgite eluctantem ipsis oculis cernere & auribus ipsis audire videamur. Præterea etiam illustrem eius resurrectionis victoriam, & perpetuum æterni pontificis ac doctoris munus quo ad finem vsque mundi, per legatos suos colligendæ ex omnibus gentibus & conseruandæ Ecclesiæ suæ causa, Christus defungetur, luculenter & perspicuè describit: sic interpretantibus hunc Psalmum ipsis quatuor Euangelistis in passionis historia, & Apostolo quoque in epistola ad Hebræos.

Eiusdem Psalmi vicesimi secundi.

PARAPHRASIS.

1 *MI Deus, mi Deus, cur me destitui, & teipsum, quominus me liberes, ab eiulatu meo tam procul subducis.*

2 *Clamo interdiu mi Deus, nec tamen exaudis, quamuis noctu quoque sine intermissione vociferer.*

3 *Tu tamen sanctum illud numē es, illius sacrarij incola tui ab Israele celebrandis laudibus dicati.*

4 *Tu is es in quo spem suam omnem, neq; id immeritò, patres illi nostri collocarūt, quos etiam liberasti.*

5 *Clamarunt enim ad te, &*

INTERPRETATIO.

1 DEus mi, Deus mi, quare dereliquisti me? procul abiens à salute mea & à verbis rugitus mei?

2 Deus mi, clamo interdiu sed non exaudis: etiam nocte, & non est silentiū mihi.

3 Tu tamen es sanctus ille inhabitans laudes Israelis, locum in Israele tibi laudando destinatum.

4 In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.

5 Ad te clamauerunt & li-

tu illos eruisti: neque spe sua vnquam exciderunt.

6 *At ego tam sum miser vt vermiculus potius quam homo censeri possim, passim quorumuis ludibrijs & cõtemptui expositus.*

7 *Omnes intuentes me, cachinnantes & caput motitantes scurriliter me irrident.*

8 *Age, etenim, inquiunt, recũbit nunc iste in Iehouam, eruat eum, liberet eum, si tam est illi amicus.*

9 *Atqui tu is es qui me peculiari quadam cura dignatus ex vteri materni claustris extraxisti, adeoq; fecisti vt adhuc à maternis vberibus pendens in te respicerem.*

10 *Simulatq; in lucem prodij tibi fui commendatus, & iam tum mihi Deum te præbuisti.*

11 *At quum adhæreat mihi tanta calamitas, ne procul abesto à me, omni alioqui præsidio destituto.*

12 *Circumstant enim me robusti iuuenci, tauri inquam proceri & præferoces me circumcingunt.*

13 *Et leonis rapacis ac rugientis more aperto rictu me inuadunt.*

14 *Dilabor tanquam aqua, luxata sunt omnia ossa mea, cor meum intus quasi cera colliquatum est.*

15 *Exaruit omnis ille pinguis mei succus, adeò vt testa exsiccaberati sunt: in te sperauerunt, & non sunt pudefacti.*

6 Ego verò *sum* vermis & nõ vir: opprobrium hominum & cõtemptus populi.

7 Omnes videntes me subsannant me: diducunt labra, mouent caput.

8 Diuoluat *aiunt* sese in Iehouam: eripiat eum, liberet eum, siquidem ei bene vult.

9 Atqui tu extractor meus *es* ex vtero: faciens me sperare *auctor mihi fiducia* super vbera matris meæ.

10 In te reiectus sum è matrice: ex vtero matris meę, Deus meus tu.

11 Ne procul discedas à me quum angustia propinqua sit: nemo enim est qui *mihi* auxilium ferat.

12 Circundant me tauri validi: tauri Basan cingunt me.

13 Aperiunt super me os suum *sicut* leo rapax & rugiens.

14 Sicut aqua diffluxi: luxata sunt omnia ossa mea: cor meum sicut cera liquefactum est intra viscera mea.

15 Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit

ta sim persimilis: adhæret palato lingua mea, & iam in sepulchri puluere videor exanimis iacere.

16 Allatrant mihi canes vndique circumstantes: cingor sceleratissimorũ hominum turmis, manus & pedes mihi perfoderunt.

17 Facilè fuerit sic distenti corporis ossa omnia dinumerare, quod ipsi securè & otiose contemplantur.

18 Quinetiam vestem meam inter se partiti sunt, & tunicam meam sorti exposuerunt.

19 At tu Iehoua ne me deserito, sed potius tu robur meum mihi opitulaturus accurrito.

20 Eripe animam meam tanta istorum violentia, eamq; ab omnibus solam relictam, istorum canum potestati eripito.

21 Tu me, inquam, ex leonum faucibus, & ferocissimarum belluarum cornibus eruito.

22 Tunc abs te conseruatus celebrem & expertam illam tuam virtutem fratribus meis enarrabo, téque in medio illarum cœtu his verbis celebrabo.

23 Adeste Iehoua cultores, illũ prædicato vniuersa Iacobi soboles, omnes, inquam, Israelis posteri Iehouam illum collaudate & reueremini.

24 Nec enim omnium miserrimum aspernatus reiecit, nec vultum ab eo suum auertit, sed potius ad se vociferantem exaudiuit.

hæsit faucibus meis: & in puluere mortis collocasti me.

16 Nam circundant me canes: turma improborũ circumdat me: foderunt manus meas & pedes meos.

17 Numerauerim ossa mea: ipsi aspiciunt & intuentur me.

18 Diuidunt vestimenta mea sibi: & super tunicam meã mittunt sortem.

19 At tu, Iehoua, ne procul absis: robur meum ad auxilium meum festina.

20 Eripe ex gladio animam meam: & è manu canis solitariam meam.

21 Serua me ab ore leonis: & è cornibus unicornium exaudias me.

22 Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

23 Qui timetis Iehouam, laudate eum, vniuersa soboles Iacob: glorificate eum & metuite ab eo omnis soboles Israel.

24 Quoniam nõ spreuit, neq; auersatus est afflictionem afflicti, & non abscõdit faciem ab eo: & quum clamauit ad eum, exaudiuit.

25 *Te Deum in frequentissimo cœtu laudabo, omnibusque testibus qui te reuerentur vota persoluam.*

26 *Tunc calamitosissimi quique epulis excepti ad satietatem vescentur: tunc qui Iehouam requirunt non ad momentum duntaxat refocillati, sed aterna vitæ intus recepta illum celebrabunt.*

27 *Illum omnes ad extremos vsque terrarũ fines commemorabunt, ad Iehouam quẽ obliti fuerant conuersi, omnes, inquam, nationes te, Iehoua, adorabunt.*

28 *Tunc enim Iehoua sibi ius regni sui in vniuersas gẽtes vindicabit.*

29 *Denique tum ipsi quoque potentissimi hominum ad eius conuiuium concurrent ipsum adorantes, tum etiam iã moribundi, & quorum desperata vita videbatur eum prostrati colent.*

30 *Neque hoc beneficium cum istorum vita terminabitur, sed eorum quoque posteri seruient Iehoua, quos ille in familia sua continuata serie recensebit.*

31 *Nam alij alijs succedentes Iehoua iustitiam narrabunt, & tanti huius operis illum vnum esse auctorem posteris nascituris testabuntur.*

25 De te *erit* laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam coram timentibus Deum.

26 Edent afflicti & satiabuntur: laudabunt Iehouã qui quærũt eum: viuet cor vestrum perpetuò.

27 Recordabuntur & reuertentur ad Iehouam omnes fines terræ: & adorabunt coram te omnes familiæ gentium.

28 Quoniam Iehouæ est regnum: dominatur inter gentes.

29 Comedent & adorabunt omnes pingues terræ: coram facie eius incuruabunt se omnes: qui descendunt in puluerem, & qui animã suam non viuificat *morti adiudicat.*

30 Posteri ipsorum seruient ei: censebuntur Domino in ætates.

31 Venient & narrabunt iustitiam eius, & populo nascituro quod *istud* fecerit.

Idem

Idem Psalmus vicesimus secundus monocolos, carmine heroïco hexametro vt octauus.

1 MI Deus, eheu! eheu mi Deus, obsecro cur me
Deseris, auxiliúque fugis propioris egentem,
Horrendáque feros frendentem voce dolores?
2 Namque dies clamo totos, nec fessa diurnis
Quæstibus ora silent, tristem sed passa repulsam,
Irrequieta suas agitant quoque nocte querelas.
3 Atqui tu Deus, es tu crimine purus ab omni:
Felices cuius solio residentis in alto
Isacidæ celebrant laudes, & numen adorant.
4 Tu spes vna patrum, & constans fiducia quondam
Quorum nec vocem euentus nec vota fefellit.
5 Clamantis siquidem, téque vno vindice fretos,
Audisti facilis, cælo miseratus ab alto.
6 Ast ego non deinceps hominis me nomine digner,
Quin potius vilis contemnar vermis ad instar,
7 Ludibrium populi atque insanæ fabula turbæ
Ille ego quem quisque occurrens transuersa tuetur
Et ronchos sonat, & diducit turpiter ora,
Irridétque caput motans, hæcque insuper addit,
8 En qui se Domino totum commiserat vni
Eruat hunc igitur, circumstantíque periclo
Eximat, & charum fidus conseruet amicum.
9 At tua me certè nascentem matris ab aluo
Suscepit manus: & nutricis ab vbere pendens,
Nempe tua vnius simul à bonitate pependi.
10 Iámque tibi sacratus eram, iam paruulus ore
Vnum te blæso Dominúmque Deúmque sonabam.
11 Ergo ades, & ne me discrimina in vltima raptum

Desere. nanque potes solus seruare precantem.
12 *Hinc me etenim miserum validi indomitiq́; iuuenci,*
13 *Inde feri immani rictu inuasere leones.*
14 *Dilapsum instar aquæ robur: metus ossa resoluit:*
Et, cœu cera foret, pauidum cor liquitur omne:
15 *Quæ vigucre prius, nunc vires corporis arent,*
Vt solet ardenti multo later igne recoctus:
Et iaceo velut in tumulo iam putre cadauer.
Faucibus in medijs en lingua immobilis hæret.
16 *Ecce canes misero rabidis latratibus instant,*
Obsessumq́; cohors premit obfirmata malorum.
Ecquid sæuitiæ omisere? pedesq́; manusq́;
17 *Fodere, extenti numerarunt corporis ossa.*
Et tantos tamen aspiciunt videntq́; dolores.
18 *Quinetiam vestes sibi diuisere perempti,*
Nec tunicam puduit sorti exposuisse nefandæ.
19 *Ne me igitur, Deus, ô miseri spes vna, relinque:*
20 *At potius facilis propera, gladiiq́; furori*
Eripito hanc animam: solumq́; inopemq́; relictum
21 *Ne canibus rabidis laniari, néve leonum*
Sæuitia immani discerpi, néve ferarum
Eheu perfodier cornu patiaris acuto:
Quin potius miserere dies nocteſq́; precantis.
22 *Tunc laudes nomenq́; tuum, Deus alme, sonabo:*
Tunc tua facta potens fratrum narrabo cateruæ.
Quinetiam cunctis præfari hæc verba iuuabit:
23 *Eia agite ô veri cultores numinis, eia*
Isacidæ, sancti soboles germana Iacobi,
Vos mecum summo rerum Dominoq́; Patriq́;,
AEternos canite, æternas dicite laudes.
24 *Nanque nec est oculis inopem auersatus iniquis,*
Nec sprcuit miserum: at totius miseratus egentem,

Applicuit

Applicuit placidas noſtris clamoribus aures.
25 *Ergo tu mihi carmen eris, tu Maxime, laudum*
Argumentum ingens, quas me pia turba canentem
Mireatur, laudetq́, ſimul, quum debita cœtu
Vota tibi medio gratus ſolennia ſoluam.
26 *Tunc feſtas tibi ritè dapes, epulumq́, ſacrabo,*
Quo mecum accumbens iam lætior omnis egentum
Veſcatur chorus: & vero te quiſquis amore
Diligit, æternæ tanto pro munere vitæ,
Perſoluat meritas toto tibi pectore grates.
27 *Certè & tempus erit, poſito quum errore beatus*
Ad ſeſe rediens totus tibi ſeruiat orbis,
Et ſua vota ferant curuato poplite gentes,
28 *Namq́, tuum imperium eſt: tu mundi infraq́, ſupraq́,*
Iure tuo, Rex omnipotens, moderaris habenas.
29 *Hinc dites, hinc & miſeri, queis mortis in ipſo*
Limine paupertas vitæ ſpem ſuſtulit omnem,
Te Dominum pariter faſti, ſummeq́, potentem,
Accumbent ſimul, & ſacras paſcentur ad aras.
30 *Quinetiam patrum ſectati exempla nepotes,*
Numen idem agnoſcent: donec gens integra ſurgat,
Quæ, Pater alme, tuum felix referatur in album:
31 *Atque, nouo prout in populo ſuccreuerit olim*
Poſt ſobolem ſoboles, tua fortia facta canantur,
Et tua firma fides venturis ordine ſeclis.

Pſalmus viceſimus tertius εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi viceſimitertij.

Dauid ex opilione factus Rex potentiſſimus, contra Epicureorum errorem qui quod habent vel caſu vel ſua induſtria ſibi euenisſe ſomniant, & bonis ſibi conceſſis ad turpiſſima quæque abutuntur, vnius Dei liberalitati hæc omnia accepta refert, duplici vtens ſimilitudine. vna videlicet paſto-

ris gregem suum summa solicitudine curamus, quæ similitudo Dauidi, olim pastori, est accommodatissima, & Reges vicissim admonet ποιμένας λαῶν esse ipsos oportere, altera ab hospitibus viatores ad se diuentantes liberalissimè excipientibus desumpta est; quæ & ipsa nostræ conditionis nos commonefacit, & quomodo, quæcunque nobis ad huius vitæ vsum subministrat Dominus, verbo Dei & gratiarum actione nobis sanctificentur ostendit. Postremò docet nos à caducis istis bonis oportere ad æternas illas & cælestes benedictiones assurgere, quum habeat pietas & præsentis & futuræ vitæ promissiones.

Eiusdem Psalmi vicesimi tertij

PARAPHRASIS.

1 *IEhoua est pastor meus, non est quod famen metuam.*

2 *Ille me in herbidis pascuis stabulatum, ad placidarum aquarum riuos deducit.*

3 *Defessum me vita restituit, & plana atque inoffensa via ducit, æternam inde benignitatis laudem promeritus.*

4 *Itaque ne siquidem mihi per vmbrosissimas & ab ipsa morte obsessas valles sit incedendum, quicquam mali reformido virga & pedo istius pastoru fretus.*

5 *Tu mihi videntibus ipsis meis hostibus mensam opiparam instruis, & capite vnguentis delibuto plenum poculum porrigis.*

6 *Et certè tua bonitas ac beneficentia adiu tua incolam mediutissimè futurum comitabitur.*

INTERPRETATIO.

1 IEhoua pastor meus est non egebo.

2 In pascuis herbidis facit me stabulari: ad aquas placidas deducit me.

3 Animam meam restituit, ducit me semitis planis propter nomen suum.

4 Etiam si ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo malum: quia tu mecum es, virga tua & pedum tuum me consolantur.

5 Paras in conspectu meo mensam coram hostibus meis: impinguas oleo caput meum, calix meus exuberat.

6 Vtique bonitas & beneficentia tua persequetur me omnibus diebus vitæ meæ & habitabo in domo Iehouæ plurimis diebus.

Idem

Idem Psalmus vicesimus tertius monocolos, carmine trochaïco dimetro catalectico.

– ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– –

1 IPse me rerum parens
Ecce pascit sedulus:
Quæ me egestas terreat?
2 Ille me per florei
Læta prata graminis,
Ille puros lassulum
Ductitat per rivulos.
3 Ille languens corculum
Voce mulcet blandula.
Ille me, ne scrupeis
Fortè lædar callibus,
Nominis memor sui,
Ducit æquo tramite.
4 Ille me per vallium,
Ille me per montium
Saltuosas semitas,
Nocte plenas horrida,
Dum bacillo præeat,
Dum pedo me dirigat,
Ducet impertertitum.
5 Ille, sæuis hostibus,
Torua me tuentibus,
Ferculis me regijs
Delicatulum fouet.
Quin & istud plurimo
Mergit vnguento caput

Pura despumantibus
Vina fundens populis.
6 *Nec dies in pauculos*
Largus ista sufficit,
Sed superstes quandiu
Vixet hoc corpusculum,
Vsque & vsque diuite
In suis sacrarijs
Me beabit copia.

Psalmus vicesimus quartus Διδακτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi vicesimi quarti.

Docet nos pulcherimus hic Psalmus esse quidem Deum vniuersitatis rerum vt conditorem, ita etiam Dominum: sed ex hominum cætu certos sibi delegisse quos vnos pro subiectis habeat, & quos solos beare constituerit. Denique quinam isti sint, id est ex quibus notis dignosci possint vera Ecclesiæ membra, ostendit, vt nouerimus non omnes esse ex Ecclesia quicunque in Ecclesia versantur. Quoniam autem & certa vna gens adhuc erat in fœdere comprehensa, (Israelitica videlicet) & certus ac vnicus tum erat locus, in quo conuenire Ecclesiam oporteret: (sacer ille mons nimirum in quo extruendum erat templum) idcirco speciatim Dauid facit istarum mentionem, & de templi exædificandi magnificentia spiritu prophetico disserit: populum tamen exhortans ne in externa ipsa structura & ritibus sacris subsistat: sed vt potius ad ipsum eius templi incolam animum aduertat: quæ doctrina nunc quoque verum sacramentorum vsum ostendit, & ad nos multò etiam magis quam ad veteres nunc pertinet, quibus veritas, abolitis legalibus vmbris, illuxit.

Eiusdem Psalmi vicesimiquarti

PARAPHRASIS.

1 *IEhoua terra ac rerum omnium in ea comprehensarũ Dominũ est, orbis inquã, & omnium eius incolarum.*

INTERPRETATIO.

1 IEhouæ est terra, & quicquid continet: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

2 Quia

2 *Is enim eſt qui ſolum ſuperſtruxit mari, & fluminibus ſuperius collocatum ita vti videmus aptauit.*

3 *Sed montem ſibi quēdam delegit, in quem ecquis aſcendet, & loco illo ipſi conſecrato cōſiſtet?*

4 *Cuius manus ſcelere pollutæ non ſunt, qui purus eſt animo, nec inanibus rebus inhiat, nec peierat vt quenquam fallat.*

5 *Iſtiuſmodi hominem Iehoua beneficijs cumulabit, denique ſeruatorem, prout ipſe verax promiſit, experietur.*

6 *Et hæc demum eſt germana tua ſoboles, Iacobe, hominum videlicet genus Deum quærētium, tibique, Iehoua, ſeſe ſiſtentium.*

7 *Eia porta attollite veſtra ſuperliminaria, euehemini, inquam, porta perpetuò manſura, vt rex glorioſus introëat.*

8 *Quis verò rex iſte eſt glorioſus? Iehoua fortis ille & potens: Iehoua fortis præliator.*

9 *Attollite porta ſuperliminaria veſtra, euehimini, inquam porta, vt rex ille glorioſus introëat.*

10 *Quis eſt iſte rex glorioſus? Iehoua armipotens, hic ille rex eſt glorioſus.*

2 Quia ipſe ſuper maria fundauit eam: & ſuper flumina diſpoſuit eam.

3 Quis aſcendet in montem Iehouæ: & quis ſtabit in loco ſancto eius?

4 Innocens manibus & mundus corde: qui non extulit ad vanitatem animam ſuā, & non iurat ad fraudē.

5 Hic accipiet benedictionem à Iehoua: & iuſticiam à liberatore ſuo.

6 Hæc eſt generatio quærētium eum, inquirētium faciem tuam, Iacob.

7 Attollite ô portæ capita veſtra, & eleuamini portæ æternæ: vt ingrediatur Rex gloriæ.

8 Quis eſt iſte Rex gloriæ? Iehoua fortis & potens: Iehoua potens in prælio.

9 Attollite ô portæ capita veſtra: & eleuamini portæ æternæ, vt ingrediatur Rex gloriæ.

10 Quis eſt iſte Rex gloriæ? Iehoua armipotēs, iſte eſt Rex gloriæ.

Idem Pſalmus viceſimus quartus, dicolos diſtrophos, vt Pſalmus decimus quartus.

1 ET terra, & terræ quicquid complectitur orbis,
Et orbis omnes incolæ,
2 Imperio subsunt Domini. Nanque ille potente
Terram creauit dextera:
Inque maris medio tutam stabiliuit ab vndæ
Circumsonantis impetu.
3 At quemnam ex hominum numero dignabitur isto
Honore munificus Pater,
Vt domini sacras felix ascendat in arces,
Eiusque fiat accola?
4 Cui puræ scelerúmque manus, omnísque nefandi
Immune pectus criminis.
Qui vanis inhiat nunquam, nec fallere certus
Dei inuocauit numina.
5 Scilicet hunc Dominus multa mercede beabit,
Fortiq; proteget manu.
6 Vera hæc Isacidum soboles, hæc vera Iacobi
Addicta proles numini.
7 Eia caput portæ sublime attollite, portæ
Caput perennes tollite,
Ingenti vt pateant ingentia limina regi,
Summæq; pleno gloriæ.
8 Quis, cedò, Rex hic est tantus? magnusq; potensq;
Fortisque bellorum Deus.
9 Eia caput portæ sublime attollite, portæ
Caput perennes tollite,
Ingenti vt pateant ingentia limina Regi,
Summæq; pleno gloriæ.
10 Quis porrò tantus Rex hic est? armipotens Rex,
Rex plenus hic est gloriæ.

Psalmus

Psalmus vicesimus quintus τυπικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi vicesimi quinti.

Exemplar quotidianarum precum Ecclesiæ & singulis sanctis præbet hic psalmus: in quo tria petuntur, & quidem ex fide in patefactas nobis promissiones respiciente, ac se superioribus experientijs confirmante.

Vnum, peccatorum remissio gratuita.

Alterum, vt à Spiritu sancto regamur in reliquo vitæ cursu.

Tertium, defensio aduersus hostium iniurias. quæ tria respondent precationis Dominicæ verbis, quibus petimus remitti nobis peccata, ne inducamur in tentationem, & vt liberemur à malo.

Eiusdem Psalmi vicesimi quinti.

PARAPHRASIS.

1 *Ad te, Iehoua, omnem animum meum attollo.*

2 *Spes mea in te demũ sita est, mi Deus: ne, quaso, repulsam passus pudore suffundar, & ab hostibus deridear.*

3 *Et certè nequaquam patieris vt qui abs te pendent erubescere cogantur: quum perfidos istos potius & immerentẽ persequentes pudere oporteat.*

4 *Facito, Iehoua, vt in tantis támque perplexis difficultatibus quam viam tuis præscribas intelligam, & me semitas tuas doceto.*

5 *Rege gressus meos duce veritate tua, & doce me assiduè. Tu enim is es, mi Deus, à quo cõstanter liberationẽ expecto.*

6 *Memento, Iehoua, miserationũ quas toties tuis exhibuisti, & multiplicis illius bonitatis, quam omnibus seculis demõstrasti.*

INTERPRETATIO.

1 Ad te, Iehoua, animã meam attollo.

2 Deus mi, in te confido, ne pudefiam: ne exultent inimici mei propter me.

3 Nulli vtique qui te expectant pudefient: pudefient autem qui perfidè agũt sine causa.

4 Vias tuas, Iehoua, fac me scire: semitas tuas doce me.

5 Dirige me in veritate tua & doce me: quoniam tu es Deus liberator meus: te expecto toto die.

6 Recordare, miserationum tuarum, Iehoua: & bonitatum tuarum, quia fuerũt perpetuæ.

7 *Contrà verò quicquid à prima vſque adoleſcentia deliqui, & meas tranſgreſſiones obliniſcere: méque pro clementia & bonitate ſingulari tua reſpice, Iehoua.*

8 *Et quidni hoc ſperem? bonus enim eſt & minimè fallax, Iehoua, ideoque peccatores aberrantes in viam revocat.*

9 *Idem ſubactos & dociles reddit os commodè & moderatè inſtruit, & qua benignitate gubernare ſuos cõſueuerit demonſtrat.*

10 *Quacunque verò Iehoua ſuos deducat, apparet eius clemẽtia & quàm cõſtanter ijs promiſſa præſtet qui fœdus iſtud, quod nobiſcum pepigit, ſingulare certè bonitatis ipſius teſtimonium obſeruant.*

11 *Obſecro igitur Iehoua pro tua ipſius bonitate, & vt nomen tuum vbique celebretur, condona mihi iniquitates meas, quas plurimas & maximas eſſe agnoſco.*

12 *O quàm felix eſt quiſquis Iehouã veretur, docet enim quã viam inire ipſum oporteat.*

13 *Animus ipſius vbique ipſum comitante felicitate perfruitur, quam ipſius quoque poſteri participant.*

14 *Hi ſunt quibus Iehoua conſilia ſua, alioqui nobis abſcondita, pactum, inquam, illud ſuum retegit, ſui nimirũ timentibus.*

7 Delictorũ iuuentutis meæ & trãſgreſſionum mearum ne memineris, ſed ſecundum clemẽtiam tuam, memento mei: propter bonitatem tuam, Iehoua.

8 Bonus & rectus *eſt* Iehoua: ideo docet aberrantes in via.

9 Dirigit miſeros in iudicio: & docet afflictos viam ſuam.

10 Omnes ſemitæ Iehouæ, clementia & veritas: cuſtodientibus pactum eius & teſtimonia eius.

11 Propter nomen tuum Iehoua, vtique propitius eris iniquitati meæ: quia magna eſt.

12 Quis eſt vir timens Iehouam? docebit eum viam *quam* eligat.

13 Anima eius in bono morabitur: & ſoboles eius hæreditate accipiet terram.

14 Secretum Iehouæ *deſtinatur* timentibus eum, vt fœdus ſuum notum faciat eis.

15 Oculi

15 *Itaque oculos in vnum Iehouam semper intentos habeo: nã is demum ex istis retibus pedes meos explicabit.*

16 *Respice me, miserere mei, vtè calamitosi & ab omnibus deserti.*

17 *AEgritudines longè latéque cor meum occupant. Tu me ex his angustijs tripe.*

18 *Vide quàm miserè angar & excrucier, & peccata mea dele, omnium videlicet istarum miseriarum causam.*

19 *Vide quàm multis sim exosus, & quàm acerbè me isti oderint.*

20 *Tutare me & exime infamia, quoniam in te demum confido.*

21 *Fac vt in simplicitate ac integritate perstem incolumis, quòd à te expecto.*

22 *Denique tu Deus Israelem omnibus angustijs redimito.*

15 Oculi mei *tendunt* semper ad Iehouam: quia ipse eduxit de reti pedes meos.

16 Respice ad me & miserirere mei: quia desertus & afflictus sum ego.

17 Angustiæ cordis mei dilatarunt se: ex angustiis meis educ me.

18 Vide afflictionem meam & cruciatum meum: & remitte omnia delicta mea.

19 Vide inimicos meos, quia multiplicati sunt: odio iniuriæ oderunt me.

20 Custodi animam meam, & erue me ne pudefiam, quoniam ad te protectionis causa confugio.

21 Integritas & rectitudo custodiant me: quia te expecto.

22 Redime Deus Israelem ex omnibus angustiis eius.

Idem Psalmus vicesimus quintus monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo vt secundus.

1 *AD te tollo animum molestiarum*
Oppressum cumulo Deus benigne,

2 *At tu, ô spes mea, mi Deus, perennem*
Hanc ignominiam procul repelle,
Nec meis patere hostibus superbis
Vt ludos ego præbeam subactus.

3 Nánque istos minime decet pudere,
Quorum in te,bone,spes recumbit vnum.
Sed istos potius pudore tota
Suffundi facie par est sceleſtos,
Queis est ludere ludus innocentes.
4 Tu verò Deus iudicato quánam
Pergendum mihi sit via, tuaſq;
Me prorsus,rogo,semitas doceto.
5 Fac certum istud iter quoque indicatum
Possim perpetuo tenere cursu.
Nanque tu mihi liberator vnus,
Tu spes vnus in his mihi periclis.
6 Antiquæ esto memor benignitatis,
Tot,inquam,memor,ô Deus,bonorum
Quibus (ceu facere ipse consuesti
Seclis omnibus) ipse me beasti.
7 Obliuiscere quot quibusque memet,
Vitæ à principio meæ tenellæ,
Ehen polluerim subinde noxis.
Quin tu me bone,tu benigne,sola
Tua respice lenitate fretum.
8 Nam certè bonus es,tenaxq́,recti,
Ergo in deuia quos malus vaganes
Error abstulit,in viam reducis:
9 Nec monstrare viam boni atque recti
Vnquam te,bone,pœnitebit illis,
Corde qui tibi supplicant subacto.
Et sese dociles petunt doceri.
10 Illis scilicet vndiquaque mitem,
Illis scilicet vndiquaque fidum
Te,Deus,comitem ducemq́,præstas,
Pacti qui memores tui,sacratas

Colunt

Colunt ſollicitè vſque ſanctiones.
11 *At tu (ſic penitus tua vniverſum*
Orbem gloria permeet celebris)
Maximis, age, plurimiſque noſtris
Eheu criminibus, benigne, parce.
12 *Ecquis eſt, age, cui cum Dei verendi*
Tangat religio? ô modis abundè
Quiſquis talis es omnibus beatum!
13 *Dux hic namque tibi, hic erit magiſter,*
Et certa & ſolida hic tibi voluptas,
Immo & quæ tibi naſcitur propago,
Hæres huius erit beatitatis
14 *Hi ſunt quippe quibus ſuum ipſe fœdus*
Arcanúmque Deus recludit vnus,
15 *In te luminibus manere fixis*
Iuuat, dextera cuius vna poſſit
His me retibus explicare cunctis.
16 *Tu me, mi Deus, ergo deſtitutum,*
Tu me tàm miſerum intuêre clemens.
17 *Tu me vrgentibus vndiquaque preſſum*
Mille angoribus ergo liberato.
18 *Eheu reſpice quot quibúſque curis,*
Et quo conficiar miſer labore,
Parce criminibus meis, benigne.
Quæ me obſederit hoſtium caterua,
19 *Et quanta immineant ferocitate,*
Cæli ex vertice, mi Deus, notato.
20 *Et fidens tibi corculum tuetor.*
Nec turpem ſinito pati repulſam.
21 *Fac me ab hoſtibus aſſerat ſceleſtis*
Innocentia puritáſque ſaluum:
In te vnum ſiquidem recumbo totus.

22 *Tui denique tot malis ſepulti*
Vindex, ô Deus Iſraelis eſto.

Pſalmus viceſimus ſextus ἐυκτικός.

Argumentum & vſus Pſalmi viceſimi ſexti.

Perdifficile eſt ſynceram religionem & vitæ integritatem in aulis retinere, dominantibus: præſertim tyrannis & illorum adulatoribus, partim aperta vi, partim per calumniam graſſantibus, ac quibuſdam etiam prophanum illud prouerbium ſpecie prudentiæ occinentibus, πυλύπους νόος ἔσχε itaque alij vocationes ſuas vltro deſerunt, ſibi cum Reip. detrimento conſulentes: alij paulatim cæterorum ſimiles euadunt? Sunt etiam qui propter vitioſos aliquorum mores, aut à ſacris cœtibus abſtinēt, aut ſeorſim inſtituunt cōuētus vt olim Catharj & Nouatiani, & monachi multi quondam, noſtris que temporibus Anabaptiſtæ. Dauid contra, quamuis non alia eſſet ipſius in aula Saulis conditio, perſtat in ſua ſtatione, & ſacros cœtus nulla idololatria fœdatos eo diligentius frequentat, donec vi extrudatur: nec expulſum eum pœnitet conſtantiæ, ſed ſui ſemper ſimilis cauſam ſuam Deo commendat, pergitque malorum conſilia & exempla execrarj, & quæcunque ingruant pericula, ſe ſe integram fidej profeſſionem & inculpatos mores ſeruaturum teſtatur, promiſſionibus & ope Dei opt. max. fretum.

Eiuſdem Pſalmi viceſimi ſexti

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *TU Iehoua cauſam meam diiudicato. Nam certè pro viribus ſtudui integris moribus incedere, & in te Iehoua, fiduciam omnem meam collocans, conſtanter pergere conſtitui.*	1 IVdica me Iehoua, nam ego in integritate mea ambulaui: & in Iehouam fiduciam poſui, nō vacillo,
2 *Tute me proba & explora, & intimum cor meum perſcrutare,*	2 Proba me Iehoua & explora me: examina renes meos & cor meum.
	3 Quoniam

3 *Certè meis oculis obſeruata ſemper eſt tua bonitas, tuamq́ veritatem mihi vita mea ducem ac magiſtram propoſui.*

3 Quoniam bonitas tua coram oculis meis: & ambulaui in veritate tua.

4 *Vaniſſimorum iſtorum hominum congreſſus ſtudioſè deuitaui: & verſutos iſtos refugi.*

4 Non ſedeo cum hominibus vanis: & cum verſutis non ingredior.

5 *Malignorum cœtum odi, neq́ impijs aſſedi.*

5 Odi cœtum improborum & cum malis non ſedeo.

6 *Manibus non tam aqua exterius ablutis quàm ab omni ſcelere puris circum altare tuum ſteti.*

6 Abluo innocentia manus meas: & circunſto altare tuum, Iehoua.

7 *Vt te palam laudibus efferrem, & mirifica geſta tua celebrarem.*

7 Vt audire faciam vocem laudis: & enarrem omnia mirabilia tua.

8 *Nihil enim habeo ade illa in qua ſedem poſuiſti tuaq́ maieſtati domicilio carius.*

8 Iehoua, diligo habitaculũ domus tuæ: & locum domicilij gloriæ tuæ.

9 *Ne me, quaſo, cum iſtis flagitioſis inuoluito, neque de me vt de cruentis iſtis homicidis ſtatuito.*

9 Ne colligas cum peccatoribus animam meam: & cum viris ſanguinolentis vitam meam.

10 *Qui malè cogitata promptè exequuntur, & quorum manus muneribus plena ſunt.*

10 In quorum manibus eſt malum conſilium, & quorum dextera plena eſt muneribus.

11 *At ego integer pro viribus inceſſi. Itaque tu mei miſertus me redime.*

11 Ego verò integer ambulo redime me & miſerere mei.

12 *Quod ſeruata recti via perſto, tibi acceptum refero, Iehoua, teq́ hoc nomine in ipſis cœtibus publicis celebrabo.*

12 Pes meus conſiſtit in via plana: in cœtibus benedicam tibi, Iehoua.

Idem Pſalmus viceſimus ſextus monocolos, carmine trochaïco dimetro catalectico, vt Pſalmus viceſimus tertius.

1 TV meæ Deus potens
Esto litis arbiter.
Corde nanque simplici
Ambulaui sedulus,
Et te ab vno pendulus
Nil vacillans perstiti.
2 Tute me, Deus, proba,
Tu caminis admoue,
Tute renes intimos,
Ipsa tu præcordia,
Cerne, tenta, perspice.
3 Quæ benignus præcipis,
Quæ tui timentibus
Liberalis sufficis,
Inuendo sedulus,
Rursus ad normam tuæ
Veritatis ambulo.
4 Ergo nec mendacium
Persequor, deliria,
Nec libenter callidis
Me viris admisceo.
5 Quin nocentûm prouidus
Execror commercia,
Impiisq; sedulus
Abdico me cœtibus.
6 En ad aras adfero
Has manus innoxias,
Corq; fraudis nescium:
7 Laudis vt præco tuæ,
Nomen illud nobile
Voce grata concinam.
8 Nanque totus ædium,

Totus

Totus en palatij,
Quod tibi soli sacrum
Glorioſus incolis,
Sancto amore feruco.
9 *Ergo ne me, mi Deus,*
His prophanis aggrega,
Neu cruore innoxio
Addito madentibus.
10 *Hi ſuis verſutijs,*
Hi dolis indulgeant,
Iſti auara ſordidi
Dona captent dextera.
11 *At iuuet me ſimplici*
Mente ſemper progredi.
Tu vicißim me, Deus,
Innocentem libera.
Tu miſellum reſpice,
12 *Vſque recti fortiter*
Inſequutum tramite.
Quo, Deus, te nomine
Oratus ipſe publicis
Prædicabo cœtibus.

Pſalmus viceſimus ſeptimus παραινετικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi viceſimi ſeptimi.

Siue iam liberatum, ſiue adhuc in mediis periculis verſantem Dauidem dicamus hunc Pſalmum ſcripſiſſe, nihil intereſt. Aperiuntur autem hic nobis, etiam quum deſperata omnia videntur, tres perennes ac inexhauſti fontes ex quibus certam conſolationem hauriamus. Vnus eſt, Dei per fidem apprehenſi potentia omnibus hoſtium terriculamentis oppoſita. Alter eſt, perpetuum gloriæ Dei ſtudium, recta vbique conſcientia ſeruata, & ſtudioſe vſurpatis mediis quibus fides noſtra confirmatur, verbi videlicet diuini au-

ditione,& ſacramentorum vſu: ſiquidem id nobis conceditur,ſin minus,aſſidua eorundem meditatione. Tertius, inuocatio cum fiducia & patientia.

Eiuſdem Pſalmi viceſimi ſeptimi.

PARAPHRASIS.

1 *IEhoua perſpecta mihi de me liberando voluntas, quũ mihi in his quantumuis tenebris inſtar ſacis lucentiſſima praluceat, quem timebo? quum vita mea nitatur Iehoua robore, quem reformidabo?*

2 *Expertus loquor. Quoties enim illi improbiſſimi oppreſſores & hoſtes mei in me irruerunt quaſi dentibus ipſis me deuoraturi, irritis conatibus corruerunt.*

3 *Deinceps itaque vt hoſtes aduerſum me copijs inſtructis progrediantur, ſtabo tamen imperterritus: quòd ſi pugnam ineant, ex hoc ipſo maioris fiducia argumentum arripiam.*

4 *Neque verò primatis commodum meis ſic cõſulo, ſed hoc vnum à Iehoua peto & efflagito vt mihi liceat ipſius domus incola vitam apud eum tranſigere, eamq; omnem contemplanda Iehoua pulchritudine, & ade ipſius aſſidue ſpectanda conſumere.*

5 *Nam illic demum ſub ipſius adu tecto ingruente tempeſtate deliteſcam, & in adyto ipſius tenterij abſcondar, donec ſublimi tutaq; in rupe collocet.*

INTERPRETATIO.

1 IEhoua lux mea, à quo, *id eſt, quem* timebo? Iehoua robur eſt vitę meę, à quo trepidabo?

2 Cum appropinquarẽt aduerſus me maligni ad vorãdum carnem meam, oppreſſores & hoſtes mei in me: ipſi corruerunt & ceciderunt.

3 *Itaque* vt diſpoſita ſint aduerſus me caſtra, non timebit cor meum: ſi conſurgat in me prælium, in hoc ego confidam.

4 Vnum petij à Iehoua, hoc requiſiui, vt habitem in domo Iehouæ omnibus diebus vitæ meæ: ad ſpectandam pulchritudinem Iehouæ, & inſpiciendum templum eius.

5 Quoniam occultabit me in tabernaculo ſuo: in die afflictionis abſcondet me in adito tentorij ſui: ſuper rupem extollet me.

6 Nunc

6 Immo iam nunc victor eminee, ſupra hoſtes qui me circunſtant caput attollam, ſacra, inquam, lætus faciam in ipſius tabernaculo. & Iehoua cantabo & pſallam.

6 Nunc ergo extolletur caput meũ ſuper inimicos me os qui me circunſtant, & ſacrificabo in tabernaculo eius ſacrificia iubilationis: cantabo & pſallam Iehouæ.

7 Solenne ipſi, intra eius tentorium, ſacrificium, adhibito buccinarum clangore, perſoluam, & Iehouam voce ac inſtrumentorũ pulſu celebrabo.

8 Accipe igitur Iehoua clamãtis vocem; miſerere mei, & exaudi me.

8 Audi Iehoua vocem meã, *qua* clamo: & miſerere mei, exaudi me.

9 Cor meum aſſiduè tuum illud mandatum verſat: Requirite faciem meam, id eſt, vt meipſum patefacio. Itaq; obtempero tibi & tuum conſpectum requiro, Iehoua.

9 Tibi dicit cor meum, requirite faciem meam: faciẽ tuã, Iehoua, requiram.

10 Ne me auerſare, ne quæſo, iratus ſeruum tuum abijce. Tu mihi adhuc opitulaturus es, ne me deſere, ne me relinque, mi liberator.

10 Ne abſcõdas faciem tuam à me, ne abiicias in ira ſeruum tuum: auxilium meũ es, ne deſeras me, & ne derelinquas me, Deus ſeruator meus.

11 Vt omni humano præſidio, atque adeò ab ipſis parentibus deſerar, tu tamen, Iehoua, me colliges.

11 Etiamſi pater meus & mater mea me deſererent, tamen Iehoua colliget me.

12 Doceto me qua via inſiſtam, & tramitem mihi cui tot hoſtes inſidiantur complanato.

12 Doce me Iehoua viam tuam, & deduc me via plana propter aduerſarios meos.

13 Ne me exponito meorum hoſtium libidini: nam in me inſurrexerunt quos mentiri & quidnis audere nihil pudet.

13 Ne dedas me libidini eorum qui me opprimunt. Nam inſurrexerunt in me teſtes mendaces, & *qui* audacter de vi mihi inferenda loquuntur.

14 *Confido tamen futurum vt*
ſalmus & incolumis fruar Dei
beneficijs.

15 *Agedum Dauid, expecta Ie-*
houam forti conſtantiq́, ani-
mo. Iehouam, inquã, expecta.

14 Quod niſi credidiſſem me
viſurum bona Iehouæ in
terra viuentium *actum eſſet*
de me.

15 Expecta Iehouam, ſis for-
tis, & ſit firmum cor tuum,
expecta, inquam, Iehouã.

Idem Pſalmus viceſimus ſeptimus, carmine trochaïco dimetro catalectico, vt Pſalmus viceſimus tertius.

1 *CLara me lampas Deus*
Ipſe cuſtos quum regat,
Quo metu perterrear?
Quum Deo duriſſimis
Nitar vno caſibus,
Qua tremam formidine?

2 *Vt ſceleſti dentibus*
Pene me ipſis impetant,
Vt feroces inruant
Qui volunt me perditum,
Irrito mox impetu
Diſſipati corruent.

3 *Hinc & inde me premant*
Vt phalanges hoſtium,
Corde ſtabo interrito.
Hinc & inde bellicus
Horror vt circumſonet,
Nitar huius numine.

4 *Vnum id intentus peto,*
Vnum id intentus petam,
AEuum vt omne tranſigam
Eius ædis incolã,

Eius

Eius intuens decus
Et ſacras mirans domos.
5 *Eius hîc ſub pellium*
Parte tutus intima,
Sorte preſſus aſpera,
Delitebo conditus,
Donec in faſtigium
Rurſus arcis euehar.
6 *Imò, ſtratis hoſtibus,*
Tollo iam victor caput,
Iam ſacris altaria
Sunt oppoſita victimis,
Sacra feſtis atria
Perſonant iam cantibus.
7 *Eiulantis tu preces*
Heu, Deus mi, percipe:
Nec malis tot obrutum
Aure ſurda neglige.
Quin meis clamoribus
Tu benignus annue.
8 *Tute quæri te iubes,*
(Sic anhelans corculum
Nanque de te cogitat)
Hinc tuos, rerum parens,
Vſque vultus pectore
Quæro toto feruidus.
9 *Ergo tu me reſpice,*
Seruulum ne deſpice,
Tu, ſalus olim mea,
Ne miſellum deſere:
Ne furens me proïce
Libratum millies,

10 *Vt genetrix me mea,*
Vt pater me deserat,
Tu relictum collige:
11 *Tu tuas per semitas*
Tu per æquos tramites
Hostibus me surripe,
12 *Ne rogo me innoxium*
Dede sæuis hostibus,
Nanque me periurijs
Ecce testes obruunt,
Impetiúntque callidis
Hinc & inde fraudibus.
13 *Quod tui ni numinis*
Hoc mihi dictet fauor,
Gloriæ vium tuæ.
Me futurum compotem,
Scilicet iam millies
Interissem funditus.
14 *Fortis ergo sustine,*
Ergo teipsum robora,
Firmus, inquam, permane,
Fortis, inquam, sustine
Donec adsit numinis
Missa cælo dextera.

Psalmus vicesimus octauus ἐυκλικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi vicesimi octaui.

Dauid hoc Psalmo non vt priuatus, sed personam publicam regis á Deo ipso designati sustinens, precatur pro se & pro Dei Populo tanta cum fiducia, quamuis ne vt priuatus quidem tutò versari in Saulis regno posset, vt etiam de impetrata petitione gratias agat: adiungit præterea preces planè propheticas aduersus omnes Ecclesiam, non per ignorantiam aut præcipitem aliquem affectum, sed destinata obduratáque malitia

malitia oppugnantes, quò pertinent quæ scripta sunt. 1. Sam. 23. 17. & 24. 21.

Eiusdem Psalmi vicesimi octaui.

PARAPHRASIS.

1 INclamo te Iehoua propugnaculum meum, ne quæso ad meos clamores obmutesce. Nam si fortè obmutueris, nihil ab iis differam qui mortui terra obruuntur.

2 Tantisper igitur dum clamare licet preces meas excipe, & me respice manus ad tuum illud sacratissimum adytũ protendentem.

3 Ne me pari loco atque improbos istos & sceleribus gaudentes habeto, qui verbis quidem amicitiã & officia quasi testantur, intus verò pessima quæque cogitant.

4 Tribue illu dignam ipsorum opere mercedem, & quod scelerata ipsorum facinora merentur: tribue, inquam, illis ac repente dignam ipsorum opere mercedem.

5 Quum enim opus à te destinatum, & quod peragere cõstituisti scientes prudentes impediant, tu scilicet illos euertes, Iehoua, hedum vt illos beneficijs augere pergas.

6 Gratias igitur ago Iehoua qui preces meas exaudierit.

7 Iehoua meum robur est, & clypeus meus: hic est quo animus meus innititur opem ipsi-

INTERPRETATIO.

1 AD te Iehoua clamo, petra mea, ne fileas auersus à me: nè si fortè me respueris similis fiam descendentibus in foueam.

2 Audi vocem precationum mearum, dum clamo ad te: dum eleuo manus meas ad sacrarium sanctitatis tuæ.

3 Ne trahas me cum impiis & cum operariis iniquitatis: qui pacificè loquuntur cum proximis suis, quum malum sit in corde eorum.

4 Da illis secundum opus eorum, & secundum malitiam facinorum eorum: secundum opus manuum ipsorum da illis, repende retributionem illis.

5 Quoniam non attendunt ad opera Iehouæ, & ad opus manuum eius destruet eos, & non ædificabit eos.

6 Laus sit Iehouæ, quod audierit vocem deprecationum mearum.

7 Iehoua fortitudo mea, & scutum meũ est: in illo confidit cor meum, & adiutus

us expertus: hic demum cor meum exhilarat: hunc ego celebrabo.

8 *Iehoua suos corroborat, nec alio quoquam vnctus ille tuus nititur.*

9 *Assere, Deus, populum tuum, & istos peculiari iure tuos fauore tuo dignare: pasce illos & in æternum attolle.*

sum: ideo exultat cor meũ, & cantico meo ipsum celebrabo.

8 Iehoua robur est *meis* istis & vis salutifica hic est iusto suo.

9 Serua populum tuum, & benedic hæreditati tuæ; & pasce eos, & extolle eos in perpetuum.

Idem Psalmus vicesimus octauus monocolos, carmine choriambico tetrametro.

-- -⏑⏑- -⏑⏑- ⏑-

1 *AD te clamo meum ô præsidium, Deus*
Ah, ne me tacitus despice supplicem,
Neu me proijcito iam miseris parem,
Tetri quos tumuli fossa vorat vorax.

2 *Has eheu querulas accipito preces,*
Quas, inquam, ingemino vociferans preces,
Meq; ad septa tuæ conscia gloriæ,
Tendentem geminas aspicito manus.

3 *Neu tu me scelere inuoluito deditis,*
Neue his annumera qui bona pessimi
Lingua polliciti maxima blandula,
Intus corde premunt pessima perfido.

4 *His tu digna Deus præmia soluito,*
Mercedemq; malis tot studijs parem,
Respondens operæ fac pretium ferant,
Illis denique par tu referas pari.

5 *Nam quum gesta tuæ fortia dexteræ*
Auersis oculis cernere negligant
Ipsos tu penitus scilicet obrues,

Perdesq;

Perdéſque exitio funditus vltimo.
6 *Laus æterne, Deus, ſit tibi, ſupplicis*
Auditi querelas qui facilis preces.
7 *O cuius valida robore roboror,*
Et cuius clypeo tutus obambulo,
Confiſum hocce tibi, tu bone, corculum
Seruaſti validæ præſidio manus,
Geſtit ſubſiliens hinc animus tibi,
Et te noſtra canit tinnula barbitos.
8 *Quod fortes animis ſunt mihi milites,*
Acceptum refero viribus hoc tuis:
Vnxiſti caput hoc: te caput hoc, Deus,
Ereptum celebrat mille periculis.
9 *Tu ſeruato tuos, tu populum tibi*
Addictum afficito muneribus nouis,
Sacratúmque tibi paſcito tu pecus,
Ornatoque bonis vſque perennibus.

Pſalmus viceſimus nonus Διδακτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi viceſimi noni.

Quum nulli magis conſueuerint ſuperbire, Denique tandem ipſius maieſtatem aſpernari, quàm ij quibus Dominus alios regendos homines ſubiecit, adeò vt & diuinos honores ſibi attribuant, & ſibi in cæteros quicquid libuerit licere arbitrentur: docet Reges ac Principes peculiariter hic Pſalmus, ex collatione poteſtatis ipſorum (quantumcunque tandem ſit) cum immenſa illa Dei potentia, ſeſe in tonitruis cæteriſque tempeſtatibus, & earum effectis demonſtrante, cogitare potius quantum infrà illum ſubſidant, & à quo, & qua conditione iſtud imperium acceperint, quàm ex eo ſuperbire quòd ſupra mortales aliquot ad tempus emineant. Deinde quum populorum adulationibus ſæpe quoque Reges ipſi demententur, illos monet vt ſuis magiſtratibus obſequi contenti tanquàm Dei miniſtris, à Deo

tamen vno pendere & beneficiorum omne genus expectare discant.

Eiusdem Psalmi vicesimi noni.

PARAPHRASIS

1 REges potentesque omnes cedite Iehouæ, cedite, inquam, Iehouæ, gloriæ & potentiæ laudem.

2 Cedite Iehouæ maiestatem illam ipsius nomini propriam, eūq; prostrati in illo pulcherrimo ipsius sacrario adorate.

3 Hic ille est Iehouæ, cuius vox per medias aquas tonans, Deum illum verè gloriosum esse tā sonora voce testatur, vox, inquam, illa è mediis nimborū tempestatibus erumpens.

4 Vox Iehouæ verò potens. Vox Iehouæ magnificentia plena.

5 Vox Iehouæ Cedros, Cedros libani quantumuis proceras confringens.

6 Et euulsas radicitus instar lasciuientis iuuenci salire iubens: ipsosque quantumuis vastos montes concussos tremefaciens.

7 Vox Iehouæ ignes ex ipsis nimbis excisos etaculatur.

8 Vox Iehouæ horrenda deserta & Arabum tesqua succutit.

9 Vox Iehouæ ceruas trepidantes abortire facit, & syluas dirutu ingenti cum fragore radicitus arboribus nudat:

INTERPRETATIO.

1 DEferte Iehouæ filij potētum, deferte Iehouæ gloriam & robur.

2 Deferte Iehouæ gloriam nomini ipsius debitam, incuruate vos Iehouæ, apud splendidum eius sanctuarium.

3 Vox Iehouæ est super aquas: Deus glorioſus tonat: Iehoua tonat super aquas multas.

4 Vox Iehouæ robusta est, vox Iehouæ magnifica est.

5 Vox Iehouæ cōfringit cedros, & confringit Iehoua cedros libani.

6 Et exilire facit eas quasi iuuencos: Libanum & Sirion sicut vnicornium catulos.

7 Vox Iehouæ incidit flammas ignis.

8 Vox Iehouæ facit contremiscere desertum: contremiscere, inquam, facit Iehoua desertum Cades.

9 Vox Iehouæ facit parturire ceruas & denudat syluas: & in tēplo eius quisque dicit gloriam.

10 Iehoua

pijs interea gloriam ipsi in eius templo tribuentibus.

10 Hinc consequuntur horrenda aquarum eluuiones, sed quas ille insidens ipsis moderatur: est enim Iehoua rex aternus.

11 hic est qui populo suo vires subministrat, Iehoua nimirum suos assiduis beneficijs exornans.

10 Iehoua diluuio præsidet præsidet inquam Iehoua rex in æternum.

11 Iehoua robur populo suo præbebit: Iehoua benedicet populo suo in pace.

Idem Psalmus vicesimus nonus dicolos distrophos, priore carmine iambico, trimetro acatalectico, altero iambico, dimetro acatalectico, vt primus.

1 PRoceres adeste, adeste proceribus sati,
Honore cincti & gloria.
Et robur omne, & omne gloriæ decus,
Deo potenti cedite,
2 Omnem potenti cædite Deo gloriam.
Eiusque sancto numini
Adeste sacram ad eius aram supplices,
Totóque strati corpore,
3 Cuius sonora voce terrificis tonans
AEther corruscat ignibus.
Cuius sonoræ voce plena gloriæ
Mundus vacillat territus.
4 Quis porro vocis huius, huius quis soni
Comprehendat amplitudinem?
5 Vox hæc proceras, libani decus, cedros
Fragore magno subruit,
6 Proterua qualis vitula, & vnicornium
Lasciuiens salit pecus,

Sic Libani, Sirionis altum sic iugum,
Hoc intonante subsilit.
7 *Hac voce ruptis nubibus, trepidum aera*
Sulci pererrant ignei,
8 *An fractuosæ murmurantes vallium*
Procul remugiunt specus,
9 *Passidisq; fœtus ante tempus capreis*
Vltro effluentes procidunt.
Densis opacum nuper arborum comis,
Repentè caluefit nemus.
Sacras ad æras dum canentium Deo
10 *Regnat tonitrua reboant altera,*
ator alta sic in arce cœlitum,
Throno perenni considens,
Ventos ruentes, & procellarum impetus,
Orbis coercet arbiter.
11 *Hinc sufficit robur, hinc in suos*
Secunda cuncta depluit.

Psalmus tricesimus εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi tricesimi.

Probabile est Dauidem hunc Psalmum edidisse quum Absalomo & Sæba interfectis, in vrbem regressus (vt narratur 2. Sam. 20.) domum suam incestu filij & aliis scelcribus pollutam vellet repurgare, & Deo quasi de integro consecrare, qua in re fuisse ritum aliquem vsurpatum apparet ex mœnium vrbis consecratione in Nehemiæ historia, quod etiam videtur colligi vtrumquè posse ex Deut. 20. 5. Agit igitur Deo ingentes gratias, cuius vnius clementiæ hanc restitutionem vsque adeò subitam ac penè momentaneam acceptam refert, simulque, sua vnius stulta securitate factum confitetur, vt Deus pacis publicæ aç cæterorum beneficiorum tenorem abrumperet.

Eiusdem

Eiusdem Psalmi tricesimi.

PARAPHRASIS. INTERPRETATIO.

Psalmus cantici dedicationis domus Dauid.

1 *Efferam te laudibus liberatorem meum, Iehoua, vt qui minimè sis passus vt de me hostes mei triumphos agerent.*

1 Extollam te Iehoua, qui extraxisti me: & non exhilarasti inimicos meos de me.

2 *Clamaui ad te, Iehoua mi Deus, & tu me vicissim iam moribundum seruasti.*

2 Iehoua, Deus mi clamaui ad te & sanasti me.

3 *Ex ipso, inquam, sepulchro, tu me Iehoua eripuisti, & vitam mihi restituisti, alioqui in fossam descensuro.*

3 Iehoua ascendere fecisti ex sepulchro animam meã vitam restituisti mihi, ne descenderem in foueam.

4 *Psallite mecum Iehoua quotcunque sua benignitate complectitur, & sanctam eius memoriam perpetuis laudibus celebrate.*

4 Psallite Iehouæ beneficii ipsius: & celebrate memoriam sanctitatis eius.

5 *Nam iram quidem ipsius finit momentum, ipsius autem beneficentia ad extremam vitã perdurat: quòd si vesperè curo tristitia lectum petimus, manè occurrit gaudij argumentum.*

5 Quoniam momentanea est ira eius: perennitas est in beneplacito eius: vespere hospitatur fletus, sed mane est exultatio.

6 *At ego rebus secundis stultè indormiens, statuebam nullam mihi mutationem posse euenire.*

6 Ego verò dicebam in prosperitate mea: non mouebor in æternum.

7 *Nam tu certè, Iehoua, singulari quodam beneficio mõtem meum egregiè communieras. Sed simulatq; meã stulta securitate offensus vultum à me auertisti, illico perculsus corrui.*

7 Iehoua tu pro beneplacito tuo stabiliueras monti meo robur: abscondisti faciem tuam & fui conturbatus.

8 *Tum ego te rursum inclamaui, Iehoua, hisce verbis te deprecatus.*

9 *Obsecro verò, si interfectus in sepulchrum descendero, quid inde boni consequetur? num enim meum istud corpus in puluerem redactum laudes tibi canet, & tuam illam in præstandis promissis constantiam prædicabit?*

10 *Iehoua exaudi me, miserere mei, opem fer, Iehoua.*

11 *Et ecce meos istos gemitus in effusissimum gaudium conuertisti, adeò vt deposito cilicio repentè amictus lætitia prodierim.*

12 *Itaque psallet tibi nunquam conticescens hæc lingua, prædicanda tuæ gloria consecrata: te, inquam, Iehoua mi Deus, perpetuò celebrabo.*

8 Ad te, Iehoua, clamaui: & Iehouam sum *his verbis* deprecatus.

9 Quę vtilitas *prodibit* ex sãguine meo, descendente me in foueam? num celebrabit te puluis? num prædicabit veritatem tuam?

10 Exaudi Iehoua, & miserere mei: Iehoua sis adiutor mihi.

11 *Tunc* conuertisti luctum meum in tripudium mihi: soluisti saccum meum, & circuncinxisti me lætitia.

12 Propterea psallet tibi gloria *mea* neque conticescet: Iehoua, Deus mi, perpetuò celebrabo te.

Idem Psalmus tricesimus, dicolos tristrophos: primus & secundus versus est iambicus trimeter acatalecticus: tertius iambicus trimeter acatalecticus.

1 *O Quò caput ego tollo victor vindice,*
Victo nec vllus hostis insultat ferox,
Te carmine efferam, Deus.

2 *Tu me eiulantem, mi Deus, tu perditum*

3 *Sanasti, & ipsis ex sepulchri faucibus,*
Pollente seruasti manu

4 *Adeste quotquot iste mecum amplectitur,*

Serisq;

Seriſque cunctis numen eius inclytum.
Cantu ſacrate poſteris.
5 *Nanque eius ira vel momento præterit,*
At eius vſque permanet benignitas
Sera in nepotum ſecula.
Si noctis vmbra forte mœſtos texerit,
Sol lucis almæ rurſus efferens iubar,
Mutat dolores gaudijs.
6 *Securus ibam ſortis immemor meæ,*
7 *Et, arce fretus munere extructa tuo,*
Cuncta mihi certa pollicens,
8 *Quum me repentè deſeri abs te ſentiens,*
Mente pauefacta ad te recurri, mi Deus,
Iſtaſq; profudi preces,
9 *Vt iam ſepulchro condar, ecquid commodi*
Hinc auferes? nunquid cadauer putridum
Fidei tenacem te canet?
10 *Audi, Deus, precantem, & afflictum aſpice,*
Me, inquam, Deus, miſerum miſertus adiuua.
11 *Et iſta vix dum dixeram,*
Mœrore pulſo quum recurrit gaudium,
Luctúſque poſita veſte, lætus prodij
Sanctos ſoluturus in choros.
12 *Vt te ore cantem, te ſonora barbito.*
Gratus celebrem, mi Deus,
Non deſituris laudibus.

Pſalmus triceſimus primus ἐυκτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi triceſimi primi.

Sicut calamitatum, quibus & ſuos explorat, & caſtigat Dominus, variæ ſunt circunſtantiæ, ita operæpretium eſt in legendis Pſalmis, quibus continentur preces ab ipſo Spiri-

tu ſancto dictatæ, conſiderare quid commune inter ſe, & quid proprium habeant, vt illis commodè & appoſitè vtamur. Scriptus eſt igitur hic Pſalmus à Dauide vt ſatis manifeſtè apparet, eius temporis reſpectu quo, quum antea gloria & auctoritate floreret & alterum à Saule locum obtineret, repentè iniuſto Regis odio, & quorundam illius furorem acuentium æmulatione in extremas anguſtias redactus eſt: cuiusmodi ſubitis viciſſitudinibus perculſos infinitos etiam conſtantiſſimoſque alioqui homines turpiſſima conſilia cæpiſſe, ac tandem penitus concidiſſe conſtat. Dauid contrà duplicem errorem confeſſus, nempè quòd & rebus ſecundis de iſtiuſmodi mutabilitate non cogitarit, & ingruente tempeſtate tam repentina penè deſperarit: tantò ardentius Deum precatur, iis quæ ex Samuele intellexerat & recta quoque ſua conſcientia fretus. Inſignes denique illas Dei promiſſiones ſibi proponit plurimis certiſſimiſque exemplis confirmatas, quibus Deus tum maximè ſibi curæ eſſe ſuos demonſtrat, quum res planè videntur deploratæ. Denique vt ſuo exemplo pios omnes doceat huiusmodi præces exaudiri, Deo gratias agit, ſiue quòd ita futurum omnino conſideret, quæ ſpes illum non fefellit: ſiue quòd hunc Pſalmum poſt liberationem ſcripſerit.

Eiuſdem Pſalmi triceſimi primi

PARAPHRASIS.

1 *TVis es Iehoua, ad quem perfugio: eximito me, quaſo, iſti nunquam delenda infamia, & pro ea iuſtitia qua præſtare promiſſa conſueuiſti, me liberato.*

2 *Audi me, & accurre vt me eripias, ſiquidem in te vno præſidium omne meum, & tota defenſio mea ſita ſunt.*

3 *Tu, inquam, mihi propugnaculum es, & arx munitiſſima. Deduc igitur, & rege me per mediaſ tempeſtates, minimè id quidem quòd id merear: ſed vt gloria tua conſulas.*

INTERPRETATIO. II

1 AD te Iehoua confugio, ne *quaſo* pudeam perpetuò, pro iuſticia tua libera me.

2 Inclina ad me aurem tuã, celeriter eripe me, ſis mihi rupes firma, & domus munita ad ſeruandum me.

3 Nam rupes mea, & munitio mea tu es: tuque propter nomen tuum deduc & dirige me.

4 Educ

4 *Fac vt euadam ex reti quod isti mihi capiendo occultarũt, siquidem tuus vnius viribus nitor.*

5 *Depono animã ipsam in tuas manus, quam ego liberatorem & fidei memorẽ semper sum expertus.*

6 *Tu mihi testis es vicissim quòd versutos & mendaces auersatus, abs te vna pependerim.*

7 *Itaque futurum prorsus confido vt de bonitate tua tandem exultem, quòd me miserum & in angustias redactum respexeris & agnoueris.*

8 *Neque me passus ab hostibus circumuentum intercipi, ex angustijs potius in amplum & spatiosum locum eduxeris.*

9 *Itaque Iehoua, misẽrere mei tam crudeliter vexati vt non modo vultus & viscera, sed ipsa quoque anima contabuerit.*

10 *Vix enim certè spiritum duco, præmœrore, & gemendo consenui, adeò vt ossibus ipsis labefactis, robur omne meum conciderit.*

11 *Facit quippe hostium meorum multitudo ac potentia vt omnibus & quidem imprimis propinquis meis detestabilis videar, & qui me probe norunt, siquando foris ipsis occurri, cõspectum meum refugiant.*

4 Educ me è reti quod absconderunt mihi: nam tu robur meum es.

5 In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Iehoua Deus verax.

6 Odio habui obseruantes vanitates fallaces: ego autem in Iehoua confido.

7 Exultabo & lætabor in bonitate tua, quòd respexisti afflictionem meam: agnouisti in angustiis animam meam.

8 Et non concluseris me in manu inimici: *sed* statueris spatioso loco pedes meos.

9 Miserere mei Iehoua, quia vexatio *est* mihi: præ mœrore cõtabuit vultus meus, anima mea & venter meus.

10 Certè defecit in tristitia vita mea, & anni mei in gemitu: concidit in miseria mea robur meum, & ossa mea corrosa sunt.

11 Propter tot hostes meos factus sum probrosus, etiã propinquis meis valde, & horrori *sum* notis meis: videntes me foris, fugiunt à me.

12 *Denique omnium animis excidi perinde ac si essem mortuus: & habeor cuiusuis etiã confracta testa fragmentis vilior.*

12 Obliuioni traditus sum cordi hominum *ac si essem* mortuus, factus sum tanquam vas perditum.

13 *Audio iactata in me à potẽtissimis quibusq; probra, quæ faciũt vt totus cohorrescam, ijsdem aduersum me consilia sollicitè ineuntibus.*

13 Quum audio vituperationem magnatum, pauor *me inuadit* circumquaque, cõsultantibus illis simul contra me, & de capienda anima mea cogitantibus.

14 *Ego tamen, Iehoua, in te confido. Sic enim semel apud me statui, quòd tu sis Deus meus.*

14 Ego tamen confido in te Iehoua: dixi, Deus meus es tu.

15 *Et certè nequaquam penes illos sed penes te sunt vitæ meæ spatia. Eripe me igitur hostium, eorumq; omnium manibus qui me persequuntur.*

15 In manu tua *sunt* tempora mea: libera me ex manu hostium meorum, & ab iis qui me persequuntur.

16 *Recrea me seruum tuum vultus tui splendore, & pro tua bonitate me libera.*

16 Illucêre fac super seruum tuum faciem tuam: serua me pro bonitate tua.

17 *Fac, inquam, Iehoua ne qui te inuocaui pudefiam, sed vt illorum ora potius mors occludat.*

17 Iehoua, ne pudefiam: nam inuocaui te: pudefiant impii, conticescant in sepulchro *inferno*.

18 *Et mentiri desinant qui mihi insonti vsque adeò acerbè & superbè & cum tanto cõtemptu obtrectant.*

18 Obmutescant labia mendacia: loquentia aduersus innocentem durè, cum superbia & despectu.

19 *O quàm multiplex est illa tua bonitas quã experti sunt quicunque te sunt reueriti, & quos nullus hominum terror à tui numinis professione abduxit.*

19 Quam multa bonitas tua, quam seposuisti timẽtibus & quam exhibuisti confidentibus in te coram filiis hominum!

20 *Nec enim desunt latebræ in quibus illos à sceleratorum arrogantia tutos, & procul à*

20 Abscondis eos in latibulo vultus tui *tutos* ab arrogantia omnium: occultas eos

virulentis ac maledicis occultatos, ac in tabernaculo tuo collocatos tuteris.

21 *Te igitur celebro, Iehoua, mirificam illam tuam bonitatem expertus, haud aliter quàm si fuissem munitissima alicuius vrbis mœnibus defensus.*

22 *Ego tamen fateor, tam repentina tempestate præceps deiectus, me penitus abs te proiectum esse temerè statuebam: sed tu nihilominus deprecationes vociferantis exaudisti.*

23 *Vos igitur omnes quos ille gratia sua dignatur, exemplo meo commonefacti, pergite Iehouam diligere, vt qui sibi constanter obsequentes custodiat, & superbè sese gerentibus patrata cumulatè referat.*

24 *Fortes, inquã, estote, & vos ipsos magis ac magis obfirmate quicunque in Iehoua spem ac expectationem vestram defixistis.*

eos in tugurio *procul* à cõtentiosis linguis.

21 Laus sit Iehouæ qui mirã exeruit bonitatem suam in me *collocatum* in vrbe munita.

22 Ego autem dixeram in præcipitatione mea, proiectus sum conspectu oculorum tuorum: vtique tamẽ exaudisti vocem deprecationũ mearum, dum clamaui ad te.

23 Diligite Iehouam omnes benefici ipsius fideles custodit Iehoua, & rependit abunde ei qui superbè se gerit.

24 Fortiter vos gerite, & firmum sit cor vestrum, omnes qui speratis in Iehouam.

Idem Psalmus tricesimus primus, dicolos distrophos, prior versus est heroicus hexameter, alter Iambicus trimeter acatalecticus.

1 *Fido tibi: ah ne me Deus hæc fiducia fallat,*
Sed iustius ades, estoq́, promissi memor.
2 *Exaudi, prompteq́, iuua, neque ipse tuêre,*
Munita tu rupes, petra, refugium mihi:

3 *Tu me per tenebras errorem dirige, tu me*
Deduc vagantem nominis memor tui.
4 *O nostræ vires, ô nostra potentia solus,*
Tot inuolutum me explicato retibus.
5 *Ecce tua hanc animam depono in brachia, verax*
O me, Deus, qui liberasti millies.
6 *Ecce tibi fido soli: procul este prophanis*
Qui pascitis animum improbum mendacijs:
7 *Tu laudes, tu lætitiam mihi sufficis vnus,*
Dignatus eheu me intueri perditum,
8 *Atque adeò sæui seruare ex vnguibus hostis*
Plana in loca imis erutum ex angustijs.
9 *Ah miserum miserere Deus, caua lumina, cuius*
Et animam, & ipsa viscera absumpsit dolor.
10 *Vita abijt, senium properauit mœror, & omnis*
Exhaustus aret ossibus cum ipsis vigor.
11 *Quippe ipsis etiam nunc sordeo totus amicis,*
Tanta est meorum copia & vis hostium.
Conspectum horrescunt noti, fugiuntque repente,
Occurri vt illis forte factus obuiam.
12 *Efluxi illorum ex animo quasi morte peremptus,*
Illisque tanquam fracta testa euilui.
13 *Magnatum laceror probris: pauor vndique cunctis*
Vnius innocens petentibus caput.
14 *Perfio tamen, tota Deus in te mente recumbens,*
15 *Qui cuncta vitæ tempora meæ dinidis.*
Tu me igitur serua truculento ex hoste receptum,
Atque innocentem persequentibus eripe.
16 *O bone, fac vultus recreer splendore sereni,*
Addictus omni tempore tibi seruulus.
17 *Nec tibi me pudeat quod supplex fio, sed istos*
Et pudor, & ipse mortis obruat sopor.

18 *Vt*

18 *Vt fileant tandem istius mendacibus ausa*
Ora immerentes opprimere calumnijs.
19 *Vah, tua quæ seruata piis sunt præmia quantis*
Tui timentes tu bonis dignabere!
20 *Illos nempe tuis tutos penetralibus abdis,*
Tuo refulgent quæ coruſca lumine:
Securos q; tui præſtat sub tegminis vmbra,
Contentioſis & ferocibus procul.
21 *Iure igitur te canto, Deus, qui me arcis ad inſtar*
Mirabili ſic protegis potentia.
22 *Namque mihi præceps fugiens periſſe videbar*
Miſer, repulſa q; abdicatus vltima,
Et tamen audiſti clamantem, & multa querentem:
23 *Hunc ergo amate, iſtum veremini pij.*
Iſte ſibi fidos amplectitur, iſte ſuperbis
Iuſtus rependit digna tandem præmia,
24 *Huic agedum quiſquis confidis, pergito fortis,*
Namque iſte nunquam ſorte pectus deſerit.

Pſalmus triceſimus ſecundus διδακτικός.

Argumentum & vſus Pſalmi triceſimi ſecundi.

Docet hic Pſalmus verè precioſus, præcipuè & propriè fidei chriſtianæ caput, teſte &, interprete Apoſtolo. Rom. 4. 6. omnem videlicet noſtram beatitatem in gratuita peccatorum remiſſione ſitam eſſe. Fallunt enim cæteræ religiones homines in eo præcipuè quòd eos docent ſalutem à ſua ipſorum iuſtitia, quæ nuſquam eſt, petere. Sed in Euangelio demum Chriſtus vnicus μισίτης ille noſter, demonſtratur factus eſſe nobis iuſtitia à Deo patre. Docet præterea hoc pſalmo Prophetа, doctrinam iſtam non parere ſtultam ſecuritatem ſicut calumniantur ſophiſtæ, ac ſi gratuita iuſtitiæ Chriſti imputatio bonorum operum ſtudium aboleret. Nam contra oſtendit, cum iuſtitiæ imputatæ & per fidem apprehenſæ dono cohærere perpetuò regenerationis ſpiritum, qui in iuſtificatorum mẽtibus ſeriam peccatorum deteſtationem, ſpem,

veram obedientiam, cæteráſque virtutes accendat: vnde illud conſequitur vt vero perpetuoque gaudio, quæcunque tempeſtates ingruant, conſcientia pacificata perfruatur. Differt igitur hic Pſalmus à primo, quod ille quidem præcipua effecta demonſtrat ex quibus beatus aliquis eſſe intelligatur: hic vero cauſam iſtius beatitatis & effectorum demonſtrat, quo modo etiam eſt Paulus cum Iacobo conciliandus.

Eiuſdem Pſalmi triceſimi ſecundi

PARAPHRASIS.

1 *Beatus eſt demum ille quem Dominus mole iniquitatis oppreſſum attollit, & cuius tecta ſunt offenſiones Dei miſericordia.*

2 *Beatus, inquam, demum eſt vir ille cui Iehoua non imputat quod perperam fecit: & cuius animus eſt ſimulationis & falſitatis expers.*

3 *Expertus loquor: ſiquidem meam conſcientiam ſopiendo, & meipſum decipiendo tandem hoc ſum conſequutus vt fruſtra totis diebus eiulando conſumptis, viribuſque omnibus proſtratis, conciderim.*

4 *Manus enim tua pondus interdiu & noctu magis ac magis me opprimebat, vſque adeo vt quaſi æſtus ardore torrefactus, exuccus & exanimis iacerem.*

5 *Tandem igitur omnino apud me decreui meipſum vltrò & ingenuè reum apud te Iehoua profiteri, peccata mea declarare, & ſcelus omne meũ ſine vlla diſſimulatione detegere quod ſimulatque feci, tu mihi noxam omnem condonaſti.*

INTERPRETATIO.

1 BEatus *is eſt demum* cui remiſſa eſt iniquitas, & cuius tectum eſt peccatum.

2 Beatus homo, cui non imputat Iehoua tranſgreſſionem, & in cuius ſpiritu non eſt dolus.

3 Quando tacui, vetuſtate collapſa ſum oſſa mea, quum rugirem tota die.

4 Quoniam interdiu & noctu ingraueſcebat ſuper me manus tua: verſus eſt vigor meus in ſiccitates æſtatis.

5 *Itaque* peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non abſcondi. dixi *enim*, confitebor aduerſus me, ſcelus meum Iehoua tu vero remiſiſti noxam peccati mei,

6 Propterea

6 *Sic omnibus faciendũ est, quos gratia tua dignaris, vt te nimirũ deprecentur, arrepta inueniendi tui oportunitate. Sic enim futurum est vt quantũuis sauientes mundantium aquarum procellæ nunquam ipsos obruant.*

6 Propterea quẽcunq; gratia tua dignaris deprecabitur te tempore quo inueniris: certè diluuia aquarum multarum ad ipsum non pertingent.

7 *Tu igitur perfugium meum es, in quo delitescens à nullo malo mihi metuam, vt vndique præsidio tuo securus te liberatorem meum canam.*

7 Tu latibulum mihi, â tribulatione custodies me: canticis euasionis circumdabis me.

8 *Adesdũ igitur quisquis beatus esse cupis, Erudiam te & qua vita te progredi oporteat tibi commonstrabo, teq; optima fide & oculo nusquam à te summoto dirigam.*

8 Erudiam te & docebo te, qua via ambules: dirigam te oculo meo.

9 *Cauete ne equos aut mulos, bestias videlicet rationis expertes & calcitrosas referatis, quas ipsimet, ne vos dentibus impetant, frenis & lupatis coercere consueuistis.*

9 Ne sitis sicut equus, & sicut mulus, *quibus* non est intelligentia: capistro & freno maxillam eorum cõstringis, ne accedant ad te.

10 *Sic infinitis pœnis obnoxij sunt, quicũq; in sceleribus pergunt. Cõtra verò, Iehouæ bonitate vndiq; circumcinguntur quicũq; ad illũ se recipiũt.*

10 Multi dolores *erũt* impio: at sperantem in Iehouam bonitas *ipsius* circundabit.

11 *Lætamini igitur & exultate in Iehoua iusti omnes, omnes, inquam, recti amantes, illius laudes decantate.*

11 Lætamini in Iehoua, & exultate iusti: & cantate omnes recti corde.

Idem Psalmus tricesimus secundus, dicolos distrophos, vt Psalmus primus.

1 *BEatus ille cui benignus numinis*
Peccata condonat fauor.

2 *Cuius ſepulta eſt noxa, cuius denique*
Deus pepercit crimini.
Et qui viciſſim fraudis omnis neſcius,
Supereſt quod æui tranſigit.
3 *Sic ipſe quondam, ſeu malorum ſub graui*
Mutus iacerem pondere,
Seu vi doloris victus, improbis miſer
Cœlum replerem quæſtibus,
4 *Et oſſa tabens, & medullas intimas,*
AEſtiu recoctus torrido,
Noctes dieſq́ verberatus cœlitus,
Nuſquam lenamen repperi:
5 *Mei ipſe fierem donec index criminis,*
Noxæque proditor meæ.
Veni ergo, & vltrò corde, & ore, numini
Meum ipſe patefeci ſcelus.
Quum me ille cuncta ſuſtinens vix eloqui,
Abſoluit omni crimine.
6 *Opem ergo quiſquis miſeriæ ſub pondere*
Totus fatiſcens expetis.
Opem hinc require, ſe rogari dum ſinit,
Et inueniri ſuſtinet:
Ab irruentis hinc & inde gurgitis
Securus vt ſis impetu.
7 *O latebræ, ô ſalus mihi: ô qui carmina*
Mihi liberato ſuggeris!
8 *At te, doceri quiſquis optas, optimè*
Fidus magiſter inſtruam,
Tuoſq́ intentus vſque greſſus dirigam,
Certam vt ſequaris orbitam.
9 *Agreſtibus agedum caueto moribus*
Feras referre beſtiæs:

Quales

Quales impatiẽ frenáque pati ferrea
Mulos equósque cogimus.
Nam contumacem multi acerbi & asperi
Manent dolores impium.
At patientem, vniq; fidentem Deo
Circundabit benignitas.
Ergo exilite iusti, & alacres optimo
Cantate laudes numini.
Amore recti vos quibus pectus calet,
Celebrate numen cantibus.

Psalmus tricesimustertius ἐγκωμιαστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi tricesimitertij.

Nihil potest dici hoc carmine augustius, in quo admonemur canendis Dei laudibus totam vitam consecrare: quod si esset hominibus propositum, nihil esset humana vita beatius in terris, sicut istius doctrinæ contemptu, fit vt nihil sit miserius aut calamitosius. Sed admirabilis est in primis huius carminis dispositio. Primùm enim docet grata Deo non esse laudum sacrificia, nisi cordis puritas oris sermonem antegrediatur, quò spectabant etiam externarum purificationum leges. Addit posteà non perfunctoriè sed seriò & ardenter Deum esse collaudandum. Postea rationes adducit grauissimas, & quibus saxa penè ipsa permoueri oporteat, nedum vt homines, quorum causa condita est ista rerum vniuersitas, officio suo non fungantur. Proponit igitur initio Dei sapientiam ac bonitatem immensam quæ in mundi opificio tripliciter apparet, nempè tum in eius creatione, tum in singularum ipsius partium dispositione, tum in eiusdem gubernatione tam admirabili, vt omnes ipsas res creatas ac præsertim homines intelligentia prædictos ad ista penè expaueſcere oporteat. Deinde transit ad diuinæ prouidentiæ ac bonitatis peculiarem considerationem in humani generis conseruatione. Etsi enim infinitis modis homines tumultuantes semetipsos destruere & euertere studeant, Deus tamen eos tueri pergit, impeditis & fractis seditiosorum conatibus. Admiscet autem Propheta sententias aduersus eorum furores qui

fortuitò ferri omnia somniant, & aliorum deliria qui in secundis causis hærent, quibus Dei prouidentiam ac potentiam alligant. Sed tertius in primis locus est obseruandus in quo differit de amore illo peculiari quo Ecclesiam suam à potentissimis ac efferatissimis hostibus pertinacissimè oppugnatã, aduersus omnes ingruentes calamitates potentissimè pro sua misericordia Deus conseruat: simulque paucis definit quænam sit vera Ecclesia quam nunquam Deus sit deserturus, eorum nimirum cœtus qui ipsum verè colant, neq; vlla sua merita iactant: sed in vnam illius misericordiam, animas suas in spe & silentio possidentes, respiciunt.

Eiusdem Psalmi tricesimitertij.

PARAPHRASIS.

1 *VOs qui iustitiæ studetis Iehouam canite. Nam ab ijs demum qui recti sunt amantes, illum prædicari decet.*

2 *Celebrate igitur Iehouam, & ei psallite omni instrumentorum genere.*

3 *Hymnos, inquam, hymnis cumulate, & quanta maxima fieri voce potest latitiam vestram testamini.*

4 *Hoc enim à vobis flagitat pulcherrimus ille vniuersitatis ordo, illius verbo & decreto conditus: cuius singulæ partes quanta sit ipsius potentia simul & firmitas, apertissimè testantur.*

5 *Deinde, quæso, eiusdem in mundi gubernatione quanta iustitia & quàm recta moderatio elucet? adeo quidem vt ipsius bonitate ac beneficentia inenarrabili tellus vniuersa redundet.*

INTERPRETATIO.

1 EXultantes in Iehoua iusti canite: rectos enim hæc laus decet.

2 Celebrate Iehouã cythara: nabliis, & decachordo psallite ei.

3 Cantate ei canticum nouum: strenuè canite cum iubilatione.

4 Quia rectum est verbum Iehouæ & omnia opera eius firma.

5 Diligit iustitiam & iudicium bonitate Iehouę plena est terra.

6 Verbo

6 *Quid, quod hæc omnia ſolo ipſius iuſſu ac nutu ex nihilo extare cœperunt? calorum videlicet ille quantumuis immenſus ambitus, æterno ipſius Verbo ſic iubente, & Spiritus itidem ab ipſo prodeuntis inenarrabili virtute vnà cũ innumerabilibus illis ſtellarum & vtriuſq; luminariis facibus quibus illam cæleſtem machinam quaſi diſpoſita copiarum maximarum acie exornauit, repente efformatus.*

6 Verbo Iehouæ cœli facti ſunt: & ſpiritu oris ipſius omnis exercitus eorum.

7 *Hæc eadem vis eſt, vt ad res nobis propiores accedam, qua liquidum illud & inſtabile aquarum elemẽtum in ſeſe accumulatum ſuſpendit, & imis voraginibus quibuſdam concluſum retinet, ac coercet ne rurſum terras obruat.*

7 Cõgregauit ſicut emulum aquas maris: poſuit in theſauris abyſſos.

8 *Agedum igitur, diſcant omnes orbis incolæ tantum opificem reuereri, & ad eius opera expaueſcere.*

8 Timeat à Iehoua omnis terra: ab ipſo paueant omnes incolæ orbis.

9 *Atque adeo rerum illarum quanuis ſenſus ac intelligentia expertium exemplum ſequi, vtpote quæ ſimulatque ille loquutus eſt, ipſi obſequuta extiterint, & nunc quoque ipſius mandato conſiſtant.*

9 Quia ipſe dixit, & fuit ipſe mandauit, & ſtetit.

10 *Idem etiam, quantumuis plerique nõ tantùm ſinguli homines ſed etiam populi in ſuã ipſorum perniciem coniurati tumultuentur, & cælum terra miſcere ſtudeant: illorum tamen conatus & præua con-*

10 Iehoua labefactat conſilium gẽtium: annihilat cogitationes populorum.

silia labefactat & infringit, politiarum & naturalis aquitatis cultos ac vindex, quibus hominum genus conseruatur.

11 *Absit enim vt vmquam irritum esse possit, ac non potius perpetuò & in omnes ætates immotum ac firmum perstet, quicquid Iehoua constituit.*

12 *Sed ô felicem demum ac beatam gentem cui sese Iehoua præ cæteris Deum præbet, singulari videlicet ac peculiari cura illam complexus: Tu nimirum felix populе si tua bona cognoueris, quem iste sibi tanquam peculium asciuit.*

13 *Nec enim otiosus est rerum à se conditarũ speculator Deus, aut illas temerè ferri sinit, sed singula tuetur vigil, & quidem hominum genus in primis obseruat.*

14 *Et ex altissimo suo solio omnes orbis incolas longè latéque collocatos respicit.*

15 *Absit enim vt qui omnium hominum corda condidit & affectuum ac intelligẽtiæ vim illis inseruit, quid ipsi cogitent & moliantur intelligere & animaduertere nequeat.*

16 *Itaque insaniunt quantumcunque potentes & superbi, qui sese suis viribus quiduis efficere posse somniant, quum diuinitus imperia constituantur & euertantur.*

17 *Fallax igitur & inanis est eo-*

11 Consilium autem Iehouæ in æternum perstat: cogitationis cordis eius in seculum & seculum.

12 Beata gens cui Iehoua Deus eius: populus *quem* elegit in hæreditatem sibi.

13 E cœlis respicit Iehoua: intuetur omnes homines.

14 Ex habitaculo solij prospicit super omnes incolas terræ.

15 Qui pariter finxit cor eorum: qui intelligit omnia opera ipsorum.

16 Non seruatur rex copiis exercitus: fortis non eripitur magnitudine roboris.

17 Res fallax *est* equus ad salutem:

rum ſpes qui facultatibus ſibi à Deo conceſſis abutentes aliunde quàm ab illius vnius virtute pendent, equitibus ſimiles quos equi non ſemel ipſi euerterunt quorum robore nitebantur.

lutem: neque magnitudine roboris ſui *equitem* ſeruat.

18 *Sic igitur illi culpa ſua pereunt. At illos contrà Dominus oculis in eos defixis verè cuſtodit ac tuetur qui ipſum reuerentur, & in vnam ipſius miſericordiam reſpiciunt.*

18 Ecce oculus Iehouæ *eſt* ſuper timentes eum: qui ſperant in miſericordia eius.

19 *Quantumuis enim illis omni alio præſidio deſtitutis omnia videantur mortem intentare, ac interdum etiam cælum & terra victum denegent, tamen ſaluos & incolumes illos præſtat, & quantum ſatis eſt ad vitæ curſum conficiendum ipſis oportunè ſubminiſtrat.*

19 Vt eripiat à morte animã eorum & viuificet eos in fame.

20 *Totis igitur animis meritò in vnum Iehouam auidè feramur, vnicum defenſorem & propugnatorem noſtrum.*

20 Anima noſtra ſperat in Iehouam: auxilium noſtrum, & ſcutum noſtrum ipſe eſt.

21 *Neque nos verò fallet iſta expectatio. Futurum enim eſt omninò vt poſt tam aſperas miſerias certiſſimis gaudijs nos exhilaret. Itaque in ipſius promiſſa nobis patefacta recumbere, & eius ſanctum nomen inuocare nunquam deſinamus.*

21 Itaq; in eo lætabitur cor noſtrum: certè in nomine ſanctitatis eius ſperauimus.

22 *Tu verò viciſſim Iehoua, tua toties experta miſerecordia nos calitus tuere, quemadmodum ſperare nos iubes, & te facturum confidimus.*

22 Sit miſericordia tua ſuper nos, Iehoua: quemadmodum ſperamus in te.

Idē Psalmus triceſimus tertius,tricolos tetraſtrophos vt Psalmus decimus nonus

1 CAntibus numen celebrate iuſtis,
Cantibus numen celebrare fas eſt,
His quibus puro pietatis ardet
Pectus amore,
2 Hoc lyra,hoc pictis cytharis ſonate,
3 Hoc poetarum melos erudita
Turba cantato,quod & ipſa longè
Sydera pulſet.
4 Huius eſt rectum imperium,huius omne
5 Eſt opus firmum,ordine cuncta iuſto,
Hic gerit:tota eſt bonitatis huius
Conſcia tellus.
6 Huius ad vocem ſemel intonantis,
Extitit cœli fabrefacta moles,
Et ſimul totus micuit coruſcans
Ignibus æther.
7 Huius ad vocem trepidos relabens
Aequor in ſeſe cumulauit vndas,
Et fremens latè ſpecuum remugit
Gurgite clauſum.
8 Hunc pauens tellus tremat vniuerſa,
Incolæ hunc mundi venerentur omnes,
9 Cuius hic nutu imperióque totus
Extitit orbis.
10 Ridet hic vanos hominum apparatus,
Hic vafri quicquid populo pararunt,
11 Frangit immotus,ſtabiliſque,& omni
Tempore firmus.
12 O nimis felix,nimis ô beata

Gens

Gens Dei cultrix, & amica veri:
Gens Deus ſacro ſibi quam ſacrauit
Fœdere iunctam.
13 *Hic throno ex alto vigil annotatos*
Omnium mores hominum tuetur,
14 *Hic procul terras ſuperis ab oris*
Deſpicit omnes.
15 *Finxit hic mentes hominum vniuerſas.*
Nouit hic cunctos animi receſſus,
Acer hic quicquid geritur notare,
Singula verſat.
16 *Ecce nec reges ſatis arma tutos*
Militum præſtant, ſua nec gigantes,
Vt libet vaſtos ſimul ac feroces,
Robora ſeruant.
17 *Sic licet fortiſque alacriſque ſæpe*
Quadrupes labens equitem ſefellit,
Quin & immiti dominum reliquit
Perfidus hoſti.
18 *At ſibi addictos Deus vndiquâque*
Seruat intentis oculis tuendo:
Spes nec ipſius bonitate fretos
Ludit inanis
19 *Mortis hic ſæuę prohibet pericla,*
Hic fame toti minitante mundo,
Liberat iuſtos, velut è ſepulchri
Limine raptos.
20 *Ergo ab hoc vno, pia, nos viciſſim*
Turba pendemus, miſeros vt ille
Nos tegit, denſi clypei rigente
Tergore tutos.
21 *Scilicet noſtras bonus hic beato*

Gaudio mentes recreabit vnus
Eius vt ſacro ſuperamus vno
Nomine freti.
22 *Sic tua tu nos bonitate cinctos,*
O potens ſerua, prout omnis in te
Noſtra ſpes vnum Deus ô benigne,
Tota recumbit.

Pſalmus triceſimus quartus διδακτικὸς χ' εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi triceſimi quarti

Pſalmus iſte à Dauide conſcriptus, vt oſtendit inſcriptio, de inſigni liberatione qua ex Achis Regis manibus, ſimulata inſania, euaſit, vt ſcribitur 1. Sam. 21. oſtendit quod ſit noſtrũ officium acceptis Dei beneficijs, nempe non tantum Deo gratias agere & nos ipſos eiuſmodi experientia aduerſus cæteras tentationes in fide & ſpe confirmare, ſed etiam alios, propoſitis iſtis exemplis, ad idem faciendum cohortari, vt liberationes iſtas ſtatuant non eſſe ſpecialia quædam cuipiam irrogata priuilegia ſed totidem eſſe veluti conciones quæ tum ad vniuerſam Eccleſiam, tum ad ſingula eius membra pertineant. Sed addit Propheta non ad alios tamen hæc beneficia pertinere quàm ad eos qui ex periculis eruti reſipiſcere, & Deum ſeriò reuereri diſcant. Monet etiam vt piorum liberationem cum ſceleratorum deſtructione conninngamus, ne Deum cũ irriſoribus faciamus μονόφθαλμον, & ita miſericordem vt iudiciorũ ſuorum obliuiſcatur. Denique tot tantiſque verborum luminibus, & tanto grauiſſimarum ſententiarum ſplendore exornatus eſt hic Pſalmus, vt planè dignus ſit inter alios, quem omnes ſancti memoriæ commendent.

Eiuſdem Pſalmi triceſimi quarti.

PARAPHRASIS.

1 *Gratias agã Iehoua ſine intermiſſione, nec vnquam ipſius laudes ore quoque deſinam prædicare*
2 *Ex intimo, inquã, animo ex-*

INTERPRETATIO.

1 Laudato Iehouam omni tempore: ſemper erit laus eius in ore meo.
2 De Iehoua gloriabitur anima

tollam beneficia Iehoua, vt omnes afflicti, vbi hoc audierint, inde quoq; exhilarentur.

3 *Agite igitur, Iehouam vnà mecum magnificè collaudate, & nomem eius meritò celebrà simul coniuncti extollamus.*

4 *Nam requisiui ego Iehouam & ille meo desiderio respondens ex omnibus quæ me perturbabant eripuit me.*

5 *Audebunt igitur illi quoque exemplo meo commoti, ad illum oculos conuertere, & certatim accurrere, neque repulsam patientur.*

6 *Ecce enim, inquient, calamitosus iste exauditus est Iehouam implorans, qui ex omnibus angustijs ipsum eripuit.*

7 *Et certè ita se res habet. Quèadmodum enim Dei timentes vndique oppugnantur non tàtùm à cæteris hominibus, sed etiã à Satana & ipsius angelis sic vicissìm, Iehoua angelorum copijs inuictis eos vndique circunstat, vt ita seruentur.*

8 *Obsecro igitur ne istam Iehoua bonitatem o scitanter spectate, sed eam potius etiam atque etiam considerate, & summam eius suauitatem gustate vnà mecum exclamaturi, O beatum illum qui Dei præsidio nititur.*

9 *Reuereamini igitur Iehouam quotcunque ille sibi consecratos segreganit. Timentibus enim ipsum nihil deest.*

nima mea: audient afflicti & gaudebunt.

3 Magnificè attollite Iehouam mecum: & extollamus nomen eius simul.

4 Quæsiui Iehouam, & respondit mihi: & ex omnibus pauoribus meis eripuit me.

5 Respicient in eum, & confluent *afflicti* & facies eorum non confundentur.

6 Iste inops clamauit, & Iehoua *ipsum* exaudiuit: & ex omnibus angustijs eius liberauit eum.

7 Castrametatur Angelus Iehouæ in circuitu timentium eum: & eripiet eos.

8 Gustate & Videte, quàm bonus sit Iehoua: beatus quisquis sui protectionem ponit in eo.

9 Timete Iehouam sancti eius: quia nihil deest timentibus eum.

10 Spectate, quaſo, leones & omnes ex rapto & laniena viuentes eiuſmodi beluas, quam illa ſæpe præda deſtituta intereant. Hæc eſt ſceleratorum imago quæ ex pauperũ oppreſſione ſibi opes & potentiam quærunt, ſemper famelici donec miſerè tabeſcant. Contrà verò, Iehouam reuerentia nihil deeſt quod ipſis commodum eſſe poſſit.

10 Catuli leonum egent & eſuriunt, timẽtes autem Iehouam non egebunt vllo bono.

11 Adeſte filij, audite me. Docebo enim vos piè viuendi regulam.

11 Venite filij, audite me: timorem Iehouæ docebo vos.

12 Ecquis eſt vita verè beata & omni vero bono cumulata appetens?

12 Quiſnã *eſt* vir appetens vitæ? amãs dies, *quibus* videat bonum, *id eſt bono abundet?*

13 Vide in primis ne ad nocendum cuiquam, aut ad fallendum lingua abutaris.

13 Cohibe linguam tuam à re mala, & labia tua, ne loquantur dolum.

14 Sic abſtine à malo vt id quod bonum eſt facias. ſtude vera paci & concordiæ, vſque adeo vt etiam ſi te fugere videatur, illam perſequaris. Quod ſi dum hanc viam ſequeris multa tibi ſunt ſubeũda certamina florentibus interim ſceleratis: ne tamen animo frangitor.

14 Declina à malo, & fac bonum: inquire pacẽ, & perſequere eam.

15 Excubat enim Iehoua intentis in eos oculis qui iuſtitiæ ſtudent, & attentis ad ipſorum clamores auribus.

15 Oculi Iehouæ *ſunt* ſuper iuſtos: & aures eius *intentæ* ad clamorem eorum.

16 Cõtrà verò terribili vultu celitus intuetur quicunque ſceleribus gaudent, vt eos, ipſorumq; memoriam penitus excindat.

16 Vultus Iehouæ ſuper facientes malum, vt excindat è terra memoriam eorum.

17 Clamant

17 *Clamant igitur iusti, fateor neque id immeritò: sed auditos eos Iehoua ex omnibus angustijs eruit.*

17 Clamant *afflicti* & Iehoua audit: & ex omnibus angustiis eorum, liberat eos.

18 *Nam tam maximè quam ad extrema videntur redacti, ad eos proximè accedit, animo fractos erecturus.*

18 Prope *est* Iehoua confractis corde: & contritos spiritu seruabit.

19 *Denique multis quidem calamitatibus obnoxij sunt qui iustitia student, sed Iehoua ex illis omnibus eos liberat.*

19 Multa sunt aduersa iustis sed ex iis omnibus liberat vnumquemque eorum Iehoua.

20 *Et quamuis ipsa eorum ossa videantur hostes parati minutatim conterere, Dominus tamen non patitur vel minimum eorum confringi.*

20 Tuetur omnia ossa eius: vnum ex ipsis non frangitur.

21 *Sceleratos autem perdet suum ipsorum scelus, & peribunt quicunque iustos oderunt.*

21 Occidet impium malitia: & odio habentes iustos perdentur.

22 *Redimit enim Iehoua seruorum suorum animas nec quisquam eorum qui ad ipsum confugiunt, vnquam damnatus peribit.*

22 Redimit Iehoua animas seruorum suorum: nec vt rei peribunt quicunque confidunt in eo.

Idem Psalmus tricesimus quartus, dicolos distrophos vt decimus quartus.

1 *GRatus ego superûm celebrabo Patris honores*
Suaui modulante bærbito.
Nec me deficies vox quamuis rauca, sonoris
Deo litantem laudibus.

2 *Hæc mihi sola quies, hæc mentis gaudia nostræ,*
Hoc dulce solamen mali.
Vnius exemplo labor vt quemcunque fatigat,
Mutet dolores gaudijs.

3 *Ergo agite, ô socij, suprema ad syderá patris*

Numen feramus optimi.

4 *Hic me clamantem bonus audiit, iſte periclis*
Seruauit examinem metu.

5 *Et certè hunc alacris quicunque tuebitur, illum*
Lux recreabit aurea:
Lumine nec trifti ſuffuſus mœſta pudore,
Feret repulſæ infamiam.

6 *En etenim hunc miſerum Deus exaudiuit ab alto,*
Malíſque cunctis eruit.

7 *Spirituumq́ pios ſanctorum hinc inde phalanges*
Denſo tuentur agmine.

8 *Eia guſtate, atque Dei ſit cernite quanta*
Ter optimi benignitas,
O te felicem, te terq́ quaterq́ beatum,
Spes cuius in Deo ſita.

9 *Vos iſtum colitote pij: ſic horrida nunquam*
Vos vrgeat penuria.

10 *Eſt (fateor) rapidos quum per deſerta leones*
Exagitet impatiens fames:
At quemcunque regit Domini timor, hunc beat vſque
Rerum perennis copia.

11 *Hûc agite ô pueri, verumq́ parentis ab ore*
Audite cultum numinis.

12 *Ecquis erit, iuuenes, longæ qui dulcia vitæ*
Beatus optet otia?

13 *Pura tibi ſceleris ſit lingua, nec improbus vllum*
Verbis adulans fallito:

14 *Praua cane, rectum ſequere, & pro viribus vſque*
Pacem require ſedulus.

15 *Obſeruat Dominus iuſtos, oculiſq́ tuetur.*
Facilis ad illorum preces:

16 *Obſeruat prauos idem, coramq́ tuetur*

Ruituros

Ruituros ipſos funditus:
17 *Clamantes audit iuſtos pater, atque periclis*
Fouet ſolutos omnibus,
18 *Confectos curis animos, fractoſque dolore*
Præſente ſubleuans manu.
19 *Vtque bonos mala plerunque infinita fatigent,*
Malis medetur omnibus.
20 *Nec patitur cunctis illorum ex oſſibus vllum*
Vllis ruinis obteri.
21 *At contra, quicunque bonos odêre, peribunt*
Scelere ſuomet obruti,
22 *Nempe ſuos ſeruat Deus: hoc qui nititur, omnis*
Securus eſt periculi.

Pſalmus triceſimuſquintus ἐυκτικός.

Argumentum & vſus Pſalmi triceſimi quinti.

Suppeditat hic Pſalmus, & vniuerſæ Eccleſiæ, & ſingulis eius membris pulcherrimum precum exemplum, aduerſus eos qui ſi quando res proſperè cedunt bonis, amicitiam ſimulant, mutatis autem rebus iniuſta Regum & Principum odia calumniis accendunt, & ad ſæuitiam acuunt: cuius etiam adminiſtros ſeſe præbent. Docet igitur pios Propheta in iſtis caſibus ad Deum confugere, cui neque vires deſunt ad perdendos iſtiuſmodi adulatores aulicos, neque voluntas ad ſuos conſeruandos. Sed ne precibus iſtis abutamur, primùm vidêdum eſt vt iuſtam cauſam tueamur: deinde vt animum non vlciſcendæ priuatæ iniuriæ, ſed gloriæ Dei aſſerendæ & illuſtrandæ cupidum afferamus, denique vt ne voculam quidem niſi nobis præeunte Dei, non carnis, ſpiritu effundamus.

Eiuſdem Pſalmi triceſimiquinti.

PARAPHRASIS.

1 *TVere, Iehoua innocentiam meam aduerſus eos qui calumnijs me pre-*

INTERPRETATIO.

1 DIſcepta Iehoua cum iis qui diſceptant mecum: præliare cũ præ-

munt, & ijs qui me armis petunt, vires tuas oppone.

2 *Exurge vt mihi opituleris, ijs omnibus armis instructus, quibus possit illorum impetus sustineri.*

3 *Aggredere etiam illos tum eminus emisso telo, tum comminus quoq; istis qui me persequuntur occurrens. Facito vt hac animula te sibi testantem audiat, quod tu sis illius seruator.*

4 *Iube, inquam, istos qui me ad necem quærunt, euentu frustratos erubescere: & qui tot mihi mala machinantur, rebus infectis, cum ignominia reuerti.*

5 *Mitte angelum cœlitus qui illos propellat, sicut venti turbine cernimus paleas agitari.*

6 *Fac vt quocunq; pedem moueant, haud secus hæreant quã in tenebris versantes, & lubrico loci titubantes, dubios illos & ancipites angelis illis tuis persequentibus.*

7 *Vt qui nulla prorsus de causa mihi insidias apposuerint, & veluti foueam effoderint in qua me interceptum interficerent.*

8 *Ruat istæ potius ex insperato, & eo ipso veti captus quod mihi tetendit illaqueatus dejiciatur.*

9 *At ego abs te, Iehoua, seruatus, toto corde in sanctũ gaudebo.*

liantibus mecum.

2 Apprehẽde scutum & clypeum: & surge tu auxilium meum.

3 Et exere lanceam, & obsiste occurrens persecutoribus meis: dic animæ meæ, salus tua ego sum.

4 Erubescant & pudefiant, qui quærũt animam meam vertantur retrorsum, & pudore afficiantur cogitantes malum meum.

5 Fiant quasi palea coram vento: & Angelus Iehouæ propellat *eos*.

6 Sit via eorum caligo & lubricitates, & Angelus Iehouæ persequatur eos.

7 Quia sine causa absconderunt mihi foueam retis sui: sine causa foderunt animæ meæ *foueam*.

8 Veniat ei ruina quam non nouit: & rete eius quod abscondit, capiat eum: in præcipitium cadat.

9 Anima mea exultet in Iehoua: lætetur in salute eius.

dium effusus, te liberatorem meum celebrabo.

10 *Ipsa ossa mea, Iehoua, clamitabunt neminem esse tui similem, qui afflictos ijs eripiat, quorum vi opprimuntur, & inopes ac miseros à violentis prædonibus asseras.*

11 *Insurgunt in me testes ij ipsi qui vim mihi inferunt, & ea mihi obijciunt de quibus nihil vnquam cognoui.*

12 *Et quum optimè sim de illis meritus, iniuriam mihi pro beneficentia rependunt, vita etiam ipsa, me, nisi tu obsistas, priuaturi.*

13 *Atqui siquando illos laborare animaduerti, vestem mutaui, ieiunio memetipsum macerauj, & demisso capite preces pro ipsis profudi.*

14 *Denique non aliter incessi mœsto & abiecto vultu dolorem testatus, quàm si mihi essent ipsi consanguinei, aut si meam ipsius matrem lugerem.*

15 *At illi contrà vbi nutare me viderunt, consilia contra me simul inierunt: coierunt, inquam, aduersum me nihil tale suspicantem, vilissimi etiam quique, diductisque labijs nullum mihi insultandi finem fecerunt.*

16 *Adiunxerunt enim sese perficta frontis scurris & mensarum assecliis, & simul omnes aduersum me dentes acuerunt.*

ius.

10 Omnia ossa mea dicent, Iehoua quis similis tibi? eripiēs afflictum ab eo qui robustior est ipso, pauperē item & egenum à diripiente eum.

11 Insurgunt testes violenti: quæ ignoro quærunt ex me.

12 Rependunt mihi malum pro bono, vt me orbent anima mea.

13 Ego tamen quum laborarunt indui me sacco, afflixi ieiunio animam meam: & oratio mea in sinum meum versa est.

14 Quasi socius, quasi frater mihi *esset* incessi: sicut lugens matrem pullatus deieci me.

15 At ipsi vacillante me lætati sunt. & congregati sunt, congregati sunt aduersus me claudi, me ignorante prosciderunt *me*, neque tacuerunt,

16 Cum hypocritis inter scurras parasitos frendēdo super me dentibus suis.

17 *Domine quousque tandem iſta ſpectabis? quando in illos animadvertes? erue me ab iſtis in me tanto cum tumultu irruentibus, & leonibus ſaniſſimis hanc animulam eripe omni prædio deſtitutam.*

17 Domine quousque ſpectabis *iſta?* Eripe animam meam à tumultibus eorum à leonibus ſolitariã meam.

18 *Eripe me, inquam, teſte vniverſo tuorum cœtu, & palàm audiẽtibus omnibus, tuas laudes celebraturum.*

18 Celebrabo te in cœtu magno: apud populum multum laudabo te.

19 *Ne, quaſo, patere vt iſti perfidi & ingrati de me ſuperato latentur, & qui me immeritò oderunt, limis oculis me derideant.*

19 Ne lætẽtur de me, qui immeritò inimici mei ſunt, nec *qui* oderunt me ſine cauſſa, oculis nictent.

20 *Ardent enim odio implacabili, & quamuis terra ipſa veluti rimas ducens ruinam minetur, nihil aliud cogitant quàm vt verbis ad fallendum mirificè compoſitis cuiuis noceant.*

20 Quia non loquuntur pacẽ, ſed contra quietos terræ verba doloſa cogitant.

21 *Itaque in riſum effuſi, euge, euge, inquiunt, cernimus tandem quod videre tam diu cupiuimus.*

21 Et dilatauerũt cõtra me os ſuum: dixerunt, ha ha, vidit oculus noſter.

22 *Tu quoque Iehoua, & me & illos vides. Ne, quaſo, tacitus iſta diſſimulato, Domine, neque procul à me diſcedito.*

22 Vidiſti Iehoua, ne taceas Domine, ne procul abſis à me.

23 *Experrectus potius prodi mi Deus Domine mi, vt me vindices, & iuſta cauſa mea patrocineris.*

23 Expergiſcere & euigila ad iudicium meum Deus mi & domine mi, ad cauſam meam diiudicandam.

24 *Iehoua mi Deus, quum tu ſis iuſtus, aſſere innocentiam meam aduerſus iſtos, & facito ne de me exultent.*

24 Vindica me ſecundum iuſtitiam tuam Iehoua Deus mi: & ne *iſti* lætentur de me.

25 Ne

25 Néue apud ſe dicant, Euge, nunc demum habemus de quo exultemus: & mutuò ſibi gratulantes, ecce, dicant, tandem iſtum vorauimus.

25 Ne dicant in corde ſuo, Euge anima noſtra: néue dicant, deuorauimus eum.

26 Pudeat illos potius, & erubeſcant ſimul qui ex meis miſerijs captant latitia occaſionem: & pudore ac ignominia cooperiantur qui aduerſum me ſeſe tam petulàter efferunt.

26 Pudefiant & erubeſcant pariter, qui lætantur malo meo, induantur pudore & ignominia, qui ſe efferunt contrà me.

27 Fac contrà vt exultent, & in gaudium ſolnantur qui iuſta mea cauſa fauent: &, vbi me auxilio tuo ſeruatum viderint, ſtatuant apud ſe ac palàm teſtificentur, dignum eſſe te maxima laude, qui tibi cordi eſſe tuorum ſalutem reipſa demonſtrarit.

27 Exultent & lætentur, quibus placet iuſtitia mea: & dicant ſemper, magnificetur Iehoua, qui diligit pacem ſerui ſui.

28 Ego verò tuam iſtam in ſeruandis tuis clementiam, & in vlciſcendis tui nominis hoſtibus iuſtitiam dies ac noctes decantabo.

28 Et lingua mea meditabitur iuſticiam tuam: quotidie laudem tuam.

Idem Pſalmus triceſimus quintus monocolos verſibus heroicis hexametris vt octauus.

1 *ARma armis, rixiſque potens opponito rixas,*
2, 3 *Terribilíq; minax telo, clypeoq; coruſcans,*
Hoſtibus immanem temet venientibus infer.
Hûc ades, examinemq; animam ſeruato benigne,
Te miſeræ gremio inſinuans, imisq; medullis.
4 *Fac trepident, multo fac ſuffuſi ora rubore,*

Vertant terga, mei armauit quos vna cupido
Exitij, furijs nimiùm crudelibus actos.
5 *Quales exagitat cœli per inania culmos*
Ventus agens, tales rapido illos impete verset
Ille tuæ horrendus flagrantis nuntius iræ,
Et cæca inuoluat penitus caligine mersos.
6 *Quin etiam vt tuti figant vestigia nusquam,*
Comminus ipse ruens illis fugientibus insta,
7 *Retia quandoquidem incauto & nil tale merenti*
Struxere insidijs conati includere cæcis.
8 *At tu illum potius nec opina euerte procella,*
9 *Cassibus implicitum proprijs, vt pectore toto*
Te, Deus, exultans seruatus ad æthera tollam.
10 *Tunc ego, sic mecum, penè hoc testantibus ipsis*
Ossibus: ô quisnam rerum pater optime, quisnam
Se tibi contulerit, miseros tenuiq́, labantes
Sorte, feros contra sueto immanesq́, tyrannos
Asserere, &, cunctis saluos arcere periclis?
11 *En adsunt ignota mihi qui crimina fingant*
Audaces, plenisq́, vomant mendacia buccis:
12 *Ingrati, heu, nimiùm, vita hunc orbare parati*
Quem toties dubijs sensêre in rebus amicum:
13 *Illorum siquidem lugubri veste dolores*
Sum testatus ego, oblitus somniq́, cibiq́,
Impleuiq́, sinum lacrimis, & multa precatus
14 *Demisso incessi vultu: quasi denique fratres*
Amissos flerem, vel cassam luce parentem.
15 *Contra illi simulacres forte labascere nostras*
Conspexêre, hilares pariter coiere frequentes.
16 *Hinc ignoti igitur, fæxque ipsius infima vulgi*
Conuitijs miserum proscindunt: perfida rostrum
Hinc in me exacuit balatronum turba, potentum

17 *Hac*

17 *Hæc captans mercede dapes. At tu. Optime cœli*
Hæccine perpetuò tacitus ſpectabis ab arce?
Tu potius miſeram hanc animam ſolamq́; relictam
Reſpice, & immanis ſeruato ex fauce leonis,
18 *Vt medios inter populos te, Maxime, gratus*
Concelebrem, totoq́; canam tibi pectore laudes.
19 *Ah Deus, ah faxis ne me derideat hoſtis*
Ingratus, ſignetq́; oculis ludibria limis.
20 *Ore etenim quot verba ſonant, tot iurgia, fraudes,*
Bella ſerunt: & fiſſa licet iam terra labaſcat,
Nil mala, nil præter fraudes in pectore verſant:
21 *Dehinc inſultantes diducto turpiter ore,*
Euge, euge, his oculis hunc tandem cernimus, aiunt.
22 *At tu illos oculis itidem qui cernis acutis,*
23 *Ah Deus, ô ſumma mihi maieſtate verende,*
Præſto ades, euigila promptus, ſanctumq́; tribunal
24 *Erige. Tu miſeri iudex audito querelas:*
Tu caput hoc inſons ſaluum, Deus optime, præſta:
Nec patere his fiam ludusq́; iocusq́; ſuperbis,
25 *Neu mihi proſtrato inſultent, vel gaudia verbis*
26 *Mutua teſtentur mendacibus. Immo pudore,*
Immo ignominia lateant maneantq́; ſepulti,
Qui miſeri inſontisq́; petunt ex morte triumphos.
27 *Tum mihi qui inſonti fauêre, in plena ſoluti*
Gaudia, te, Deus, vſque tuis ſuccurrere promptum
28 *Ore canent: teq́; vſque dies noctesq́; perennes*
In laudes effuſa tuas hæc lingua ſonabit.

Pſalmus triceſimus ſextus διδακτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi triceſimi ſexti.

Nihil æquè vrit pios & Dei timentes, & id quidem meritò, atque prophanorum hominum vita, qui palàm ſeſe neque

Deum, neque homines vereri teſtantur. Monet autem nos Propheta iſtud intuentes, minimè ex eo colligere Deum iſta non curare, ſed potiùs inde aſſurgere ad conſiderandam immenſam illam Dei opt. max. bonitatem, erga eos etiam quibus non eſt obſtrictus: nec enim Dei Iuſtitiam ac conſilia metiri nos noſtro modulo opportêre. Docet poſteà in his tantis confuſionibus elucere manifeſtiſſimè Dei prouidentiam, tum in eo quòd nihilominus conſeruet hanc rerum vniuerſitatem, momento alioquin ruituram, ſi prophanis illis quicquid libet liceret: tum ex Eccleſię perpetua defenſione, quæ etſi valde prematur, tamen præſentium bonorum copia quanta opus eſt nunquam deſtituitur, & melioris illius ac ſempiternæ fœlicitatis expectatione certa recreatur. Itaque hoc vnum ſupereſſe vt ad Dei præſidium confugiamus, qui nos tueri pergat: certò tandem ruituris quicunque ſceleribus gaudent.

Eiuſdem Pſalmi tricesimi ſexti.

PARAPHRASIS.

1 *TEſtatur mihi introrſum tota ſceleratorum vita, quòd omnem Dei timorem abiecerint.*

2 *Tantum enim abeſt vt vlla ſcelerum conſcientia tanganter, vt contrà ſibiipſis blandiantur nouum ſubinde ſcelus aliquod comminiſcentes vt tandem ſeſe prodant omnibus execrabiles.*

3 *Eò ſiquidem tendunt omnes eorum ſermones, vt aut vi aperta aut fraude alicui noceant: nec adduci poſſunt vt de vita ratione ad alios iuuandos inſtituenda cogitent.*

4 *Noctes ipſas in excogitandis ſceleribus conſumunt: pertinaciter in malè agendo perſeuerant nullum eſt tantùm ſcelus à quo abhorreant*

INTERPRETATIO.

1 DIxit iniquitas impij intra cor meum, non eſt timor Dei ob oculos eius.

2 Etenim blanditur ſibi in oculis ſuis: *id eſt ſibiipſi placens* donec inueniatur iniquitas eius, quam omnes oderint.

3 Verba oris eius *ſunt* iniquitas & dolus, deſijt ſapere ad bene agendum.

4 Iniquitatem cogitat ſuper cubili ſuo: inſiſtit in via non bona: malum non abijcit.

5 Iehoua

5 *Itaque cum iſta tam patienter ſoleres, Iehoua, bonitatem tuam fatendum nobis eſt eſſe cælis ipſis ſublimiorem: & te ſummè veracem eſſe, qui ne indignos quidem & fadifragos, patiaris eſſe tua bonitatis expertes.*

5 Iehoua, *pertingit* vſque ad cœlos bonitas tua: veritas tua vſque ad nubes.

6 *Neque cauſa vlla eſt cur propterea inuſtus cenſearis, quòd iſtiuſmodi quoque hominibus benefacias. Eſt enim incomprehenſibilis ſublimitas iuſtitiæ tuæ, & iudicia tua quauis maris voragine ſunt profundiora, vt illa ſatis perſpicere, & ſcrutari nemo poſſit. Elucet autem iſta tua moderatio inexplicabilis in eo quòd in tanta rerum perturbatione non hominum genus duntaxat, ſed animalia quoq; cætera nihilominus conſeruas.*

6 Iuſticia tua eſt vt montes Dei: iudicia tua *ſunt* abyſſus magna: hominẽ & beſtias ſerua Iehoua.

7 *Sed aliud eſt in quo præcipuè quanta ſit & quanti pretij tua bonitas oſtendu, nempe in eorum hominum ſalute quos ex reliquorum numero ſegregatos & quaſi ſub alarum tuarum vmbram receptos, peculiari fauore complecteris.*

7 Quam precioſa eſt bonitas tua Deus! Itaque filii hominum in vmbra alarum tuarum confidunt.

8 *Saginas enim eos, præter caduca illa bona quæ hoſtibus etiam tuis non inuides, perennibus illis domus tuæ deliciis, & aquas tuas ſuauiſſimas illis abundantiſſimè potandas præbes.*

8 Saturabuntur pinguedine domus tuæ: & fluuio deliciarum tuarum potabis eos.

9 *Nam penes te vnum eſt vera vita ſcaturigo, & quòd caci non ſumus, tua vnius lucis beneficio acceptum ferimus.*

10 *Perge igitur tua iſta beneficentia proſequi veros numinis tui cultores, & facito magis ac magis vt qui recti ſtudio tenentur, te vindicẽ ac conſeruatorem experiantur.*

11 *Prohibe ne me ſuperbi pedibus conculcent, néue ſceleratis manu arreptum me proſternant.*

12 *Tempore certè & loco abs te conſtitutis cadent qui ſceleribus gaudent: & iam mihi videor illorum ſingulos cernere tanto abs te impetu impulſos ac præcipites datos, vt reſurgere nunquam poſſint.*

9 Quia apud te eſt fons vitæ: per lumen tuum videmus lumen.

10 Proroga bonitatem tuam agnoſcentibus te: & iuſtitiam tuam rectis corde.

11 Ne inuadant me pedes ſuperborum: & ne manus impiorum detrudat me.

12 Illic ceciderunt qui patrãt iniquitatẽ, propulſati ſunt nec poterunt ſeſe erigere.

Idem Pſalmus triceſimus ſextus, dicolos diſtrophos vt triceſimus primus.

1 *IMpietas ſcelerum hortatrix licet vſque, latebras*
Fraudis doloſæ quærat abdito ſpecu:
Attamen hanc video clara mihi voce loquentem
Audire, apud me ſceleris indicem ſui,
Scilicet abiecto ſenſu quòd numinis omni,
In omne præceps facinus impetu ruat.

2 *Nam ſibi blanditus fruſtra tandem impius, illud*
Inuiſum oportet prodat omnibus caput.

3 *Ore malus tetro mendacia turpia fundit,*
Nec admoneri docilis in viam redit.

4 *Nocte ſcelus tacito voluit ſub pectore, totus*
Virtutis hoſtis, prauitatis pertinax.

5 *Quum*

5 *Quum tua ſumme Deus bonitas micet æthere toto,*
Fideſq́; ſuperet nubilorum vertices,
6 *Et qua cunctipotens homineſq́; feraſq́; gubernas,*
Vis æquitate temperata plurima.
Quoſlibet excelſos tranſcendat culmine montes,
Maris eadem profundior voragine.
7 *Inter at iſta tuas quanta eſt, Deus optime, laudes,*
Fœda quòd oblitus ſatos propagine,
Mortales, velut alarum ſub tegmine fœtus
Ales tenellos, ſic tueris & foues:
8 *Deliciiſq́; tuis ſaturos, dimittis ad omnes*
Pleno vbi voluptas pura manat alueo?
9 *Tu ſiquidem vitæ fons es, tu luminis vſum*
Ciuis benignus ſufficis mortalibus.
10 *Hos igitur qui te, Deus, & tua qui bona norunt,*
Recti tenaces, adiuuare pergito.
11 *Nec ſine ve pedibus calcari immanè ſuperbis,*
Et impia ad terram dari domitum manu.
12 *Certè equidem iam iam cadet improbus, ecce, ruinæ*
Fatale tempus impijs praſagio.

Pſalmus triceſimus ſeptimus. Διδακτικός.

Argumentum & vſus Pſalmi triceſimi ſeptimi.

Hic Pſalmus eandem doctrinam continet atque ſuperior, ſed vberiùs explicatam. Adiicitur enim duplex circunſtantia, nempe quòd prophani homines non modò impunè graſſentur, ſed etiam omnium rerum copiis abundent, contrà verò nihil eſſe videatur bonis calamitoſius. Hanc tentationem tum ex aliis quoque Pſalmis, tum ex aliis Prophetis & ipſa experientia grauiſſimam eſſe conſtat: cui ſic occurrendum eſſe docemur hoc Pſalmo, vt primùm omnium cogitemus, quod veriſſimum eſt, hallucinari nos quum in bonis quidē res ſceleratorum proſperas, in malis verò bonorum ærumnas cenſemus, quum illos miſerrimos tum quoque quum beatiſſimi videntur, iſtos contrà in ſummis etiam ærumnis feliciſſimos

eſſe non modò rerum exitus, ſed etiam ipſe vitæ præſentis curſus demonſtret, neque rem aliter ſe habere ipſa Dei natura patiatur. Superesse igitur illud vnum vt quiſque in conditione diuinitus ſibi attributa, & illa æquiſſima Dei prouidentia conquieſcens, & Deum inuocans ſuos nunquam deſerentem, conſtanter expectet, dum ille ſuis quidem manum porrigat, ab impiis verò qui bonis ipſius abuſi fuerint rationem repoſcat: quod quidem etſi non pro arbitrio noſtro, ſuo tamen tẽpore ſit omnino facturus.

Eiuſdem Pſalmi triceſimi ſeptimi.

PARAPHRASIS

1 *NE in improborum ſucceſſum intuens proſperis illorũ rebus offendator, néue illos æmulator.*

2 *Omnis enim illorum felicitas tam citò euaneſcit, quàm abſciſſum gramen emortuo virore ſtatim marceſcit.*

3 *Fiduciam potius in vno Iehoua ſitam retine, & in ſtudio probitatis perſeuera, ſic huius vita curſum tranſacturus, & eius commodis conſtanter fruiturus.*

4 *Sit tibi Iehoua vnica voluptas, tibi ſeſe precanti nunquã deſuturus.*

5 *Omnem actionum & cogitationum tuarum euentum illi committe, & curas omnes in Iehouæ ſinum exonera, neque dubita quin omnia quàm optimè perficiat.*

6 *Nam vtcunq; ad tempus videantur non tantùm operam ludere, ſed etiam ſibi malum accerſere qui piè ac rectè vi-*

INTERPRETATIO.

1 NE indignator ſuper improbis: neque æmulatione tangitor ſuper ijs qui patrãt iniquitatem.

2 Quoniam ſicut gramẽ, ſubitò excindentur: & ſicut viror herbæ, *id eſt, herba virens*, marceſcent.

3 Confide in Iehoua & bene age, incoles terram & paſceris ſecurè.

4 Oblecta te in Iehoua: & dabit tibi petitiones cordis tui.

5 Deuolue ſuper Iehouam viam tuam · & confide in eo, & ipſe efficiet.

6 Et educet ſicut lucem iuſtitiam tuam: & iudicia tua quaſi meridiem.

7 Sile

tam inſtituerunt: futurum tamē eſt omninò vt quemadmodū depulſis noctis tenebris lux paulatim emergens, pleno tandem ſplendore terras hinc & inde colluſtrat, ſic quoque Deus ſuo tempore iuſtitiam & moderationem tuam omnibus conſpicuam prabeat.

7 *Teipſum igitur illi tacitus regendum prabe: & in illum intuens, quicquid acciderit fortiter ſuſtine: neque indignator quòd ijs qui quicquid ipſis libuit ſibi licere putant omnia videantur ex animi ſententia ſuccedere.*

8 *Cohibe, inquam, iſtiuſmodi indignationem & fremitum, ne impatientia indulgendo tu quoque ad peccandum impellaris.*

9 *Nam improbos tandem excidi neceſſe eſt, & incolumes contra perſtare quicunq; Iehouam patienter expectarint.*

10 *Certè ſi vel paululum adhuc ſuſtinueris, perierit ſceleratus, idque tam certo exitio vt etiam ſi locum in quo conſiſtebat quam diligentiſſimè perueſtigaris, nuſquam tamen ſis eum reperturus.*

11 *Moderati verò & placidi permanebunt, & in ſumma trāquillitate vitam exigent.*

12 *Nam verum quidem eſt non deſinere ſceleratos quiduis cōtra iuſtos machinari, & dentibus aduerſus illos frendere.*

7 Sile Iehouæ, & ipſum ſollicitè expecta: nec indignator de eo qui proſperè dirigit vitam ſuam, perpetrās quicquid decreuit.

8 Deſine ab ira, & relinque furorem: ne indigneris vtique ad peccandum.

9 Nam improbi excidentur: ſed expectantes Iehouam hæreditate poſſidebūt terram.

10 Et adhuc paululum & non extabit ſceleratus: & attendes ad locum eius, & ipſe non extabit.

11 Manſueti verò erunt hæredes terræ: & oblectabūt ſe copia pacis.

12 Cogitat ſceleſtus contra iuſtum: & fremit contra eum dentibus ſuis.

13 Sed ille vicissim cuius imperio subsunt omnia, vanos illorum futuros conatus irridens, interea diem illu interitus edicit.

13 Dominus irridebit eum quia videt aduenire diem eius.

14 Et illi quidem gladio districto, & arcu intenso in eo toti sunt vt prostratos miseros & inopes, pie & recte viuentes, mactent.

14 Gladium educunt scelesti & pedi appositum intendunt arcum suum, vt prosternant pauperem, & inopem: vt mactent recte incedentes.

15 Sed illi ipsi gladij, quos iustis intentant, ipsamet illorum corda transfodient, & eorum arcus dissilient.

15 Gladius eorum intrabit cor ipsorum: & arcus eorum confringentur.

16 Obijciet alius mihi iustorum paupertatem. Sed hic meminisse oportet, pauxillum illud iusti, omni magnatum opulẽtia praestare.

16 Melius est pauxillum iusto, quàm opulentia sceleratorum magnatum.

17 Nam omnis illa sceleratorum potentia infringetur, iusti verò Iehoua manu stabiliuntur.

17 Quia brachia sceleratorũ frangentur: sustentat autẽ iustos Iehoua.

18 Singulos enim iustorum vita dies excubans pro illorum salute annotat Iehoua, vt eos magis ac magis perpetuò confirmet.

18 Nouit Iehoua dies integrorum: & hæreditas eorum in æternum manebit.

19 Hinc fit vt quacunque tempestates ingruant, minime tamen spe sua excidentes pudefiant, & vt asperima quoque famis tempore habeant quod eis abunde sufficiat.

19 Non pudefient in tempore aduerso: & temporibus famis saturabuntur.

20 Contrà verò pereunt scelesti, & quicunque Iehoua sunt hostes. & haud aliter quàm adeps optima victima in fucũ abeunt.

20 Sed scelesti peribunt, & inimici Iehouæ, sicut agni optimi consumentur, vt fumus consumentur.

21 Quin etiam habent iusti in

21 Mutuatur scelestus & non soluit

illa ſua tenuitate vnde aliorũ inopia, benignè etiam donando, ſubueniant. Sceleſti vero quantumuis opulenti, cogũtur mutuũ ſumere, quod poſtea non exoluunt.

22 Neque id mirum, ſi quis cogitet, non à rerum copia, ſed à Dei benedictione pendere huius vitæ commode tranſigendæ rationem. Iuſtis igitur idcirco bene eſt in hac etiam vita quantumuis egenis, ſi cum diuitibus illis conferantur, quoniam videlicet Deus eorum tenuitati copioſe benedicit. contrà verò ad nihilum rediguntur quibuſcunque Deus maledicit.

23 Nam quia Iehoua grata eſt iuſtorum vita, ideò quacunq; incedunt, illorum greſſus conſtanter regit.

24 Quod ſi quando labantur, nunquam tamẽ ſuccumbunt, Iehoua nimirum illos manu prehenſos erigente.

25 Exemplum requiris? En ego à puero in hac ſchola educatus conſenui, neq; me iuſtitiæ tenacem vidi vnquam deſtitutum, aut liberos meos ad mendicitatem redactos.

26 Immò nunquam defuit vnde alijs donarem, alijs mutuò darem: & hac Dei benignitas ad liberos etiam meos diffuſa eſt.

27 Tantum igitur iſtud vide vt nemini nocere, omnibus prodeſſe ſtudeas, neq; dubita quin

ſoluit: iuſtus autem miſeretur & donat.

22 Quoniã benefici eius poſſidebunt terram: ſed maledicti eius excidentur.

23 A Iehoua greſſus viri iuſti firmantur: & viam eius diligit.

24 Si ceciderit non abiicietur, quia Iehoua ſuſtentat eum manu ſua.

25 Puer fui & ſenui & non vidi iuſtum derelictum aut ſemen eius quærens panẽ.

26 Quotidie miſeretur, & dat mutuò: & ſemen eius eſt ad benedictionem.

27 Recede à malo, & fac bonum: & præſtabis in ſeculum.

ſub potẽte Dei manu curſum huius vitæ ſecurius conficias.

28 *Delectatur enim Deus recto & iuſto, neq; deſerit quos benevolentia ſua dignatur: ſed eos potius toto vitæ ſpatio cõſeruat: ſcelerati verò totaq; ipſorum ſoboles pereunt.*

28 Quia Iehoua amat iudicium, & non relinquit beneficos ſuos, in ſeculum cuſtodientur: ſed ſemen ſceleratorum excidetur.

29 *Iuſti, inquam, præſentiũ etiam vitæ beneficium ſoli vere poſſident, & eius commodis ſoli perfruuntur.*

29 Iuſti hæreditate poſſidebunt terram: & cohabitabunt in perpetuum in ea.

30 *Tales autem ſunt non quicũq; nomẽ iuſtorum præexunt: ſed ij demum qui honorifice & ſicuti par eſt de Deo ſentiunt ac loquuntur, vt ſeſe & alios erudiant, & in omnibus negotijs integros ac ſynceros ſeſe oſtendant.*

30 Os iuſti proferet ſapientiam, & lingua eius loquitur iudicium.

31 *Qui denique legem illam diuinam gerũt cordi inſculptã, ex cuius præſcripto nuſquam vacillantes vitam inſtituunt.*

31 Lex Dei in corde eius: nõ nutat greſſus eius.

32 *Et ijs quidem ſcelerati nihilominus tum per inſidias tum apertâ vi necem machinãtur.*

32 Obſeruat ſceleſtus iuſtũ: & quęrit interficere ipſum.

33 *Sed Iehoua nequaquam illos deſerit improborum libidini expoſitos, neq; ſinit iniquũ iudicijs damnatos opprimi.*

33 Iehoua non relinquet eum in manu eius: & non damnabit eum quum iudicabitur.

34 *Age igitur, Iehouam intentus expecta, nuſquam ab ea quam præſcripſit via deflectens: quod ſi feceris, certò ſcias futurum vt te rurſus erigat, & vt incolumis permanens exitium ſceleratorum ſpectes.*

34 Expecta Iehouam, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate poſſideas terram: videbis quum excindentur ſceleſti.

35 *Vidi enim ego ipſe tales non*

35 Vidi ſceleratum ferocien-

tem

pauces ferociſſimos, & qui ramos quaſi patula quædam arbor vndique diffunderent.

36 *Qui tamen momento euaneſcentes exiſtere deſierunt, adeò vt mihi ſollicite illorum veſtigia inquirenti nuſquam apparuerint.*

37 *Certe quiſquis integrè rectèq; vitæ ſtudioſos diligenter conſiderat, is proſperum ac felicẽ eorum exitum comperiet.*

38 *Contrà verò quicunque neglectis Dei legibus ſeſe ſceleribus dedunt, miſerrimum finem ſortitos penitus deleri.*

39 *Etenim vt pancis omnia complectar, Iehoua eſt iuſtorum robur, quod in extremis præcipue illorum angustijs apparet.*

40 *Tum enim illis opitulatur, & eos ad ſe vnum confugientes, & ſceleratorum manibus ereptos conſeruat.*

tem & ſe extendentem inſtar *arboris* patulæ.

36 Sed tranſiuit, & ecce non erat: & quæſiui eum, & nõ eſt inuentus.

37 Contemplare integrum, & conſidera rectum hominem: certè finis huius hominis *eſt* pax.

38 Tranſgreſſores autem delebuntur ſimul: finis impiorum excidetur.

39 Salus autem iuſtorum à Iehoua: *qui* eſt fortitudo eorum in tempore anguſtiæ.

40 Et auxiliabitur ipſis Iehoua, & eruet eos: eruet *inquam* eos ab impiis, & ſeruabit eos: quia ſperant in eo.

Idem Pſalmus triceſimus ſeptimus, dicolos diſtrophos, vt Pſalmus primus.

1 *QVales reſectæ falce graminis comæ*
Virore mortuo iacent,
Talis malorum vmbratilis felicitas
Repente totæ deperit.

2 *Quæcunque ſors igitur malis affulgeat,*
Nec intus animo ringitor:
Nec liuor vllus pectus vrat ſaucium
Statu impiorum proſpero.

3 *Quin corda plenus in Deum fiduciæ*

Seruato recti tramite,
Vitæ fatur futurus, & placidissimi
Potiturus æui commoda.
4 *Vnum te oblectet numen, hinc posce omnia,*
Hinc impetres vt omnia.
5 *In hunc recumbe totus, vnum hinc respice*
Quo spes in vno sunt ratæ.
6 *Nanque vt tenebris emicans Solis iubar*
Lucem reducit auream,
Potente probitas sic Dei victrix manu
Illustre proferet caput,
7 *Quiesce modò dum prodeat superum Pater,*
Secum omnia vehens prospera.
8 *Et cuncta quanuis vota cedant impio*
Scelerum suorum compoti,
Nec commouere, nec animo obsequitor tuo,
Quin potius iram comprime:
Nec te quoque ista abripiat indignatio
Pietatis extra semitas.
9 *Nam tristis exitus malos, lætus bonos*
Deo acquiescentes manet.
10 *Cunctare paulum turba certè funditus*
Tota impiorum corruet:
Quos si requiras, nulla mox superbiæ
Inueneris vestigia,
11 *At fixa certis contra stabit sedibus*
Mitis piorum integritas,
Et pacis altæ perfruetur otio,
Tumultuantibus impijs.
12 *Qui seu sceleste mente concinnent dolos,*
Seu dentibus rabiem fremant:
13 *Supremus illos ridet ex alto pater,*

Mali

Mali malorum præscius.
14 *Et sine strictis ensibus, sine arcubus*
Innoxios tensis petant,
15 *Figunt sua ipsis corda versis ictibus,*
Et arcus vltro rumpitur.
16 *Præstat malorum scilicet opibus omnium*
Insons piorum tenuitas.
17 *Quam robur illorum omne subuertat Deus,*
Istos potenter fulciat.
18 *Omnes bonorum Dominus obseruat dies,*
Firma vt sit ipsorum quies.
19 *Bonos siniſtra prosors premat, nunquam opprimet,*
Nec dira conficiet fames.
20 *Interitus autem certus impios manet,*
Numenq́, quisquis oderis,
Euanidus abit penitus in fumos leues,
Adeps opimæ vt victimæ.
21 *Egenus vsque mutuatur impius,*
Nec soluit vnquam mutuum:
At vsque sanctis supperit famelico
Quod largiantur pauperi.
22 *Nam quos fauore amplectitur superûm Pater,*
Immobili perstant gradu:
Quoscunque verò iratus idem detonte,
Pereant necesse est funditus.
23 *Gressus piorum præuius Deus regit,*
Rectam terentes orbitam,
24 *Illos ruinæ aduersus impetum grauis*
Potente subleuans manu.
25 *En me peracta parte vitæ maxima,*
Senecta cana iam premit:
Nec me vsque rectum persequutum tramitem

Meósue sensi deseri,
Queruláue vidi voce diuitum ad ostia,
Miserum rogantes frustulum.
26 *Quin iustus vsque vt largiatur plurimis,*
Superest abundè hæredibus.
27 *Firma ergo longum pace quisquis expetit*
AEuum beatus ducere,
Anfractuosum sceleris effugiens iter,
Rectam terat recti viam.
28 *Deo placet rectum, suos nec deserit*
Probitate vera nobiles.
Manent proinde æternum, at impij cadunt,
Et impiorum posteri.
29 *Manet pios, inquam, manet perennitas*
Sera in nepotum secula.
30 *Labris bonorum considens sapientia*
Hinc iusta promit omnia,
31 *Et corde in alto fixa lex Dei sacra,*
Firmos regit eorum gradus.
32 *Quos, siue quisquam vafer insidias struat,*
Siue ante vultus iudicum
33 *Calumniam paret, Deus nec deserit,*
Nec iudicum arbitrio finit.
34 *Intentus ergo perge, dum è cælis Pater*
Tandem vocatus prodeat.
Et impiorum saluus exitus malos
Luminibus aspicias tuis.
35 *Vidi potentem instar comantis laureæ,*
Sublime tollentem caput:
36 *Respexi, & ecce fastuosum repperi*
Mox subrutum radicitus
37 *Certè pios quò inspexeris attentius,*

Rectoq;

Rectóque corde præditos,
Hoc clariùs videbis eorum exitu
Clausi labores optimo:
38 *Contrà semel certa sceleratis vastitas*
Ruináque imminet vltima.
39 *Dei asseruntur nanque pressi angustijs*
Potenti iusti robore.
40 *Hos vnus ille tuetur, vnus liberat.*
Ille vnus, inquam, liberat:
Sitáſq; in illo quotquot vno spes habent
Ipse quoque promptus vindicat.

Psalmus triceſimus octauus ἐυκτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi triceſimi octaui.

Hic Pſalmus præter quàm quòd eximium præbet ardentis precationis exemplum quod ſancti præſertim in maximis, tum corporis, tum animi, cruciatibus ſequantur, multa præterea nos docet quorum cognitio ad fouendam fidem & patientiam requiritur nempe, peccata veram eſſe cauſſam (quãuis neque vnicam, neque perpetuam) miſeriarum quibus diuexemur, vt nulla ſit Dei iudiciis obmurmurandi occaſio. Deinde remitti quidem gratis peccata in Chriſtum credentibus, tum quod ad culpam, tum quod ad pœnam attinet: ſed hanc tamen remiſſionem ne in Sanctorum quidem cordibus ſtatim ſentiri, ac proinde ſupereſſe etiam in illis, ad tempus grauiſſimam diffidentiæ tentationem: quæ tandẽ tum ſeria peccatorum agnitione ac deteſtatione, tum conſtanti inuocatione Dîuinæ miſericordiæ ſuperetur. Præterea ſupereſſe graues, etiã poſt remiſſa peccata, temporales pœnas, minimè id quidem quibus vllo modo ſatisfiat Dei iudicio: ſed quibus caſtigati & domiti magis ac magis ſapere condiſcamus, & diligentiùs quàm antea in timore & tremore ſaluti noſtræ operam dare. Denique ſanctos petentes liberationem, non tam in ſeſe reſpicere, quàm gloriam Dei quereꝛc, nimirum vt ipſius clementia ſic appareat, & ne ſcelerati, ſi pios deſeri & penitus opprimi viderint, in impietate confirmentur.

Eiuſdem Pſalmi triceſimi octaui.

PARAPHRASIS.

1 EHeu, Hehoua, non recuſo coargui & caſtigari, ſed hoc vnũ peto ne me terribili illo tuo furore inflammatus corripias.

2 Neq; hoc temerè deprecor. Video enim mihi non cum hominibus ſed tecum propriè eſſe negotium, cuius ſagittis trãſfoſſus, & cuius manu in me impreſſa proſtratus iaceo.

3 Itaque tua in me optimo iure accenſa indignationis ſenſus eouſque me totum percellit, vt prorſus videar abſorptus, meis ipſis oſſibus pra peccatorum meorum magnitudine & multitudine labaſcentibus.

4 Iniquitates enim mea, vt & iuſta pœna quibus me caſtigas, à calce ſupra capitis verticem ſeſe attollunt, méque ponderi tanto ſuſtinẽdo prorſus imparem obruunt.

5 Putre meſaniem vomunt liuida vulnera qua tu amenti & inſano mihi meritò inflixiſti.

6 Incuruus & prorſus obſtipus, atroq; vultu ſqualidus, vix corpus traho.

7 Ardet coxendix intolerabili cruciatu, nec vlla corpuſculi mei pars doloribus vacat.

8 Totus langueo tot plagis contuſus, qua rugitum etiam mi-

INTERPRETATIO.

1 IEhoua, ne in furore tuo arguas me, & ne in ira tua corripias me.

2 Nam ſagittæ tuæ impreſſæ ſunt in me: & manus tua impreſſa eſt in me.

3 Nihil eſt integri in carne mea propter iram tuam: non eſt quies oſſibus meis propter peccatum meum.

4 Nam iniquitates meę trãſgreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue aggrauatæ ſunt ſupra vires meas.

5 Putruerunt & fœtent liuores mei: propter amentiam meam.

6 Incuruus ſum & deiectus valde: quotidie ater incedo.

7 Quoniam ilia mea impleta ſunt ardore: nec eſt integri quicquam in carne mea.

8 Colliſus ſum & contuſus: rugio præ fremitu cordis mei.

hi ex intimis vſque viſceribus exterquent.

9 Tu, Domine à quo totus pendeo, noſti quid expetam, & quò tendant gemitus omnes mei, tibi perſpicuum eſt.

10 Miſer animus in varias ſubinde partes abreptus me deſerit: vigor omnis meus abſceſſit, oculorum vſu, vel ipſiſmet potius oculis ſum orbatus.

11 Quinetiam ij quos mihi amiciſſimos ſodales arbitrabar, tot vulneribus ſaucium procul aſpiciunt, nec ad me quiſquam ex propinquis meis accedere ſuſtinet.

12 Non deſunt etiam, quaſi tot mala mihi necando non ſufficiant, qui vita mea inſidientur, & tam acerbè me oderint vt perueriſſima quæque mihi perdendo non ceſſent comminiſci, & dolos inter ſe ſuſurrare.

13 Ego verò haud aliter me gero quàm ſi ſurdus eſſem, & qua ſi mutus eſſem, conticeſco.

14 Contineo me, inquam, quaſi mihi iſtorum audiam, & vt ſi mihi nihil ſuppeteret quo calumnias iſtorum refellam.

15 Tacitus enim auxilium tuum expecto Iehoua, minimè dubitans quin opem tuam imploranti tempeſtiuè reſpondeas.

16 Nam (quòd ego mihi apud te diſſimulandum non puto)

mei.

9 Domine coram te eſt omne deſiderium meum: & gemitus meus abs te non eſt abſconditus.

10 Cor meum circumarctatur & deſerit me: virtus mea & lumen oculorum, imo ipſimet oculi non ſunt apud me.

11 Amici mei & ſodales mei ex aduerſo plagæ meę ſtãt, & propinqui mei procul abſiſtunt.

12 Laqueos etiam mihi tendunt qui quærunt vitam meam: & qui quærũt quomodo noceant mihi, loquuntur praua, & dolos quotidie meditantur.

13 Ego autem tanquam ſurdus non audio, & *ſum* tanquam mutus *qui* non aperit os ſuum.

14 Et factus ſum ſicut homo nihil audiens: nec habens in ore ſuo redargutiones.

15 Quia te expecto Iehoua: tu reſpondebis mihi Domine Deus mi.

16 Dixi enim, ne forte lætentur de me; *nam* in lapſu pe-

periculum eſt ne iſti de me triumphos agant, quibus nihil contingere poſſit optatius quàm ſi me penitus collapſum viderint.

27 Ego verò iam planè quaſi mox caſurus vacillo, nec vllũ momentum à doloribus vacuum experior.

28 Et iſta quidem vltrò fateor peccatis meis meritò rependi: qua quàm grauia ſint, caſtigationes tua & anxietas qua diſtorqueor, renuntiant.

29 Sed hoſtes mei interea florent: & viribus aucti, magis ac magis ferociunt: augentur, inquam, iſti quibus nullo merito meo ſum expoſus.

30 Et qui pro beneficijs iniuriam referẽtes, hoc vno nomine mihi ſunt infenſi quòd bene viuere ſtuduerim.

31 Ne me deſere Iehoua, Deus mi, nec procul à me abeſto.

32 Tu Iehoua, Salus mea, feſtina, vt mihi opem feras.

dis mei aduerſum me ſeſe efferunt.

17 Nam ego ad claudicationem paratus ſum: & dolor meus coram me eſt ſemper.

18 Certè iniquitatem meam annuntio, anxius ſum de peccato meo.

19 Inimici autem mei viuentes roborantur: & augentur qui me oderunt iniuſtè.

20 Et qui rependunt malum pro bono, aduerſantur mihi eò quòd ſequor bonum.

21 Ne derelinquas me Iehoua: Deus mi ne procul abeſto à me.

22 Feſtina in auxilium meũ, Iehoua ſalus mea.

Pſalmus triceſimus octauus dicolos tetraſtrophos: primus & ſecundus verſus eſt choriambicus trimeter acatalecticus.

– – ⏑⏑– ⏑–

Tertius & quartus Iambicus dimeter acatalecticus.

⏑– ⏑– ⏑– ⏑–

– – – –

1 NE me mi Deus argue,
Ne me corripe mi Deus,
Furore tanto percitus,
Iraq; raptus impetu.
2 En vtrunque tuis traho
Transfixum iaculis latus,
En totus ad terram feror
Potente stratus dextera.
3 Noxarum siquidem obrutum
Iam mergit cumulus caput.
4 Altaq; mole criminum
Totus sepultus opprimor.
5 Liuent lurida iam vlcera
Et fœdam saniem vomunt,
Quæ iusta certè penditur
Amentiæ merces meæ.
6 Sic vitam miseram trahens
Totus curuus inambulo,
Atroq; vultu pectoris
Testor dolores intimi.
7 Ignis viscera deuorans
Torret feruidus inguina,
A calce ad vsque verticem
Regnant dolores vndique.
8 Collisus iaceo miser,
Attritusq; doloribus.
Cor intus ardens vritur:
Cor rugit intus æstuans.
9 A te quid Deus expetam
Perspicuum penitus tibi:
Non nostra te suspiria,
Non hæ latent te lacrymæ,

10 *Mens hinc indeq; volutat,*
Cassus mœreo viribus,
Quin ipse luminum vigor
Absorptus omnis aruit.
11 *Non est qui miserum iuuet,*
Quin ipsi fugiunt procul,
Nec me intueri sustinent
Quos olim amicos credidi.
12 *At iurata meam in necem*
Nectit tendiculas phalanx,
Nec machinari callida
Fraudes dolosq; desinit.
13 *Ergo hic quid facerem miser?*
Ceu mutus nihil audio,
Velutq; fari nescius,
Nil ore prorsus effero.
14 *Quicquid denique clamitent,*
Quicquid denique garriant,
Nil aure prorsus audio,
Nil ore prorsus effero.
15 *A te pendeo mi Deus,*
O mi cunctipotens Deus,
Num tu precantem negliges?
Num tu vocantem deseres?
16 *Ah ne istis, rogo, præbeam*
Risus materiem malis,
Neu faxis vt me perditum
Hostis cachinnet insolens.
17 *Ingens nec medicabile*
Cerno pro foribus malum,
Et quôquô ocellos contuli,
Sese dolores offerunt.

18 *Vitæ crimina tot meæ*
Quantis supplicijs luam,
Vultus pauore concidens
Exanguis ipse nuncias.
19 *At contra ecce meis recens*
Robur suppetit hostibus,
Nouáque vires colligunt
Qui me immerentem prouocant.
20 *Hi sunt qui mala pro bonis*
Pensant, prauum hominum genus,
Qui me vnum ob istud oderunt,
Bonus malos quod oderim,
21 *Ne me desere, mi Deus,*
Neu discedito longiùs:
22 *Succurre promptus, ô Potens*
Vindex q̃ noster vnice.

Psalmus tricesimus nonus παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi tricesimi noni.

Huius Psalmi scopus idem est atque tricesimi sexti, & tricesimi septimi, sed κατ' ὑπόθεσιν hic tractatur quod alibi θετικῶς fuit propositum: quibus videlicet rationibus erigi nos & confirmari oporteat quum in optima causa, Deo quodammodo ad miserias nostras conniuente, à sceleratis premimur. Docet nos igitur Propheta in primis suo exemplo, vel ob eã causam in huiusmodi casibus frenandos esse affectus, quòd alioqui soleat plerunque improborum furor sic augeri, potius quam imminui, qua de re nos. admoneat etiam Paulus Roman. 12. 19. & .1. Petr. 3. 13. Quòd si pergant hostes mansuetudine nostra abuti, & periculum sit ne patientia nostra superetur, tum esse mentem ad Deum conuertendam, & cogitationibus malis hæc argumenta opponenda. Momentaneam esse hanc vitam, ac proinde diuturnum esse non posse istud certamen, nec posse nobis eripi quicquam ab inimicis nisi quod per se fragile & caducum est: deinde, vt à malis premamur,

nihilominus tamen Deo non esse nos inuisos, quo nobis patrocinante non est quod dubitemus quin tandem omnia nostro bono cedant: præterea grauiores etiam pœnas mereri peccata quæ commisimus. Quarto loco quum temerè nihil eueniat, nec quicquam à Deo nisi iustè fiat, æquissimum esse vt in eius voluntate acquiescamus, sic humani generis ἀλάστορα iustè punientis. Denique proponenda nobis aliorum sanctissimorum virorum exempla, quós sic quoque exercuit, nec tamen neglexit Dominus. Admiscet autem vbique preces affectuum plenas, vt doceat non esse nobis ista frigidè, vt in Philosophicis scholis disceptãda, sed adhibendas esse preces ardentissimas, quibus pœnarum mitigationem & fidei perseuerantiam à Deo simul petamus.

Eiusdem Psalmi tricesimi noni

PARAPHRASIS.

1 *Stat quidem sceleratus: ego verò conculcatus iaceo sub ipsius pedibus. Sed mihi in ista tanta perturbatione quid nisi temerè & perturbatè possim eloqui? ac proindè quod aliud fecero si loqui velim, quàm lingua peccãdo, nouas mihi molestias accersere? Itaq; tacere prorsus decreui, & ori meo capistrũ injcere.*

2 *Sic igitur mecum initio, & quod statueram hoc etiã præstiti, vsque adeò vt ne mutirẽ quidem, & ab ys etiam dicẽdis abstinuerim quæ optimo iure poteram pro mea defensione proferre.*

3 *Sed quum exacerbari meum dolorem sentirem, & animus, quò magis illum repressi ram, eò magis intus æstuaret, exarsit tandem ignis: &, meu-*

INTERPRETATIO.

1 DIxi, obseruabo vias meas, ne peccem lingua mea: apponam ad os meum capistrum, quãdiu *fuerit* sceleratus coram me.

2 Obmutui silentio, tacui à bono: sed dolor meus turbatus est.

3 Incaluit cor meum intra me, in meditatione mea exarsit ignis, *ideo* locutus sum lingua mea, *his verbis.*

4 Notum

trahè hostibus meis auersa, ad Deum verò conuersa, loqui capi quæ fueram intus meditatus.

4 Domine, inquam, facito vt seriò magis ac magis intelligam quàm momẽtanea sit hæc vita, & huius cui mei breuitatem mihi in mentem reuoca.

5 Ecce profectò vix palmæ mensura metitus es huius vitæ meæ spatium, & quod proximè coràm te ad nihilum accedit: & ne ij quidem quorum floretissimis & firmissimus status videtur, aliud sunt quam res inanissima. Quorsum igitur tantoperè commoueor de re tam nihili, periclitans, & quasi vel isti perpetuò sint aduersum me sanaturi, vel ego demum cum istis malis consistaturus?

6 Homines certè non tam per rei ipsas quàm per rerum simulachra volutantur, frustrà de rebus nihili plurimum tumultuantes, quibus cuius sit quid sibi quispiã acquisierit, nescit tamen cui tandem illa collegerit.

7 Absit ergo vt de istis quisquibus sim anxius. A te potius pendeo, in quem vnum spem omnem meam defigo, vtpote qui, quum sis mihi Dominus, seruulum tuum negligere non possis.

8 Et quorsum de te, quasso, conquerar, qui me peccatore agno-

4 Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum: vt sciam cuius sim æui.

5 Ecce palmares posuisti dies meos, æuum meum, ac si nihil esset coràm te: certè mera vanitas est omnis homo, dum consistit.

6 Certè inter imagines ambulat quiuis: certè in vanũ tumultuantur: coaceruat, & nescit quisnã sit ea collecturus.

7 Nunc igitur quid expectarim Domine? expectatio mea ad te est.

8 Ab omnibus transgressionibus meis eripe me: op-

ſcam? Itaq; non obmurmuro rectũ iudiciũ tuũ, ſed hoc potius peto vt pro tua clementia iniquitates meas omnes oblitus, mihi hoc tribuas ne ſim inſanis & amentibus hominibus ludibrio.

probriũ inſano ne ſtatuas me:

9 *Denique cur ego non obmuteſcerem? cur vel vnam vocũlã emitterẽ, quum hæc omnia nõ temerè, ſed te cõſcio, & ſic volẽte mihi eueniãt, quẽ optimũ & aquiſſimum eſſe conſtat?*

9 Obmutui, non aperiam os meum. Nam tu feciſti.

10 *Sed quaſo, remoue paulliſper à me manum tuam qua me aſſiduè ſanciat, adeò vt totus deficiam.*

10 Aufer à me plagam tuam: præ exagitatione manus ego defeci.

11 *Nec tamen propterea inficior quin hominum genus meritò pœnis iſtiuſmodi iuſtiſſimis ſubiecerit, adeò vt quemcunque attigerit, ſtatim omnem eius ſpeciem ac elegantiam concidere oportuat tabeſactam, ac ſi tinea illam eroſiſſet. Denique quiuis homo eſt in ſeſe ipſa met vanitas.*

11 Correptionibus propter iniquitatem caſtigas homines, & tabeſcere facis quaſi tinea elegantiam eius: certè vanitas *eſt* omnis homo.

12 *Sed tu Iehoua preces & clamores meos, exaudi, & iſtiuſmodi lacrymis commotus mihi reſponde. Sic enim erga maiores illos meos tibi clariſſimos olim te geſiſti, quorum me ſimillimum vides, in hoc mundo videlicet hoſpitem ac peregrinum.*

12 Audi deprecationem mei Iehoua, & auribus percipe clamorem meum, ad lacrymas meas ne ſileto: nam peregrinus ego ſum coram te, & inquilinus ſicut omnes patres mei.

13 *Deſiſte, quaſo, & ſpaciũ mihi, ad recipiendum animam meam concede, antequam totus euaneſcam.*

13 Deſiſte à me vt roborer, antequam vadam & nuſquam ſim.

Idem

Idem Psalmus tricesimus nonus dicolos distrophos, vt psalmus primus.

1 STantem iacens quum cernerem palàm impium,
Cauebis, inquam, sic tibi,
Vt claustra linguæ prorsus obserans tuæ,
Nil ore temerè effutias.
2 Obmutui ergo pertinax silentij,
Bonis ab ipsis abstinens,
3 Dolore donec multo, & ira exæstuans,
Cor intus effervesceret.
Et bile verba suggerente splendida,
Sic rumperem silentium.
4 Saltem his, Deus mi, terminos angustijs
Ostende quos præfixeris,
Vt omne vitæ prouidens spatium meæ,
Vtcunq; vires colligam,
5 Vitæ ecce quicquid currimus, tanquam volæ
Spatio pusillo clauditur.
Mortalium vt sit quamlibet florentium
Nil vanitate vanius,
6 Vt qui per vmbras, heu, vagentur deuij,
Ipsiq; carnifices sibi,
Se mutuò trudant, opes incognitis
Vt congerant hæredibus.
7 Et nunc, Deus mi, à quo miser pependerim?
Tu solus vna spes mihi.
8 Tu cuncta procul auerte, quæ ipsemet mihi
Sceleribus accerso meis.
Nec me furentum exponito despectui,
Et acribus ludibriis.
9 Et conticesco, en quæ merenti verbera

Insligis, vltrò perfero.
10 *Heu vulneratum heu iam seuera sub manu*
Me collabantem respice.
11 *Nanque hac potente stratus ecquis dextera,*
Non, destitutus robore,
Sic colliqueſcat, dura vt arbor quamlibet
Blattis peresa concidit?
O te caducum! ô futilem hominem! ô te semel
Rerum omnium vanissimum.
12 *Audi precantem, audi eiulantem, mi Deus,*
Nec lacrymantem despice.
Ah tu me auorum instar meorum conspicis,
Et inquilinum, & hospitem:
13 *Facesse Deus & patere respirem priùs,*
Quàm totus euadam nihil.

Psalmus quadrageſimus διδακτικὸς, καὶ προφητικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi quadrageſimi.

Pſalmus iſte quamuis gratiarum actionem contineat, maxima tamen ex parte eſt διδακτικὸς & prophetiam etiã habet illuſtrem de veteris fœderis abolitione, & Chriſti officio. Docet igitur nos iſta Dauid ſuo exemplo.

Differri exauditarum etiam precum efficacitatem, quæ doctrina neceſſaria eſt in lucta fidei cum diffidentia & impatientia.

Hanc dilationem & Dei gloriæ & noſtro bono cedere. Sic enim meliùs cunctis apparere ex quantis periculis ſuos eripiat Dominus, & certius etiam liquere quantopere hallucinentur qui malis exemplis decepti, aut impatientia victi, à Deo deficiunt.

Nullis legalibus ſacrificiis aut noſtris ſatisfactionibus, ſed vni gratuitæ in Chriſto reconciliationi, tunc quidem quum hæc ſcriberet Dauid implendæ, nunc verò impletæ, tribuendum quòd à Deo exaudiamur, & ex periculis eruamur: & idcirco

circo nos exaudiri non vt peccandi licentiam ex Dei lenitate amplectamur, sed potius vt nos totos ipsi & coram eo & coram hominibus palam & absque dissimulatione consecremus.

Hanc mutationem non proficisci à nobis, sed effici in nobis per Dei gratiam, aures nobis ad percipiendum ipsius verbum perforantis, & efficientis in nobis vt velimus & faciamus. Legem Domini scriptam, esse vnicam veræ obedientiæ normam.

Quum in hac vita sit perpetua quædam tentationum vicissitudo, coniungendas esse cum gratiarum actione de præsentibus beneficiis, preces aduersus succedentes miserias: & dandam operam vt præteritorum experientia confirmati, ab eo toti pendeamus.

Quatenus autem Dauid fuit Christi Typus, inducitur Christus ipse loquens ver. 6. 7. 8. & testificans, seſe factum à patre nostrũ sacerdotẽ, nõ vt legales victimas offerret, sed vt seipsũ offerens, veteribus figuris finem imponeret: & factus obediens patri vsque ad mortem crucis, fieret nobis perfecta iustificatio ac redemptio, sicut copiosissimè explicat Apostolus Heb. 10. 5. & deinceps. Sed meminerimus opotet sic ista trium Christi personæ, vt longè aliter Christo quàm Dauidi, idest veritati quàm Tipo, sint applicanda: eo vno excepto quòd Christus, in agone præsertim, nostram personam re vera sustinuit, ac proinde, qui nostri redemptor est quatenus non fuit peccatum in eo, ita dici potest primus à seipso redemptus quatenus imposita sunt illi nostra peccata.

Eiusdem Psalmi quadragesimi.

PARAPHRASIS.

1 *DIutißimè quidem sed optimo ſucceſſu, expectani Iehoua auxilium. Tandem enim mihi attendit, & clamorem meum ſeſe exaudiuiſſe reipſa declarauit.*

2 *Eduſtum enim me ex profundißimo puteo & tenaciſſimo cœno, in rupe ſublimi collocauit, vbi firmis greſſibus incedo*

INTERPRETATIO.

1 EXpectando expectaui Iehouam: & inclinauit ſeſe ad me, & audiuit clamorem meum.

2 Et extraxit me è puteo præcipiti è luto cœnoſo, ſtatuit ſuper rupem pedes meos, ac firmauit greſſus meos.

3 *Itaque noui carminis argumentum mihi canendum dictauit, celebrandis videlicet Dei nostri laudibus, quod in me, ipsius benignitatis exemplum, omnes intuentes, Iehouam reuereri & in eum sperare discant.*

4 *O beatum illum qui spem omnem in Iehoua defigens, homines inanissima & fallacissima fiducia turgentes deuitat.*

5 *Iehoua mi Deus, quàm multa & quàm admirabilia gessisti: quis illas tuas cogitationes mente consequi, quis enarrare queat, & effari, quũ ne numerari quidem possint?*

6 *Sed illud in primis commendat beneficiorum tuorum magnitudinem, quòd hoc omne vltrò & ab immensa benignitate tua profectum est. Nec enim à me postulasti legales illas oblationes aut victimas, quasi tibi possem illis satisfacere, quod insani hominis esset sibi persuadere: sed hoc vnum pro omni holocausto & piaculo postulasti, vt te audirem, quod & ipsum mihi tribuisti, idoneum me reddens ad te audiendum,*

7 *Ego igitur gratia ista tua fretus statim apud me vicissim dixi, Ecce adsum. Sic enim in ipso statim initio voluminis legis tua audio me conpellari, quum inquis, Audi Israel.*

3 Et indidit ori meo canticum nouum, laudãdo Deo nostro: videbunt multi & tenebunt *eum* reuerebũtur & sperabunt in Iehoua.

4 Beatus vir, qui posuit Iehouam spem suã: neque respexit ad fastuosos & qui diuertant *ad* falsitatem.

5 Multiplicasti Iehoua Deus mi mirabilia tua: & cogitationes tuas de nobis digerere suprà nos *est*: si narrem illas & eloquar, superant numero.

6 Sacrificium & oblationem nõ appetiisti, *sed* aures perfodisti mihi: holocaustum & piaculum non postulasti.

7 Tunc dixi, ecce venio: in volumine libri scriptum est de me.

7 *Nec enim audiri te, mi Deus, alia ratione iubes, quàm vt loquẽti tibi obſequamur. Quoniam igitur mihi dediſti vt hoc vellẽ, teſtatus ſum me hoc ipſum velle, & legem tuam in intimo cordis mei reſidere.*

8 Vt faciam quod tibi gratum eſt, Deus mi. *hoc* volo: & lex tua in medio viſcerum meorum *eſt.*

9 *Neque id ſimulatè feci, qui palam iuſtitiam tuam prædicarim: neque verò id vnquã facerè deſiſtam vllis periculis deterritus, cuius voluntatis tu ipſe mihi teſtis es, Iehoua.*

9 Annuntiaui iuſtitiam *tuam* in cœtu magno: ecce labia mea non cohibebo: Iehoua tu noſti.

10 *Tuam, inquam, iuſtitiam intus mihi perſpectam non reticui, ſed quàm ſis promiſſi tenax, & in hac vnica beneuolentia tua ſalutem omnẽ noſtram ſitam eſſe apertiſſimè ſum profeſſus: & coram vniuerſo quoque gentis tuæ cœtu, bonitatem ac veritatem tuam ſum teſtificatus.*

10 Iuſtitiam tuam non abſcondi intra cor meum: veritatem tuam & ſalutem tuam prædicaui: non celaui bonitatem tuam & veritatem tuam in cœtu multo.

11 *At tu viciſſim, mi Deus, quãdoquidem noui hoſtes mihinõ deſunt, pergẽ, ſicut adhuc feciſti, mei miſereri, & tuos illos cuſtodes mihi ad latus adhibe, bonitatem videlicet tuam & in præſtandis promiſſis fidem.*

11 Tu Iehoua ne prohibeas miſerationes tuas à me: bonitas & veritas tua ſemper cuſtodiant me.

12 *Nam innumera mala mihi rurſus imminent, & pœnæ peccatis debita tot tantaque me premunt, vt eas ne oculis quidem ſatis proſpiciam. Superant enim capillorum etiam meorum numerum, & animus ipſe me deſtituit.*

12 Quia circumdederunt me mala *ita* vt non ſit *eorũ* numerus, cõprehenderũt me iniquitates meæ: *ita* vt *illas* videre nõ poſſim: multiplicatæ ſunt ſupra capillos capitis mei: & cor meum deſeruit me.

13 *Placeat igitur tibi, Iehoua*

13 Placeat tibi Iehoua libe-

liberare me, Iehoua, inquam, accelera gradum vt mihi opem feras.

rare me, Iehoua ad auxilium meum festina.

14 *Fac vt pudore suffusi erubescant spe sua frustrati qui me ad necem quarunt: & irrito conatu reuertatur cum infamia qui in eo toti sunt vt mihi noceant.*

14 Pudefiant & confundantur qui quærunt animam meam ad perdendum eam: auertatur retrorsum & pudefiant qui quærunt malum meum.

15 *Eam ipsam ignominia notam pro sui sceleris præmio referant quam inurere mihi statuerunt, qui mihi calamitoso suum illud Euge, euge, inclamarunt.*

15 Disperdantur pro mercede pudoris sui, qui dicunt mihi Euge euge.

16 *Contrà verò exemplo meo confirmati ac recreati lætentur quicunque te requirunt: & qui spem omnem salutis in te deposuerunt, alij alios ad te collaudandum adhortentur.*

16 Exultent & lætentur in te omnes quærentes te: dicãt semper, magnificetur Iehoua, qui diligunit salutem suam.

17 *Eram miser & omni ope humana destitutus, sed Dominus mihi rebusque meis prospexit: Tu mihi adiutor, tu liberator meus extitisti: Nunc quoque mi Deus, ne, quaso, cunctare.*

17 Ego pauper & inops, sed Dominus cogitauit de me adiutor meus & liberator meus es tu: Deus mi, ne cunctare.

Idem Psalmus quadragesimus, monocolos, versu heroico, vt octauus.

1 *ERgo mihi tandem Deus, ô multumq́, dinq́,*
Expectatus adest facilisq́, audire precantem,

2 *Hauitibus stupisq́, eductum è gurgite cæni,*
Arce locat tuta: & firmos dat figere gressus.

3 *Ergo nouas nobis laudes, noua carmina dictat,*
Vt mecum exultes tensorum turba bonorum.

Conscia,

Conscia, seque meis sociam nunc cantibus addat,
Hunc verita, huic vni reliquis confisa relictis.
4 O te felicem, solo quem numine fretum
Nulla superborum mouere exempla, nec vllis
Deceptum illecebris in deuia transtulit error.
5 Vah! quæ & quanta Deus toto miracula mundo
Sparsisti! & quæ non, distincta hæc ordine cuncta
Digerere, auctoris prout illo immensa meretur
Maiestas, penitus mens forte aggressa fatiscat?
Nam quànam hæc lingua, quo possint dicier ore?
Quas igitur tanto memorem pro munere grates?
6 Nam neque liba tibi, nec multo aspersa cruore
Ara placet, nec, tota licet consumpta litarit
Victima, nec fumi pingues delicta piarint.
Tu meliora doces, tu me potioribus aptas.
7 Ergo alacris propero, promptusque capessere iussa,
Vt sacris expressa iubent tua iura tabellis,
8 Nempe tibi vt puro deuotus pectore, totus
Obsequar, huc igitur totus feror, atque sub imis
Ista incisa gero penitus mandata medullis,
9 Nanque tuas non parcus ego laudator ad aras
Accessi populi neque circunstante corona
10 Ingratus silui, quin teipso teste locutus,,
Sincero expromptas cecini tibi pectore laudes.
Non ego te iustum tacui, fideique tenacem,
Et miseris promptum larga succurrere dextra.
11 Ah igitur tua me miserum clementia seruet,
Quæque tuos nunquam bonitas iurata fefellit.
12 Nanque malis premor innumeris, totusque dolorum
(Criminibus quæ iusta meis est debita merces)
Et miser ingenti oppressus sub mole fatisco.
Quinetiam misero caligant lumina plures,

Quàm numerare pilos, possum numerare dolores.
Attonitoq́, patens cor pectore liquitur omne:
13 *At tu me seruato bonus, totiesq́, vocatus,*
14 *Promptus ades, multo vt suffusus membra pudore*
Obstupeat, retroq́, ferat vestigia quisquis
Immeriti malus inuigilat damnioq́, neciq́,
15 *Isti inquam, insontis soliti insultare periclis,*
Faxis digna ferant sceleratis præmia votis.
16 *At contra tua magna quibus stat gloria cordi,*
Quiq́, à te sperare vno didicêre salutem,
Fac læti exiliant, totaq́, in gaudia mente
Profusi, vsque canant grato tibi pectore laudes.
17 *Tu me inopem, tu me, Deus, es miseratus egenum,*
Ergo tibi toties seruatum denique serua,
Expertam nec tardus opem mihi magne, negato.

Psalmus quadragesimus primus

εὐτικὸς καὶ προφητικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi quadragesimi primi.

Grauissima quoque hæc est tentatio, quæ occasionem huic psalmo præbuit, eiusdem argumenti atque liber Iobi, in quo ista quæstio pertractatur, An videlicet, quum Deus sit iustus & omnes calamitates quibus obnoxii sunt homines sint à peccato exortæ, de odio Dei & exitio aliquorum sit statuendum ex præsentibus malis quibus premuntur. Sic enim iudicat vulgus, existimans contrà, Deo gratos esse qui huius vitæ commodis affluunt. Vtrunque falsò, sicuti Deus ipse pro Iobo aduersus ipsius amicos decidit, & Salomon quoque in Ecclesiaste. Est autem ista tentatio longè grauissima, vt pote quæ iter aperiat ad blasphemiam & desperationem. Multò grauius autem est hoc malum, quum à perfidis & ingratis proficiscitur, à quibus præcipuè expectabatur consolatio. Dauid igitur sic quoque mirum in modum fuit ab iis vexatus quibus non placebat ipsius integritas, & disciplinæ seueritas, quemadmodum apparet ex historia sic tandem fuisse filium

à Pa-

à Patre, opera scelerati Achitophelis & aliorum abalienatum, & ad horrendam illam coniurationem impulsum. Ad hæc accedebat grauissimus morbus qui spem rerum nouarum in illis perfidis augebat, arbitrantibus videlicet sublato Dauide se alium euecturos, qui cupiditatibus eorum indulgeret & disciplinæ vincula laxaret. Tot igitur malis vexatus Dauid, peccatorum se professus & tum fide apud Deum, tum recta aduersus illos proditores confidentia frętus, ad Deum prouocat, aliis meliùs de ipso iudicantibus bene precatur, fundit preces ardentissimas pro sua & Regni incolumitate, de quarum exitu vsque adeò securus est (ac meritò quidem, vt qui promissionem Dei particularem haberet) vt de illarum impetratione gratias agat. Est autem admirabilis hac in re Typus, tum Dauidis cum Christo, tum Achitophelis cum Iuda comparati, quo sensu citatur versiculus huius Psalmi Iohan. 13. 18. Nam sicut Dauid à filio proditus & fugatus, regnum tamen recepit, ita Christus à Discipulo proditus, à populo suo in crucem actus, regnum suum verè iniit, & idem proditoris vtriusque exitus fuit.

Eiusdem Psalmi quadragesimi primi.

PARAPHRASIS.

1 *AT vobis bene sit qui de me quantumuis calamitoso rectiùs iudicatis. Nam me certè Iehoua ex hac quoq; miseria liberabit.*

2 *Iehoua non desinet mihi prospicere, & me vita restituet, imò quicquid isti dicitĕt rursùm me beabit, nec patietur vt tradar ex hostiũ arbitrio.*

3 *Iehoua potius fulciet me, licet dolorũ magnitudine prostratum, & meum ipsius stratum obibit.*

4 *His enim verbis, quæ irrita cadere non possunt, illum interpellani. Agnosco, Iehoua,*

INTERPRETATIO.

1 BEatus *est* qui prudenter iudicat de afflicto nam in die calamitatis liberabit eum Iehoua.

2 Iehoua custodiet eum, & vitæ restituet eum: beatus erit in terra, & non tradet eum libidini inimicorum eius.

3 Iehoua fulciet eum iacentem supra lectum doloris: omne stratum eius tu obibis in ægrotatione ipsius.

4 Ego dixi, Iehoua miserere mei: sana animam meam, quia pecca ui tibi.

mi in te peccasse, ac proinde iustissimas pœnas plecti. Tu verò mei misertus sana me multò etiã magis animo quàm corpore saucium.

5 Ecce ingrati isti & perfidi imprecari mihi non desinunt, & nihil magis quàm interitum meum optantes, quando tandem iste, inquiunt, & omnes ipsius nomen extinguetur?

6 Si quis officij specie ad me venit, verbis quidem amicitiam testatur, sed sese interim ad nocendum intus comparat, & dolos apud se accumulat, suis mox referens egressus quæcũque de me exploravit.

7 Tum verò diligenter collatis inter se sermonibus ac consiliis, de reo exitio sententiam ferunt.

8 Nam, inquiunt, horrendi & nefarij sceleris reus tenetur, vt nulla sit spes eum ex his malis euasurum.

9 Quin etiam ille mihi coniunctissimus, qui salue prospera omnia sperabam, & à quo omne genus officij expectabã, atque adeò quem ipsi mensa mea adhibebã, aduersum me calcem extulit.

10 At tu Iehoua illorum vota frustratus miserere mei, & erige me rursum, vt pro muneris & auctoritatis ratione quam mihi attribuisti, iustas de illorum perfidia pœnas sumam.

5 Inimici mei maledixerunt mihi, *dicentes*, quando morietur, & peribit nomen eius?

6 Quod si *quispiam* venit ad visendum *me*, mendaciter loquitur. *Nam* cor eius accumulat res iniquas apud se, *quas* vbi egressus fuerit foras, profert.

7 *Tum* simul aduersus me susurrant omnes osores mei: contra me cogitant malum mihi, *dicentes*.

8 Res nefaria adhæret ei, & quum decumbat, non amplius surget.

9 Etiam vir pacis meæ, in quo confidebam, comedēs panem meum, extulit contra me calces.

10 Sed tu Iehoua miserere mei & erige me: & rependam illis.

11 Ex

11 *Sed quaſo, quorſum pluribus apud te agerem? Certè iam ego me tibi exoſum non eſſe ex hoc ipſo agnoſco, quòd adhuc prohibuiſti ne de me hoſtes triumphos agerem ſicut certò ſperabant, & futurum humano iudicio prorſus videbatur.*

11 Ex hoc noui quòd acceptus ſum tibi quòd non triumpharit inimicus de me.

12 *Ecce igitur adhuc perſto ego, præſidio tuo ſaluus & incolumis, & futurum ſcio vt mei perpetuam curam geras.*

12 Ecce me in integritate mea ſuſtentaſti me: & collocabis me in conſpectu tuo in æternum.

13 *O Iehoua, Deus Iſraelis, laus æterna tibi tribuatur, & ita ſanè, ita, inquam, erit.*

13 Benedictus Iehoua Deus Iſrael, à ſeculo vſque in ſeculum, Amen & Amen.

Idem Pſalmus quadrageſimus primus, dicolos diſtrophos prior verſus eſt Iambicus dimeter catalecticus: alter Iambicus trimeter acatalecticus.

1 *A Te te Deus beet viciſſim,*
Quicunq; de miſero temerè nil iudicas.
Nam ſæpe quem Deus ſeuera
Proſtrauit, hunc benigna ſurrigit manu.
2 *Sic quem periſſe crediderunt,*
Saluum reducet mortis ipſo ex limine:
Dabitque felix vt beatam
Fruſtratus hoſtis vota, vitam tranſigat.
3 *AEgrúmque fulciet iacentem,*
Eiúſque obibit omne ſtratum ſedulus.
4 *Mihi vna fuit hæc vox in ore.*
Quum me dolores obſiderent vndique,
En me, Deus, reum fatentem,
At tu miſellam animam benignus reſpice,

5 *Hæc ego, sed hostis durus adstans*
Nunquam ne totus, inquit, hic delebitur?
6 *Si forte me visurus adsit.*
Versutus horum perfidorum quispiam,
Blandum loquutus, corde in alto
Cogit venenum, quod foris mox euomat.
7 *Tunc tota verò me caterua*
Lacerat susurrans, cunctaq; mala machinans.
8 *Lethalis, aiunt, hunc coarctans*
Plaga morituru affixit isti lectulo.
9 *Sed & ille rebus mihi secundis*
Comes, sodalisq; omnium gratissimus,
Mensæq; particeps amicus,
Auersis ecce calcibus amicum petit.
10 *At tu misertus, me iacentem*
Attolle, digna vt his rependam præmia.
11 *Sed plura quorsum ego, repeto*
Tui iam amoris pignore hoc certissimo,
Quòd improbi de me superbos
Nondum triumphos, ceu volebant, egerint?
12 *En perstio saluus, & potente*
Perstabo, dextræ viribus fultus tuæ,
Tuum ante vultum collocatum
AEterna quem custodias in secula.
13 *Deus Israelis ô benigne,*
Tibi æuum in omne sit perennis gloria:
Et has ratas, ratas vicissim
Mihi vsque, & vsque perfici preces iube.

Psalmus quadragesimus secundus

παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi quadragesimi secundi.

Præbet nobis hic Psalmus singulare fidei exemplum cum eximio

eximio pietatis ſtudio coniunctæ. Teſtatur enim Dauid exul & non modò dignitatibus boniſque omnibus ſpoliatus, ſed etiam vndiquaque ab hoſtibus crudeliſſimis ad necem quæſitus, ſeſe tamen animum minimè deſpondêre. Deinde nihili ſe facere dicit cæterarum rerum tantam iacturam, præ hoc vno quòd quum anteà cæteris in tabernaculum de more proficiſcentibus præire conſueuiſſet, cogeretur adminiculis illis fidei à Deo præſcriptis carere. Intelligebat enim vir ſanctiſſimus, quantumuis quocunque peruenisſet Deum præſentem haberet, & tantum in cognitione Dei & ſui officij profeciſſet quàtum alius nemo: maximum tamen eſſe publicorum ſacrorum cætuum vſum, & neminem eſſe qui auditione verbi & ſacramentis non egeat. Hoc igitur animaduertant imprimis qui, quoniam ſibi ſatis ſapientes videntur, conciones ſacras & ſacramenta vltrò negligunt: ac multò etiam magis qui eaducorum bonorum vſum redimunt ſacri miniſterii iactura, qui denique malunt in idololatriæ ſordibus iacêre quàm Eccleſiæ accenſeri.

LIBER SECVNDVS.

Eiuſdem Pſalmi quadrageſimi ſecundi.

PARAPHRASIS. INTERPRETATIO.

Ad triumphandum erudiens filijs Core.

1 *QVemadmodum cervus à venatoribus diu multumq; agitatus, fontes auidiſſimè glocitans requirit, ita miſer ego, quem iſti tot iamiam annis perſequi non deſinunt, toto pectore vociferor ad te Deus.*

1 SIcut ceruus glocitat ad fontes aquarum: ita anima mea glocitat ad te Deus.

2 *Nec enim honores amiſſos, aut opes, aut coniugem, cognatos & amicos requiro, ſed tui potius, Deus, viui & perennis fontis, ſiti & deſiderio totus contabeſco. Eheu igitur, quando tandem mihi miſerrimo*

2 Sitit anima mea ad Deum viuum. *Ah* quando ingrediar, vt appaream coram facie Dei?

debitur vt te in ade tua conſpiciam.

3 *Lacrymis dies ac noctes meipſum paſco, audiens impios iſtos mihi quaſi abs te ſim deſertus, inſultantes, & quotidie vbi ſit Deus meus rogitantes.*

4 *O quàm verò acerba eſt mihi ſuperiorum temporum recordatio, cogitanti quàm olim ſolarem ego numeroſam turbam domum tuam vſque deducere, campis ipſis laudes tuas canentium & tripudiantium ſonitu perſonantibus?*

5 *Agedum tamen animula, cur es ita conſternata, & tantopere tumultuaris? expecta dũ adueniat Deus ille liberator tuus. Nam ille, ſat ſcio, faciet vt rurſum in eius ſacrario apparens, illi de mea liberatione gratias agam.*

6 *Sed eheu mi Deus, corporis & animi viribus proſtratus iaceo de te tam procul abſente cogitans, ad Iordanem vſq; fugatus, & in iſtis Hermonu & Mizaris montium iugis delituſcens.*

7 *Gurges gurgitem excipit, & quaſi ad me perdendum compellat: tempeſtatibus tuis horribili cum ſonitu quaſi diruptis, nubium canalibus in meũ caput prouolutis, & fluctibus ſemel omnibus ad me obruendum effuſis.*

8 *Abſit tamen vt animum de-*

3 Sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus.

4 Hæc dum recordor, effundo intra me animam meã. Nam tranſibam olim cum turba, deducens vſque ad domum Dei, cum voce exultationis & laudis multitudinem tripudiantem.

5 Quid conſternata es anima mea, & tumultuaris intra me? nam adhuc eius celebrabo liberationes ab eo profectas.

6 Deus mi anima mea intra me deiecta eſt, quoniam recordor tui à terra Iordanis & Hermonim & à mõte Mizar.

7 Abyſſus Abyſſum aduocat: ad vocem canalium tuorum omnes inundationes tuæ, & fluctus tui ſuper me tranſiuerunt.

8 Interdiu mandabit Iehoua bonitatem

ſpondeam. Nam certè Iehoua interdiu quidem mihi pro ſua bonitate proſpiciet, noctu verò præbebit mihi canendarum ipſius laudum argumentum. Denique nunquam deſinam, Deum, vita vtique mea vnicum auctorem ac conſeruatorem precari.

bonitatem ſuam, & nocte canticum eius *erit* mecum. Oratio *fiet* ad Deum vitæ meæ.

9 *Dicam, inquam, Deo cuius vnius præſidio innitor, Téne verò mei immemorem eſſe, & pati vt ab hoſte oppreſſus in ſqualore & mœrore perpetuò iaceam?*

9 Dicã Deo rupi meæ: Quare oblitus es mei? Quare pullatus incedo in oppreſſione hoſtis?

10 *Méne nunquam reſpicies, non eorũ quibus iniquiſſimè ſum ſpoliatus iactura commotum, ſed impijs illis hoſtium meorũ vocibus ad oſſium vſque medullas transfoſſum, quum illos ſubinde per ludibrium audio, vbi ſit ille Deus meus rogitantes.*

10 Occiſio *eſt* in oſſibus meis, dum me probro afficiunt inimici mei, dicentes mihi quotidie vbi eſt Deus tuus?

11 *Agedum igitur animula, cur tam conſternata, & cur tantopere tumultuaris? Expecta potius dum adueniat Deus. Dabit enim ille rurſum vt liberatus ei gratias agam. Sic ille me liberans vultum meum exhilarabit, ille, inquam, Deus meus eſt.*

11 Quid conſternata es anima mea, & cur tumultuaris intra me? expecta Deum: quia adhuc eum celebrabo. *Hic eſt* ſalus vultus mei, & Deus meus.

Idem Pſalmus quadrageſimus ſecundus tricolos triſtrophos, Primus verſus eſt dactilicus tetrameter Alcmanius acatalecticus.

⏑⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ––
–– –– ––

Secundus, Iambicus trimeter acatalecticus. Tertius Adonius.

– ⏑⏑ ––

1 QValis odora agitata canum vi,
Fluenta quærens algida, omne per nemus
Cerua remugit:
Toto talis pectore anhelans,
Clamore te magno, Deus, Deus, Deus
Viue requiro.
2 Ah, bone, quando, quando serenos
Stanti ante vultus dabitur illas ad sacras
Vescier aras?
3 Sunt mihi luce, & sunt mihi nocte
Cibus dolores, & madentibus genis
Riuus inundat.
Quando feroces vsque cachinnant,
Et vbi istud, aiunt, deliteſcit quod miſer
Numen adoras?
4 Hæc dum ego mœſta mente reuoluo
Choris vt olim cantibuſq; plurimis
Dux ego, turmis,
AEdis adibam limina sacræ,
Cor intus, eheu, deſtitutum viribus
Liquitur omne.
5 Anxia cur tot, veh, mea curis
Me miſerum animula tam inquieto diſtrahis
Vsque tumultu?
Ne dubita, en aderit tibi præſto:
Hunc fortis expecta, salute quem colas

Grata

Grata recepta,

6 *Ipſe tui memor, ecce, Deus mi,*
Iam colliqueſco ab Iordane atque montium
Rupibus exul.
7 *Trudiur ecce procella procellis.*
Et igneirauca rutilo ſimul tonant
AEthere nimbi.
Ecce ruente tui impete fluctus
Rapidiq́, rapido fluminis feror miſer
Vortice merſus.
8 *Sed tamen aurea me tua rurſum*
Splendore lux reficiet, omnes imperans
Ponere luctus.
Quin dabis ipſis noctibus olim
Vt te, Deus, ſalutis auctorem meæ
Carmine dicam.
9 *Ah mea, mi Deus, obſecro, rupes,*
Cur me impio ſic pronſus immemor mei
Subÿcis hoſti?
10 *Vulneror ipſis ecce medullis,*
Quum me proterui iſte magna ſic rogat
Voce cachinnans:
Vah tuus ergo nunc Deus iſte
Vbi deliteſcit, tam ſonora negligens
Voce precantem?
11 *Anxia cur tot, væh, mea curis*
Me miſerum, animula tam inquieto diſtrahis
Vſque tumultu?
Confidas modo, nam Deus hic eſt
Tuus, beata quem ſalute mox coles
Grata recepta.

Psalmus quadragesimus tertius ἐυκτικός.

Argumentum & vsus Psalmi quadragesimi tertij.

Hic Psalmus est velut appendix superioris, preces repetens quibus sese petit Ecclesiæ restitui.

Eiusdem Psalmi quadragesimi tertij.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Assere ius meum, Deus, & iusta causæ meæ patrocinatus, eripe me inhumana isti multitudini, & homini fraudulento ac improbo.*	1 Assere me Deus & discepta litem meam: à gente crudeli à viro fraudulento & improbo eripe me.
2 *Nam tuo vnius robore nitor mi Deus. Quare tu me, quæso, repellis, & mœstum incedere pateris ab hostibus oppressum?*	2 Nam tu es Deus roboris mei: quare me repulisti, quare tristis incedo in oppressione hostis?
3 *Iube, rogo, mihi fauorem & veritatem tuam illucescere, quæ me apud sanctum illum montem & tabernacula tua sistant.*	3 Mitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsæ me dirigant & adducant me ad montem sanctum tuum, & ad tabernacula tua.
4 *Ibi, Deus, ad altare tuum progressus, lætitiam meam voce testabor, & te, Deus, Deus mi, cithara quoq; prædicabo.*	4 Tunc ingrediar ad altare Dei, ad Deum lætitiæ exultationis meæ, & celebrabo te in cithara Deus Deus mi.
5 *Quorsum consternata es anima, & tantopere tumultuaris? Expecta Deum. Futurum enim est vt rursum eius laudes prædicem. Hic enim est Deus ille meus qui me rursum liberans exhilarabit.*	5 Cur consternata es anima mea? cur tumultuaris intra me? Spera in Deo, nam adhuc eum celebrabo. Hic est salus vultus mei, & Deus meus.

Idem Psalmus quadragesimus tertius, monocolos, versu Iambico dimetro acatalectico, vt Psalmus decimus tertius.

1 AH me Deus mi vindica,
Iustæque litis arbiter,
Istis cruentis gentibus
Hostique versutissimo,
Malisque cunctis dedito
Me præpotenter eripe.
2 En totus abs te pendeo,
Cur ergo me sic abijcis?
Crudelibus pertetritum
Cur huius improbi minis
Me tam diu vultu sinis
Obambulare pallido?
3 Fac illa lux vt emicet,
Et iuncta luci veritas.
Quæ me vagantem dirigant,
Interque pandant cœlitus,
Tuo sacratum numini,
Ad vsque montis verticem.
4 Sacris tuis altaribus
Tunc nempe præsens perfruar,
Meque fontem gaudij
Te prædicabo, garrulis
(Non absque lætis saltibus)
Deus, Deus mi, nablijs.
5 Cur maceras te corculum?
Cur tristè sic exæstuas?
Duntaxat isti fidito,
Nam (crede) tempus imminet,
Quo rursus hunc habebimus,
Cantabimusque vindicem.

Psalmus quadrageſimus quartus εὐλογικός.

Argumentum & vſus Pſalmi quadrageſimi quarti.

Eſt hic quoque Pſalmus ἐυκτικός, ſed lamentationum triſtiſſimarum plenus, cuius auctor non fuiſſe Dauid à pleriſque exiſtimatur, quoniam ad eius tempora non videatur iſtæ querelæ congruere. Itaque alij ad aliud tempus referunt. Ego quod hic refertur verſu 18. & deinceps, puto multò minus conuenire vllis temporibus quæ Dauidem & huius populi ſtrages ſunt conſecuta. Exiſtimo igitur potius à Dauide ſcriptum eſſe, & quidem iis temporibus quæ inter Saulis mortem & Dauidis vnctionem in Hebrone interceſſerunt. Tunc enim victoribus Philiſteis, & ciuili exorto bello, quamuis moderatiſſimè ſeſe gerente Dauide, res Iſraelitarum valde afflictas fuiſſe conſtat, & captiuos hinc & inde multos abductos & diuenditos dubium non eſt: nec tamen meminit hiſtoria quicquam tum fuiſſe in religione mutatum. Huius verò temporis circunſtantia mirificè comendat Dauidis fidem, & animum de ſtabiliendo regno Dei, non de ſeſe propriè cogitantis, & toti Eccleſiæ preces iſtas dictantis. Ad rem autem ipſam quod attinet, docet nos hic Pſalmus, quod noſſe in primis oportet: crucem videlicet cum Chriſti crucifixi doctrina cohærere, nō ad huius duntaxat aut illius, ſed ad totius quoque Eccleſiæ corporis probationem, ſicut ab Apoſtolo Rom. 8. 35. huius Pſalmi verſ. 23. citatur. Etſi igitur pati pro iuſtitia τιμιώτατον eſt noſtræ cum Filio Dei συμμορφώσεως, de qua iubet nos Chriſtus exultare: tamen quum ferre non ſimus, & idem nos iubeat priuatis fratrum afflictionibus, ac multò magis publicis Eccleſiarum cladibus συνεπάσχειν: oportet noſtram fidem tunc maximè ad precandum accendi, effuſis in patris ſinum gemitibus: cuius precationis exemplar pulcherrimum nobis hic Pſalmus ſuppeditat. Aliud enim eſt Deo tanquam iniuſto & fallaci obmurmurare, ſicut ij ſolent qui commodorum ſuorum cauſa promiſſiones diuinas vtcunque amplectuntur, quàm facere quod hic facit non vnus quiſpiam ſed tota Eccleſia, præterita beneficia Dei agnoſcens ac prædicans: vt mutatis inferioribus rebus Deum tamen ſui ſemper ſimilem fore ſtatuamus, & tum de hoſtium acerbitate tum de iſta viciſſitudine ſic quæramur, vt in fide perſtantes, occaſionem eò ardentiùs precandi inde arripiamus.

Eiuſdem

Eiusdem Psalmi quadragesimi quarti.

PARAPHRASIS.

1 *RENOCAT nobis in memoriam præsentes miserrimus status, ô Deus, superiora illa tempora de quibus à maioribus nostris audiuimus. Narrarunt enim illi nobis quot quantaque olim nostri causa gesserit.*

2 *Te videlicet tua ipsius manu populos, à quibus hæc regio tenebatur expulisse, vt eos hic plantares, ac deinceps etiam, si qui ex illis gentibus superarant, attriuisse, vt longè latèque stirps illa maiorum nostrorum ramos diffunderet.*

3 *Nam certè non erat cur huius terræ adeptionem suis armis acceptam ferrent, aut cur existimarent sese suo robore tot potentissimis populis restitisse, Imò tota hæc laus tua est, qui nos, quia sic tibi pro sola tua benignitate visum est, brachio tuo & exerta dextera, tuique vultus splendore corroborasti.*

4 *Nec, hic tua benignitas substitit: siquidem nos postea regere non destitisti: quòd vtinam sicut omnia tibi imperanti parent, sic pergas nos liberare.*

5 *Nos olim certè aduersarios nostros propulsabamus: neque nos quisquam adortus est quem inuocato numine tuo non repulerimus.*

INTERPRETATIO.

1 DEus, auribus nostris audiuimus patres nostri narrauerunt nobis quid feceris diebus ip sorum, diebus priscis

2 Tu manu tua expulisti gentes, & plantasti eas contriuisti: populos: & propagasti eos.

3 Nec enim gladio suo adepti sunt terram, neque brachium ipsorum eos seruauit: sed dextera tua & brachium tuum & lumen vultus tui: quia benevolus fuisti erga nos.

4 Tu ipse rex meus es Deus, præcipe salutes Iacob.

5 Per te aduersarios nostros cornu petebamus: nomine tuo freti conculcabamus insurgentes contra nos.

6 *Et enim neque arcu nostro freti neq; gladio, sumus tot victorias consequuti.*

7 *Sed tu ipse nos ab hostibus nostris liberasti, & eos pudefecisti.*

8 *Et nos quotidie te Deum propterea laudamus, & hac immensa tua beneficia praedicamus*

9 *At enim, Deus, quanam hac est rerum vicissitudo & repentina mutatio? Nunc enim nos repulisti qui nos tuebaris nūc pudefecisti nos qui prius hostes ignominia opplebas: nunc deseris nos qui antea copiis nostris praibas.*

10 *Inde factum est vt qui toties fugientem hostem sub nos,*

11 *duce, persequuntur, terga persequentibus dederimus: & eorum praedae ac libidini fuerimus expositi.*

Praebes nos igitur illis haud secus quàm oues deuorandos, & nos in seruitutem tractos isti inter se dispertiuntur.

12 *Sic populum illum tuum vilissimo pretio, & absque licitatione emptoribus addictum venundedisti.*

13 *Sic vicinis nostris occasionem nobis insultandi praebuisti: ita vt vndiquaque nihil praeter ludibria & contumelias eorum populorum audiamus, qui nos circumstant.*

14 *Sumus denique cunctis fabu-*

6 Non enim in arcu meo speram, nec gladius meus seruauit me.

7 Certè seruasti nos ab hostibus nostris: & osores nostros pudefecisti.

8 Itaque Deum laudamus quotidie: & nomen tuum perpetuò celebramus.

9 At nunc repulisti & ignominia affecisti nos: nec egrederis cum exercitibus nostris.

10 Conuertisti nos retrorsum ab affligente: & osores nostri diripuerunt nos sibi.

11 Prebes nos *illis* cibum tanquam oues, & inter gentes dispersisti nos.

12 Vendidisti populum tuum nec inde *creuerunt tibi* opes neque auctioni addixisti pretia eorum.

13 Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, ludibrium & subsannationem his, qui circum nos sunt.

14 Posuisti nos prouerbium inter

la, & à prophanis populis caput per ludibrium agitantibus deridemur.

inter gentes, agitationem capitis inter populos.

15 *Neque id semel accidit, sed nullus dies præterit quo non ista cernentes vix oculos pudore suffusos attollamus.*

15 Quotidie opprobriũ meũ coram me *est*: & opprobrium vultus mei obtegit me.

16 *Hinc quidem ingeminatis opprobrijs & conuicijs, inde verò hostibus sauissimis nobis imminentibus.*

16 Propter exprobrantes & conuiciantes, propter aduersarios vindictæ auidos.

17 *Et tamen tot tantisq; calamitatibus perculsi, nõ sumus tui immemores, neq; tuo nobiscũ inito fœderi renuntiauimus.*

17 Totum hoc euenit nobis: & *tamen* non obliti sumus tui, nec perfidè egimus in fœdere tuo.

18 *Amorem & studium tui alio non transtulimus: neque nos vlla vis à cultu quem nobis præscripsisti abduxit.*

18 Non deflexit retro cor nostrum: nec declinauit gressus noster à semita tua:

19 *Quãuis velut in deserta draconibus oppleta nos abieceris, & quasi ipsa mortis vmbra obrueris.*

19 Licet contriueris nos in loco draconum: & operueris nos vmbra mortis.

20 *Quòd si sese res aliter habet, & tui nominis obliti, Deus noster, peregrino & fictitio cuipiã numini supplices fuisse deprehendimur:*

20 Si obliti sumus nomẽ Dei nostri: & expandimus manus nostras ad Deum alienum,

21 *Tu Deus qui penetralia ipsius cordis intueris, age, huius sceleris rationem à nobis reposcito.*

21 Nõne Deus requiret hoc? nam ipse nouit arcana cordis.

22 *Tua igitur vnius causa quotidie cadimur, nec alio loco sumus quàm oues à lanijs mactationi destinata.*

22 Certè propter te occidimur quotidie: æstimati sumus tanquam oues mactationi destinatæ.

23 *Age, igitur, Domine, excitare tandem: & quinam factum dicemus vt in tuorum tanta calamitate quasi som-*

23 Excitare: quare obdormis Domine? expergiscere, ne repellas nos perpetuò.

no ſepultus videare? expergiſcere, inquam, neque nos perpetuò repelle.

24 *Téne verò faciem à nobis qui tui ſumus auertere? téne noſtræ huius miſeriæ & oppreſſionis rationem non habere?*

25 *Humi profectò proſtrati ſumus pœnitere calamitatum oppreſſi, & proni terræ adhæremus affixi.*

26 *Prodi igitur nobis opem laturus, & promiſericordia ſingulari tua nos redime.*

24 Quare faciem tuam abſcondis, obliuiſceris afflictionis noſtræ & oppreſſionis noſtræ?

25 Nam incuruata eſt vſque ad puluerem anima noſtra: adhæſit terræ venter noſter.

26 Surge ad auxiliũ *ferendum* nobis & redime nos propter miſericordiam tuam.

Idem Pſalmus quadrageſimus quartus monocolos carmine heroïco, vt octauus.

1 *ET fama, & noſtris audiuimus auribus olim*
Narrantes atauos ſeclis patrata vetuſtis,
2 *Ipſe tua cum tot populos, fortiſſimè, dextra*
Protereres, quorum deinceps vrbéſque ſolúmque
Donaſti patribus, venturiſq́, ordine natis.
3 *Nam ſua non illis peperêre hanc arma quietem,*
Nec ſua tam multis exemit dextra periclis:
Sed tua ſumme Deus, vis, & manus vna, tuiq́,
Cœlitus affulgens radiantis gratia vultus.
4 *Sic tibi nempe, Deus, placuit, ter maxime, prolem*
(Atque vtinam ſemper placeat) ſeruare Iacobi,
5 *Te duce terribiles cornu detruſimus olim,*
Et pede proſtratos vltrò calcauimus hoſtes.
6 *Non etenim hæc arcus, non enſis gloria noſtri:*
7 *Quin tu nos vnus ſeruaſti, terga coactis*
Infami præbere fuga, quos ante ſuperbis

Vidimus

Vidimus infestos animis nos tendere contra.
8 *Et nos istorum memores Deus optime, grates*
Ecce tibi grato assiduè persoluimus ore:
9 *At tu nos oblitus abes, probrisq; relinquis*
Expositos, neque nunc nostra anteis agmina ductor:
10 *Terga damus victi: calcatos diripit hostis:*
11.12. *Quietiam vorat vt pecudes: totóque vagamur,*
Pro nihilo addicti dominis emptoribus, orbe.
13 *Insultant miseris vicini hinc inde procaces,*
14 *Et probra ingeminant: populis sumus vndique cunctis*
Fabula: non capitis motus, non cætera desunt
15 *Facta palàm nobis ludibria: tollere vultus*
16 *Ipse pudor prohibet: probris circunsonat æther*
Assiduè, & sæui truculentis vocibus hostis.
17 *Sors nostra hæc igitur, sed enim te mente repostum*
AEternumq; tuum fœdus seruauimus alta:
18 *Et stetit hic conflans animus, iussum vsque sequutus*
19 *Semper iter: sæuos quanquam immanesq; dracones*
Et tenebras inter mortis versemur opacas.
20 *Hæc si falsa, tuique obliti numinis, vllas*
Ore manúue preces falsis profundimus vllis
21 *Numinibus, Deus ô, penetralia pectoris imi*
Cui secreta patent, periurum vlcisere pectus.
22 *Te propter populi, sæuique odêre tyranni:*
Vno mille die subeundæ denique mortes,
Lanius vt placidas sueuit iugulare bidentes.
23 *Ah Deus euigila, Deus expergiscere tandem,*
24 *Quorsum etenim somnos: quorsum miseroq; inopesq;*
25 *Vultu despicias auerso? ah, Optime rerum,*
Deiectos animis, prostratos corpore toto,
26 *Ipsiq; affixos terræ, & te voce vocantes,*
Exurgens vindex audi, & seruato benignus.

Psalmus quadrageſimus quintus,

διδακτικός.

Argumentum & vſus Pſalmi quadrageſimi quinti.

Totus hic Pſalmus merè eſt allegoricus & eiuſdem prorſus argumenti atque canticum canticorum: neque ijs aſſentiri poſſum qui ἐπιθαλάμιον eſſe putant, id eſt, nuptiale carmen Solomonis & filiæ, Pharaonis. Præterquàm enim quòd inſcriptio Hebraica id non prætermiſſura fuerat, video matrimonium illud diſertè, & meritò quidem, damnari à Spiritu ſancto, 1. Reg. 11. vt perabſurdum mihi videatur id exiſtimare fuiſſe tantæ rei typum. Deſcribitur autem in eo diuiniſſimè ſpiritualis illa copulatio Chriſti, & Eccleſiæ, allegoria à matrimoniis communibus ſumpta, quam ſæpe poſtea illuſtrarunt Prophetæ, & Paulus ipſe Rom. 7. 2. Cor. 11. & Epheſ. 5. Sed obſeruandum eſt ſicut in coniugiis humanis primùm ſponſalia contrahuntur, deinde nuptiæ celebrantur: ſic Chriſtum ſponſum Eccleſiæ, conſiderari in duplici quodammodo ſtatu, nempe infirmitatis quam poſſumus cum ſponſalibus comparare, & gloriæ quàm à reſurrectione adeptus eſt, verus nunc & glorioſus Eccleſiæ, etiam aliquatenus in terris adhuc hærentis, maritus: in hoc autem Pſalmo proponi vt glorioſum & qui nuptias ipſas nobiſcum inierit. Chriſtus igitur eſt Rex ille Eccleſiæ maritus, quo certè nihil eſt pulchrius, vt qui omni labe careat. Quæ ſit autem eius ſuadelæ, vis non tantum in alliciendis ſed etiam in mutandis hominum animis apparet ex Euangelij prædicatione ac virtute inenarrabili. Idem quatenus homo, accepit ſpiritum non ad menſuram, ſed quam abundantiſſimè, adeò vt in omnes Sanctos redundet. Additur ei gladius quem non oſtentet velut εἴδωλον ſed quem etiam diſtringat, illum nimirum penetrantem ad diuiſionem animæ & ſpiritus. Itemq; ſagittis eſt munitus quibus hoſtes omnes ſuos trãſfigit vnde ſumma laus ei & præſtantia tum in ſeruandis ſuis tum in frangendis ſuperbis optimo iurè debetur. Itaque inducitur poſteà quaſi tribus equis inuectus, Veritate videlicet Manſuetudine, & Iuſtitia, quæ à Verbo tanquam auriga regantur: cui diuiniſſimæ allegoriæ explicandæ pro rei grauitate ac dignitate, integro volumine opus eſſet. Verùm ex antitheſi poteſt hoc ſummatim intelligi ſi quis videlicet cõſideret quibus

bus contrà consueuerint non equis sed truculentissimis bestiis inuehi Reges ac principes spiritui contrario obsequentes, videlicet ambitione, fastu, ferocia, crudelitate, luxu, & horrenda subiectorum oppressione: & valde obseruandum est quod adiicitur, nempe vtcumque mundus hoc iustissimum simul & moderatissimum Imperium detrectet, Regem tamen iustum prosperè omnia gerere. Et quò magis illi obsistitur, eò magis potentiam suam ostendere, tum in illa suorum tam iusta tamque secura defensione, tum in hostibus suis diuina virtute intus lethaliter vulneratis: quum eos videlicet in reprobum sensum tradit, vt sint suæ ipsorum perniciei organa. Hæc autem omnia etsi quotidie accidunt, Rege isto omnes suos electos tutante ne quis ex iis pereat, & hostes suorum prout libuit vlciscente: tamen insigniter apparuit in ipso istarum nuptiarum re ipsa celebratarum initio, quod hic innui videtur, quum de ingrata Synagoga horribiles pœnas sumpsit quæ etiam hodie perseuerant, seruatis tamen electorum reliquiis, peculiari quadam erga genus Abrahæ, tam rebelle, misericordia. Hac autem parta victoria rex iste in suo solio collocatur quod æternum esse dicitur, vt significetur ex hoc mundo non esse. non modo quoniam, vt inquit Solomon Iustitia stabilit thronum Regis, sed quia Rex iste simul verus & æternus Deus, & verus est Dauidis filius secundum carnem, cui etiam quatenus homo est, omnis in cœlo & in terra potestas data est suprà omne nomen collocato, sicut citatur iste versiculus. Hæb. 1. 8. vt neque plures sint Reges (quum vnica vxor plures non possit habere maritos) neque rursum ipse sic Deus esse intelligatur, vt non sit homo (quoniam alioqui non esset conueniens huius Ecclesiæ quæ ex hominibus constat maritus) neque sic homo, vt non sit Deus verus & æternus quoniam alioqui satis potentem maritum Ecclesia non haberet. Subiicitur posteà istius Regni, Ecclesiæ videlicet sanctissima gubernatio. Nam sola Ecclesia regitur vera iustissimæ moderationis in singulis publicis ac priuatis vocationibus norma, quum ibi demum regnet Spiritus Dei iudicium piorum informans, & eorum affectus gubernans. Huius autem dicti ratio quæ adiicitur maximi est ponderis quod videlicet Rex iste, tum quod ad ipsam personâ tum quod ad diuina dona attinet, sit vnctus præ consortibus suis, id est ex reliquorum Regum numero eximendus. Nam præstantissimi quoq; Reges

& ipſe quoq; Dauid multis magníſque vitiis laborauit, in hoc autem Rege nihil prorſus deſiderari poteſt. Quæ denique de ipſius pretioſiſſimo veſtitu dicuntur, pertinent partim ad illam Patris ipſius vocem ἐν ᾧ εὐδόκησα, qua ſignificatur noſtri Immanuelis tum perſonali integritate tum obedientia vſque ad mortem crucis fragrantiſſimo odore Patrem nobis fuiſſe reconciliatum: partim verò ad illud Apoſtoli dictum. 2. Cor. 2. 14. Chriſti bona fragrantia ſimus, vt qui ſit nobis factus ſapientia, iuſtificatio, ſanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1 30. idque ex tabernaculis eburneis, celeſti videlicet ſede ex qua nos reſpicit, & hæc omnia, immo etiam ſeipſum, in nos quodammodo inſtillat.

Hanc mariti Regis deſcriptionem ſequitur Eccleſiæ coniugis ipſius, & regiarum nuptiarum abſolutiſſima deſcriptio, in qua adiunguntur Iſraelitis ſanctis (qui Reginæ perſonam ſuſtinent) aliæ, filiæ & ipſæ Regum eius comites, quæ omnes vni marito addictæ ſuſtinent quidem vnicæ catholicæ Eccleſiæ perſonam, ſed tamen ab illa tanquam Principe vxore diſtinguuntur: quoniam videlicet Sanctorum Iudæorum, Prophetarum & Apoſtolorum ac cæterorum naturalium ramorum priores ſunt partes, à quibus etiam in illum Regis thalamum ſumus perducti, cuius auro ac ſplendore ipſi quoque refulgemus. Sed illud in primis obſeruandum eſt quòd hæc omnia ornamenta iſtæ Reginæ non ex ſuis κτηματίοις dicuntur deſumpſiſſe, ſed à Rege ipſo accepiſſe, vt omnia illius benignitati accepta ferantur qui nuditatem noſtram texerit, ac proinde veram illam demum catholicam habendam Eccleſiam quæ ſola Chriſti iuſtitia gratis imputata incedat cum ſuis comitibus coronata: quanquam iuſtitiam illam, altera quoque conſequatur in nobis inchoata, & filios lucis à filijs tenebrarum diſtinguens, quod ſimili allegoria adumbratur ab ipſo Chriſto Math. 22.

His expoſitis quibus vniuerſa penè ſalutis noſtræ myſteria continentur, conuertit ſermonem Propheta ad ipſam Eccleſiam vel ſingula potius eius membra, adhortans illam vt magis ac magis ſeſe approbare ſtudeat marito à quo tantopere diligatur: ſimulque oſtendit quânam id ratione ſit conſecutura: nempe ſi illum diligenter audiens (eſt enim fides ex auditu ſine qua placere Deo nequimus) & ad illum conuerſa, (id eſt, ipſius voluntatem in legis ſpeculo aſſiduè intuens)

intuens) omnes corruptelas tum ſibi ingenitas, tum à maioribus acceptas, tum longa conſuetudine confirmatas, abiiciat, vt vni huic marito tamquam capiti ac Domino magis ac magis diſcat obtemperare. Subiicitur adhortatio prima illa naſcentis in Iudea Eccleſię chriſtianæ incunabula reſpiciens. Tum enim quàm tenuis, egens, & calamitoſa fuerit Eccleſia ſecundum carnem, nempe centum viginti capitum duntaxat, & ex pauperculis conſtans, ex hiſtoria ipſa cognoſci poteſt. Illam igitur ſolatur, prædicens fore vt tandem ipſi quoq; Tyrij (quo nomine gentes, & quidem comprehenſis ipſis quoq; magnatibus intelligit) ſeſe illis adiungant: ſed ita vt admoneat omnem illum ſplendorem de quo egerat, & qui ſit omnibus quantumuis prętioſis ornamentis reginarum omnium infinitè excellentior, internum eſſe, ac nunc quidem carnis oculis non patêre, ſed tamen ſuo tempore, in Regina & toto ipſius gynæceo tam ſplẽdidum appariturum vt omnium captum ſuperet: tunc videlicet quum Chriſto, vt ait Apoſtolus, occurremus, & perpetuò cum ipſo erimus, palatium eius ingreſſi. Sed quid, inquies, fiet interea? nempe gignet hæc Regina filios ſuo marito, eóſque omnes inſtar maiorum illorum ſuorum, cuiuſmodi veteres illi Patriarchæ fuerunt, eximios, & per orbem terrarum veros Reges domitis videlicet Satana, peccato, & morte, ac ſe ipſis, regnaturos. Ex quibus efficitur ſempiternum hoc coniugium futurum.

Eiuſdem Pſalmi quadrageſimiquinti.

PARAPHRASIS.

1 *AEſtuat animus vſque adeò vt erũpere ſit prorſus neceſſe quod intus accepit, magnificum videlicet de Rege & quidẽ ipſi Regi conſecratum carmen, idque tãto cum ardore, vt nullus calamus videatur loquentis vocem aſſequuturus.*

2 *Tu certè pulcherrimus es hominum, & ineſt labellis tuis facundia & ſuadela incompa-*

INTERPRETATIO.

1 EBullit cor meum, verbum bonum: dixi ego, opera mea ad regem ſpectant: lingua mea *erit* calamus ſcribæ velocis.

2 Pulcher es præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: eo quod bene-

rabilis. Deus enim te præ cæteris quàm benignissimè donis istis omnibus, & quidem nũquam tibi auferendis exornauit.

3 Prodi agedũ gladio illo tuo accinctus, heros fortissime, & decus illud tuum maiestatis plenum conspiciendum præbe.

4 Prodi, inquàm, prosperrimè gesturus omnia, triumphali curru inuectus, Verbo quidem ceu auriga illum regẽte, quem Veritas, Mãsuetudo, & iustitia trahant: O quam magna & quàm admiranda viribus istis confecturum te video.

5 Nec enim defuturi sunt, ô Rex, qui tibi obsistant. Sed te vicissim armatũ sagittis præacutis conspicio, quibus hostium pectora transfodias, atque adeò populos totos disijcias.

6 Solium enim tuum, Deus, ipsa etiam perennitate perennius est: & vt nihil est tuo imperio firmius, ita tibi sceptrum est ipsa rectitudo.

7 Amas enim iustitiam, & quicquid ei aduersatur odisti. Nam, ô Deus Rex ille noster, omnẽ in te benignitatem effudit Deus verè tuus, vt nemo sit hominum qui comparari tecum possit.

8 Extrinsecus verò te ex palatijs eburneis prodeunte sese suauissimus odor effundit vestium tuarum, quibus nihil

dixit tibi Deus in æternum.

3 Accingere gladio tuo super femur, ô heros: decore & gloria.

4 Et decore tuo prosperè age: equita super verbum veritatis & mansuetudinis & iustitiæ: docebit te terribilia dextera tua.

5 Sagittæ tuæ *sunt* acutæ, populi sub te cadent: in cor inimicorũ huius regis *cadent*.

6 Solium tuum, Deus, *stabit* in seculum: virga *sceptrum* rectitudinis sceptrum regni tui.

7 Diligis iustitiam & odio habes iniquitatem, quoniã vnxit te, Deus, Deus tuus oleo exhilarationis, præ participibus tuis.

8 Myrrha & aloë, Casia *sunt* omnia vestimenta tua, ex palatiis tuis eburneis *deprompta* vnde tibi gratu-

lentur

fragrantius esse possit: ideoq; certatim omnes ad te gratulabundi concurrunt.

9 *Adsunt & filiæ regum tuis muneribus ornatæ, inter quas adstat tibi ad dexteram assidens Regina, coronam ex auro obryzo gestans.*

10 *Audi igitur filia, considera diligenter cui marito sis adiuncta, disce ex illo ipso quid ex te requirat, tuæ gentis, ac paterna domus, cæterorum denique oblita, quum in potestatem & familiam huius mariti transieris.*

11 *Sic futurum est vt illi magis ac magis gratiosa euadas: cui vni vt Domino tuo subyciaris oportet.*

12 *Eris autem vicissim peregrinis etiam populis venerabilis, quorum opulentissimi quique te reuerenti amicitiam tuam expetent.*

13 *Sed intus in primis & apud maritum ornatissima sedebis, tota vestibus auro inter textis amicta.*

14 *Tali igitur tãq; pretioso habitu exornata Regi sisteris, virginibus socijs tecũ ad Regem pergentibus comitata.*

15 *Donec vnà omnes maxima cum lætitia & applausu palatium ingrediamini.*

16 *Hic filios quos marito pepereris, videbis florẽtes, nec clarissimis illis maioribus tuis inferiores, per orbis terrarum*

lentur *omnes.*

9 Filiæ regum adsunt *ornata* tuo mundo: adstat coniux ad dexteram tuam auro Ophir *coronata.*

10 Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui & domus patris tui.

11 Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam hic *est* Dominus tuus, & adorabis eum.

12 Filiæ autem Tyri, ditissimi quique, cum munere vultum tuum deprecabuntur.

13 Tota glorioſa *est* filia regis intrinsecus: & vestibus auro intertextis indumentum eius.

14 Cum vestibus acu pictis adducetur Regi: virgines post eam sociæ eius, adducentur tibi.

15 Adducentur in lætitijs & exultatione: ingredientur palatium regis.

16 Pro patribus tuis erunt filij tui: constitues eos principes in vniuersa terra.

prouincias regnaturos.

17 *Tuum igitur nomen, ô Rex, perpetuũ atatibus commemorabo, & mecum tibi populi, nullũ vnquam seculis desituras laudes canent.*

17 Celebre reddam nomen tuum in omni generatione & generatione: propterea populi confitebuntur tibi in seculũ & perpetuò.

Idem Psalmus quadrageſimuſquintus monocolos, carmine heroïco vt decimuſquintus.

1 *EN grauido ebullit tractatum pectore carmen,*
Rex, tibi ſacratæ laudes: Tu ſcribæ citatæ
Fac calamus linguæ properantia verba ſequatur.
2 *Huc ades ô hominum pulcherrime, cuius mandans*
Inſedit penitus mellitis ſuada labellis,
Quem beat æternis Patris indulgentia donis.
3 *Prodi agedum, ferro accinctus, fortiſſime regum,*
Ore decus toto oſtentans, quem gloria totum
Cingit, & æterno exornat ſplendore coruſcum.
4 *Te curru aurato Verum Iuſtumq́, ſedentem*
Ecce vehunt: trahit alma tuas Clementia bigas:
5 *Nec te impune tamen quiſquam deriſerit hoſtis,*
Quin te terribilem potius vultuq́, manuq́,
Sentiet ima tuis tranſfixus corda ſagittis,
Et populos magna calcabis ſtrage ſuperbos.
6 *Quinetiam æternum ſolium tibi contigit iſtud,*
O Deus, ô recto ſceptrum moderamine tractans,
7 *Iuris amans, ſcelerumq́, hoſtis. Te ſcilicet vnxit*
Præ ſocijs Deus ille tuus, Deus omnibus vnum.
8 *Prodi age, teq́, procul thalamo dum egreſſus eburno*
Gratantum voces inter procedis euntem
Myrrhæ, aloes, caſiæ prodant fragrantis odores.
9 *Ecce tibi regum natæ famulantur ouantes,*

Quas

Quas inter coniux longè pulcherrima cunctas,
Ad dextram resident, gemmis auroq; coruscans.
10 *At tu audi virgo, vide & audi singula: nanque*
Et patria, & domus est tibi dediscenda parentum.
11 *Tu nostri nunc Regis amor, quem casta maritum*
12 *Ac dominum venerêre. Tibi sua munera diues*
Ecce Tyros diteſq; ferunt ad limina quîque,
Reginæ vultus auidi ſpectare beatos.
13 *Nec modo tu ſpecioſa foris. Pars maxima longè*
Intus opum decoriſq; tui. Hîc tot regibus ipſa
Nata atauis Regina, auro gemmiſq; rigentem
14 *Pallam induta ſedes: hinc vultus regis ad ipſos,*
Arte laborato ſplendens velamine tota,
Progrederis, Dominam comites quam mille ſequutæ,
Hinc atque hinc circum effuſæ glomerantur euntem.
Lætitia feſtoq; ſonant latè omnia plauſu,
15 *Teq; tuaſq; ſimul donec ſublimia tandem*
Obuius excipiat Rex intra tecta receptas.
16 *Hinc tibi progenies, ô Rex, naſcetur auorum*
Quæ genus & mores referat: ſurgentq; nepotes
Quos mundus reges deinceps ſubiectus adoret.
17 *Sic te perpetuis dicam, Rex inclyte, ſeclis,*
Teque omnes mecum memorabunt vndique gentes

Pſalmus quadrageſimus ſextus ἐπινίκιος.

Argumentum & vſus Pſalmi quadrageſimi ſexti.

Hunc Pſalmum, vt & quadrageſimum ſeptimum, arbitror à Dauide aut filiis Coræ ſcriptum poſt maximas illas victorias de plurimis ac potentiſſimis hoſtibus reportatas, quarum ſit mentio. 2. Sam. 8. Proponuntur autem nobis in hoc ἐπινίκιο carmine duæ præcipuæ huiuſmodi victoriarum vtilitates, vna quòd Dei gloria ſic amplificetur, cuius ſtudio ſancti multò magis quàm ſuis vllis commodis afficiuntur: altera,

quòd ita reipſa liqueat Eccleſiam ſolam eſſe in tuto, licet à Satana & mundo acerrimè oppugnatam, omnique humano præſidio deſtitutam: id quod Propheta miris verborum figuris additis illuſtrat: adiecta quoque de gentium vocatione Prophetia.

Eiuſdem Pſalmi quadrageſimi ſexti.

PARAPHRASIS.

1 *DEum eſſe nobis præſidiũ & robur reipſa ſumus ſatiũ ſuperq́, in periculis noſtris experti.*

2 *Itaque ne ſiquidem tera à fundamentis conuellatur, & montes in mediũ mare transferantur, quicquam metuemus.*

3 *Vt, inquam, omnes aquarum procellæ horribili cum boatu circumſonent, & mõtes ipſos elata concutiant.*

4 *Intereà ciuitas Dei, quã Altiſſimus ille ſibi pro domicilio conſecrauit, tuta & lenibus illis ac ſuauiſſimis ſuis riuulis refocillata conquieſcit.*

5 *Quũ enim Deus ipſe in ea reſideat, quinam poſſit euerti? imò quoties opus erit, cũ prima luce euigilans, illi ſtatim auxilium feret.*

6 *Ecce gentes vndique tumultuata ſunt, & regna paſſim aduerſum nos bellum comparãt. Quum primum autem ille vocem edidit, omnis illorum ferocia, quamuis terram multitudine ſua complerent, animis pra pauore quaſi col-*

INTERPRETATIO.

1 DEus nobis eſt tu tamẽ & robur, *in quo* auxilium in afflictionibus inuenimus abundè.

2 Propterea non timebimus quum mouebitur terra: & concident montes in medio mari.

3 Et perſonent & turbentur aquæ eius, & concutiantur montes ab eius procellis.

4 Fluminis riuuli exhilarabunt ciuitatem Dei ſanctuarium tabernaculorum Dei excelſi.

5 Deus in medio eius *eſt, ita que* non mouebitur: opitulabitur *enim* ei Deus apparente aurora.

6 Tumultuatæ ſunt gentes, mota ſunt regna: *ſimulatq́* edidit vocem ſuam, liquefacta eſt terra.

7 Iehoua

lantitis conoidit.

7 *Etenim Iehoua ille longè aliis exercitibus imperans, nobiscum est: Deus, inquam, ille Iacobi noſtrum eſt propugnaculum.*

8 *Adeſte, quaſo ſi qui hac de re ambigitis, aut iſta negligẽter animaduertitis, & mecum Iehoua res geſtas conſiderate: qua nunc ſit videlicet illarum regionum vaſtitas & ſolitudo, qua ſeſe aduerſum nos tantopere commouerint.*

9 *Videte quàm repente bellici tumultus iſti vndique deſierint, ſpectate vt arcus confregerit, haſtas conciderit, currus ipſos igne concremarit.*

10 *Iehouam ipſum denique iſto propoſito ſpectaculo ſic hoſtes veſtros compellantem audite.*

Omittite tandem iſta, inſani homines, & ex veſtris ſaltem malis diſcite me Deum eſſe, quem per populi mei latus petiſtis, & cuius nomen abolere fruſtrà ſtudetis. Tantum enim abeſt vt id perficere poſſitis, vt è contrario ſim aliquando longè late q. per orbis terrarum fines gloriam meam propagaturus.

11 *Denique ſit hoc apud nos cõſtitutum, Iehouam illum innumerabilibus fortiſſimiſque copijs inſtructũ ærnoſtris partibus ſtare: propugnaculum denique tutiſſimum noſtrum eſſe illum Iacobi Deum.*

7 Iehoua exercituum *Deus* nobiſcũ: *eſt* arx nobis Deus Iacob.

8 Venite, conſiderate opera Iehouæ: quas poſuerit vaſtitates in terra.

9 Ceſſare fecit prælia vſque ad extremum terræ: confregit arcus, & concidit haſtas, currus exuſſit igni.

10 *Et* quieſcite *inquit* ac cognoſcite quòd ego ſum Deus, *qui* exaltabor inter gentes, exaltabor *inquam* in terra.

11 Iehoua exercituum *Deus* nobiſcum *eſt*: arx *eſt* nobis Deus Iacob.

Idem Psalmus quadragesimus sextus dicolos distrophos, vt primus.

1 NObis Deus refugium, & expertum omnibus
Tutamen in periculis,
2 Vt ergo ab imis terra situbet sedibus:
Mundiq; moles concidat,
Ipsumq; montes in mare euulsi ruant,
Secura turba stabimus.
3 Nanque ipsa sydera vt tonans mare verberet,
Et montium quatiat iuga,
4 Suis rigata perfruetur riuulis,
Dei beata ciuitas,
Stabuntq; summo immota rupibus suis
Sacrata templa numini.
5 Perstabit, inquam, tuta numinis incolæ
Potente ciuitas manu,
Deumque primo à Solis ortu sentiet
Adesse præsidem sibi.
6 Viden' feroces gentium vt se copiæ,
Vt regna cuncta mouerant?
At ille simulac voce sonuit, illa vis
Liquefacta tota corruit.
7 Nanque ille totus noster est, nostra hic salus,
Deus Iacobi præpotens.
8 Adeste quæso, & ista spatio tam breui
Peracta tanta cernite.
9 Videte cunctis terra vt hostibus vacet,
Bella vt momento cesserint.
En tela fracta, en arma neglecta vi iacent,
Et flamma currus deuorat,
10 Ergo, inquit ille, iam quiescite domiti,

Et

Et me Deus fatemini,
Quamuis remotis imperantem gentibus
Finêsque terræ ad vltimos.
11 *AEternus ille noſter eſt, noſtra hîc ſalus*
Deus Iacobi præpotens.

Pſalmus quadrageſimus ſeptimus

ἐγκωμιαστικός

Argumentum & vſus Pſalmi quadrageſimi ſeptimi.

Mihi omnino videtur contextus ipſe, ac preſertim verſiculus quintus huius Pſalmi, manifeſtè demonſtare ſcriptum fuiſſe hoc carmen à Dauide, ardentiſſimi zeli pleno, & à Coriis decantatum in illa magnificentiſſima pompa qua arcam Domini tandem in ciuitatem à ſe cognominatam introduxit, quæ longè pulcherima hiſtoria deſcribitur. 2. Sam. 6. & 1. Cronic. 15. Docet autem hic veluti κεφαλαιῶδες λόγος, quatuor præcipua, nempe quàm ardenti zelo gloriam Dei quærere teneamur, quàm ſollicitos Principes præſertim eſſe oporteat publici ſacri miniſterii ſtabiliendi ac amplificandi: quantum ſit inter populum à Deo ſelectum & reliquas gentes diſcrimen, à ſola Dei miſericordia profectum: ac demum gentes quoque cæteras tantæ huius beneficentiæ tandem fore participes. Ex illis quatuor, nullum eſt quod ad nos quoque impleta tandem iſta Prophetia & Chriſto ipſo iam ad nos ingreſſo, non multò etiam magis quàm ad veterem populum pertineat.

Eiuſdem Pſalmi quadrageſimi ſeptimi

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *OMnes vndique aggregate vos populi plauſu & lætitia maxima vocibus Deum celebrate*	1 OMnes populi plaudite Deo vocibus exultationis.
2 *Hic enim ille eſt Iehoua, non ipſe arcâ inclusus, vt qui ſit ipſis cœlis ſublimior: ſed tamen præſentia ac beneficentia*	2 Quoniam Iehoua excelſus terribilis, & Rex magnus eſt ſuper omnem terram.

ſuæ teſtimonium iſtud nobis ob oculos præbens. Hic, inquam, Rex eſt, ſeſe aduerſus hoſtes ſuos terribilem oſtendens, hic eſt vniuerſæ terræ Dominus.

3 *Hic eſt qui populos nobis adiunctos in ordinem redigit, quibus præficiemur.*

3 Hic in ordinem redegit populos ſub nobis: & gentes ſub pedibus noſtris.

4 *Hic eſt qui nobis illam præſtantiſſimam hæreditatem attribuit: quo auctore gloriari de noſtra dignitate ac præſtantia merito poſſumus, idq; ſingulari ipſius beneficio, nec aliam ob cauſam, quàm quòd illi viſum eſt ſuo nos amore complecti.*

4 Selegit nobis hæreditatẽ noſtram: gloriam Iacob quem dilexit.

5 *Ecce aſcendit ad ſacrum ſuũ montem Deus cum iubilo, aduentat Iehoua concrepantibus tubis.*

5 Aſcendit Deus cum iubilo, Iehoua cum voce tubæ.

6 *Pſallite Deo, pſallite, pſallite regi noſtro, pſallite.*

6 Pſallite Deo, pſallite pſallite regi noſtro, pſallite.

7 *Nam hic longè maximus Rex eſt & totius orbis monarcha, pſallite omnes canendi periti.*

7 Nam Rex *eſt* vniuerſæ terræ Deus: pſallite intelligentium vnuſquiſque.

8 *Deum, inquam, celebrate, non gentis noſtræ duntaxat ſed omnium populorum regem, in ſancto ſuo throno conſidentem.*

8 Regnat Deus ſuper gentes, Deus ſedet ſuper ſolium ſanctitatis ſuæ.

9 *Nam ipſi populorum Rectores ſeſe populo Dei Abrahæ ſummittent. Hic enim eſt propriè vniuerſi terrarum orbis dominator & conſeruator, quibuſuis poteſtatibus longè ſublimior.*

9 Principes populorum aggregati ſunt populo Dei Abrahæ, quia Dei *ſunt* clypei terræ: & valde exaltatus eſt.

Idem

Idem Psalmus quadragesimus septimus, monocolos carmine anapæstico tetrametro acatalectico.

⏑– ⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑–
–⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑
–– –– –– ––

1 PLaudite populi celsa sonoris
Hilares astra lacessite cantibus:
2 Hic sedet arduus ardua cœli
Supra culmina terribilis Deus:
Mundi spatijs dominans vltimis.
3 Nostrum hic populos adigit sub iugum,
Quorum nos pede colla subigimus.
4 Hic est munere cuius opima,
Isacidûm nos chara propago,
Nobis seposita hæc colimus sola,
5 Ecce Deus adest, nuntiat hoc melos:
Ecce Deus adest, nuntiat hoc tuba.
6 Superûm patri psallite, psallite,
Nostro psallite, psallite Regi.
7 Nanque imperium totius hic sibi
Solus meritò vindicat orbis:
Et tu quisquis es, entheus ô cui
Calor exarsit corde sub intimo,
Huic noua dicito carmina vates.
8 Hic sacro sibi solio residens
Totum hunc domitum temperat orbem.
9 Illum populi, proceres illum
Iuncti Abramidis Dominum norunt.
Ille vicissim centuplicem manu
Gestans clypeum, celsior ipso

Cæli vertice, cuncta gubernat.

Psalmus quadrageſimus octauus.

ἐπινίκιος.

Argumentum & vſus Pſalmi quadrageſimi octaui.

Idem eſt argumentum huius Pſalmi atque quadrageſimi ſexti, quamuis multò poſt temporibus, vt videtur, Ioſaphati ſcriptus videatur, & ad hiſtoriam referendus quæ deſcribitur paralipo. 20. Additur itaque laus ciuitatis Ieroſolymorum, typi videlicet Eccleſiæ, à ſitus amœnitate, & mœnium ac propugnaculorum firmitate, quibus tamen non dicit Propheta niti ipſius conſeruationem, ſed vno Deo ipſius ciuitatis dominatore, vt intelligamus Eccleſiam eodem vnico præſidio tutam eſſe: quamuis, quoties ſic Deo videtur, ne humanis quidem armis ἀμυντηρίοις deſtituatur.

Eiuſdem Pſalmi quadrageſimi octaui.

PARAPHRASIS

Canticum Pſalmi filijs Corah.

1 *Magnum quidem & omni laude dignißimum vbique ſe præbet Iehoua, ſed hoc præcipuè in illa ipſius ciuitate, qua illũ pro Deo ſuo agnoſcit & colit, in mõte ſancto, inquam, conſpicitur.*

2 *Hic enim ille eſt mons Sionis, ſitu amœniſſimus, Aquilonem reſpiciens, ornamentum & gaudium vniuerſa terra, magni Regis ciuitas.*

3 *Nam ibi demum vt in palatio ſuo Deus reſidet: & ibi viciſſim vt vnicum ipſius præſidium agnoſcitur.*

4 *Neque verò longiùs nobis petenda eſt eius rei certiſſima probatio. Ecce enim conſociati*

INTERPRETATIO.

1 Magnus Iehoua & laudabilis valde in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.

2 Pulcher ſitu, gaudium totius terræ *eſt* mons Sion, ad latera Aquilonis: ciuitas regis magni.

3 Deus *eſt* in palatiis eius: & agnoſcitur pro arce.

4 Quia ecce Reges conuenerant & tranſierant ſimul.

5 Ipſi

Reges illam erant simul adorti.

5 *Quam simulac conspexerunt, perculsi illius admiratione, fugam effuso cursu arripuerũt.*

6 *Terror enim tam mirificus, & repentinus illos corripuit, quam dolores partus grauidis ex improuiso superueniunt.*

7 *Et veluti solet vis ventorum rapidissima naues in alto deprehensas conquassare.*

8 *Itaque miracula quæ audiendo ex maioribus nostris accepimus olim à Deo seruandis ipsis edita, nos ipsi conspeximus, in ciuitate præpotentis Iehouæ, ciuitatem, inquam, Dei nostri, quam àse nunc defensam deinceps, quoque perpetuò conseruabit.*

9 *Certè, Deus, non es nos frustratus, misericordiam tuam certa cum fiducia in palatio tuo implorantes.*

10 *Huius autem rei fama quocunque peruenerit, omnes ad tuas laudes celebrandas ad extremos vsque terrarum fines excitabit. Nam vel hoc vnum factum quantam in tuis seruandis fidem præstes liquidò demonstrat.*

11 *Totus igitur mons Sion in lætitiam soluitor: Iudaica puella de iustis Dei iudicijs exultate.*

12 *Circuite Sionem, numerate ipsius turres.*

13 *Considerate diligenter ipsius*

5 Ipsi *vt* viderunt, sic admirati sunt: trepidauerunt, præcipites acti sunt.

6 Timor apprehendit eos ibi, & dolor quasi parturientis.

7 *Quasi* vento orientali qui confringit naues Tarsis.

8 Sicut audiuimus, sic vidimus in vrbe Iehouæ Dei exercituum, in vrbe Dei nostri: Deus stabiliet eam vsque in perpetuum.

9 Expectauimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

10 Sicut nomen tuum Deus, sic laus tua vsque ad fines terræ: iustitiæ plena est dextera tua.

11 Lætabitur mons Sion, exultabunt filię Iuda, propter iudicia tua.

12 Circundate Siõ & circuite eam: numerate turres eius.

13 Adiicite cor vestrum ad

mœnia & aggeres, & eius palatia laudibus efferte vt rerũ istarum memoriam ad posteros vsque transmittatis.

14 *Et hunc Deum esse ac perpetuò fisturum Deum nostrum omnes intelligant, qui ne extremo quidem vitæ momento sit nos deserturus.*

monitionem eius, exaltate palatia eius, vt narretis generationi posterę.

14 Nam hic Deus, Deus noster *est* in seculum, & *perpetuò*: ipse comitabitur nos vsque ad mortem.

Idem Psalmus quadragesimus octauus, dicolos distrophos, vt decimus quartus.

1 *SCilicet hîc sese totum Deus explicat ingens,*
Hîc omne diffundit decus.
Istam nanque sibi propriè Deus optimus vrbem
Istasq́ rupes vindicat.

2 *O quæ pulchra situ spectantes pascis amœno,*
Mundi voluptas & decus.
O Sion, ô sæuos Boreas cui temperat æstus,
O Regis alti ciuitas.

3 *O cuius Deus ipse potens & mœnia & arces*
Fidus tuetur incola.

4 *En siquidem horrendo sæuo immanesq́ tyranni*
Pariter ruentes impetu,

5 *Hanc simul vt vidêre, simul stupuêre, fugæq́*
Dedêre terga territi:

6 *Prægnantis qualis tremor & dolor occupat artus,*
Vrgente partu fœminæ,

7 *Et medio qualis deprehensas æquore classes*
Vis atra differt turbinis.

8 *Sic atauis quondam narratis aspeximus ipsi,*
Nos huius vrbis incolæ,
Vrbis quam Deus ipse potens sibi vindicat vni,
Secliſq́ firmat omnibus.

9 Hîc

9 *Hîc vbi te templo in medio, Deus optime rerum,*
Poposcimus opem supplices.
10 *Ergo tuum, Deus, ô nomen laudesq; ferentur*
Fines ad orbis vltimos,
Et tua iusta manus celebrabitur, illa suorum
Succurrere facilis malis:
11 *Tu verò ingenti resonato ad sydera plausu,*
Lætisq; virginum choris,
Pulchra Sion, sæuis seruauit ab hostibus illa
Quam iusta vindicis manus.
12 *Ite hilares, inquam, totumq; hinc inde Sionis*
Spectate fortis ambitum,
13 *Et turres validas numerate, attendite quantis*
Cingatur illa mœnibus,
Despicite in cœlum surgentes vndique moles,
Illasq; dicite posteris,
14 *Nam Deus, hic noster Deus est æternus, in ipsa*
Nec morte deserens suos.

Psalmus quadragesimus nonus διδακτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi quadragesimi noni.

Vtitur grauissima præfatione Propheta in hoc Psalmo, & meritò quidem, quum doctrinam contineat nobilibus & plebeijs, diuitibus ac inopibus necessariam: ne videlicet illi quidem insolescant, isti verò, vel animum despondeant, vel cupiditate ditescendi extra iustitiæ semitam abripiantur. Continet igitur idem argumentum in genere atq; præcedentes aliquot & subsequentes, quibus vanitas caducorum bonorum describitur, præsertim quum aut malis artibus quæsita fuerint, aut iis abuuntur eorum possessores. Sed peculiaris & specialis quædam hipothesis in hoc Psalmo spectatur, eorum videlicet diuitum qui pios pauperes opprimunt, quos pauperes consolatur Propheta duabus præcipue rationibus: vna, quòd nihil sit inanius diuitum fastu, sicut res ipsa tandem de-

monſtrat: ex quo conſequetur timendos non eſſe illos ſtuoſos, perinde ac ſi parem ſuæ nocendi voluntati facultatem haberent: altera, quòd certa ſpes melioris vitæ omnibus cogitationibus illis ſit opponenda quæ in eiuſmodi tentationibus in mentem venire conſueuerunt: ac ſemel ſtatuendum beſtiarum quàm hominum ſimiliores eſſe qui honoribus aut opibus aucti, quomodo ſit illis vtendum non intelligunt, nedum vt illis ſapiens quiſpiam inuideat.

Eiuſdem Pſalmi quadrageſimi noni.

PARAPHRASIS.

1 *AVdite quod dicturus ſum omnes populi, auſcultate omnes orbis incolæ.*

2 *Tũ ignobiles, tum nobiles, ſiue diuites, ſiue pauperes.*

3 *Differam enim de rebus quas qui teneat verè ſapiat: & ſum apud me meditatus quæ maximè oporteat ab omnibus intelligi.*

4 *Ego ipſe quod alios docere, res videlicet grauiſſimas, & abſtruſiſſimas, conſtituì, attentè expendam, vt non alijs duntaxat ſed etiam mihi ipſi hac mea cithara cecinisſe compendiatur.*

5 *Enimuero cur ego trepidem quantumlibet oppreſſus, & potentibus inimicis me circũſtantibus, ipſaq; adeò veſtigia mea perſequentibus, obſeſſus?*

6 *Confidunt fateor opulentiæ ſuæ, & magnis opibus ſuis freti inſolaſcunt, quaſi quicquid ipſis libet etiam liceat.*

INTERPRETATIO.

1 AVdite iſtud omnes populi: auſcultate omnes orbis incolæ.

2 Etiam *vos* filij plebis, etiam filij nobilium pariter, diues & pauper.

3 Os meum loquetur ſapientias: & meditationes cordis mei *ſunt* intelligentiæ.

4 Inclinabo ad grauia dicta aurem meam: aperiam cithara arcanum meum.

5 Cur timebo diebus malis, *quando* iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me? *id eſt, improbi veſtigia mea prementes me circumſiſtent?*

6 *Hi ſunt* qui nituntur opulentia ſua? & de abundantia diuitiarum ſuarum gloriantur.

7 Sed

7 *Sed, obsecro, quid est ista momentanea fiducia vanius? Nec enim certè ipsa vita qua brevissima est durabitur est opum vsus, etiam quum ijs quispiam ad extremum vsque vitæ momentum fruitur. Nam à morte alterius, nedum seipsum nemo diuitijs redemerit, nec cum Deo vlla pactione de vitæ restitutione transegerit.*

7 Sed fratrem redimendo nō redimet quisquam, nec dabit Deo pretium redemptionis eius.

8 *Est enim vita pretium maius quàm vt ab homine præstari possit, nedum vt immortalitatem sibi diuitijs vllis acquirat.*

8 Nam pretiosa est redemptio animæ eorum, & duratio in seculum, *id est, longanitatis.*

9 *Imo ne prorogationem quidem vitæ vlla vi pecunia parare sibi quisquam potest.*

9 Vt viuat amplius, nec videat sepulchrum.

10 *Siquidem ipsa omnium seculorum experientia docet moriendum esse cunctis siue sapientibus siue stultis: nec vllū esse hac in re sexus, aut ætatis, aut conditionis discrimen: bona quæ relinquunt morientes, ad alios etiam sæpenumero ignotos translata.*

10 Certè apparet sapientes mori, & pariter stultos: & insipientes interire, & relinquere aliis diuitias suas.

11 *Et tamen, quæ multorum stultitia est, plerique sic vitā instituunt ac si nunquam hinc migrandum illis foret, fictitia terrena vitæ eorum cogitatione intimos ipsorum sensus occupante, quasi in æternum mansuris ipsorum familijs, ac splendidis ædibus extructis perenni in terris ipsorum nomine futuro.*

11 Interius eorum, *id est*, cogitatio eorū, *est quòd* domus suæ *stabunt* in perpetuum & habitationes suæ in generationem & generationem: *vt* vocentur nominibus suis super terram.

12 *At qui nihil est istiusmodi ho-*

12 Sed homo *iste* in splendo-

minum insania inanius, quam homo in isto splendore minimè permaneat, adeò vt qui sic viuunt nõ multum bestijs dissimiles intereant.

re non perdurabit & similis fit brutis quæ intereunt.

13 *Illorum enim vita nihil aliud quàm mera est stultitia, & tamen eorum posteri nihilo facti sapientiores illorũ exemplum laudant & imitantur.*

13 Hæc via ipsorum stultitia est ipsis: posteri tamen eorũ ore suo approbant.

14 *Vtcunque sit & quantumuis isti sibi in istis delicijs placeant, tamen sicut pecudes sub noctem stabulo concluduntur, ita isti vbi vita vespera aduenerit, in sepulcro aggregantur, vbi mors illos non secus atque alios pascit ac depascit. Contrà verò rectũ iter ingressis quamuis sit quoque moriendum, altera tamen lux suo tempore splendescit, ad cuius exortum quantò sint illis insanis superiores apparebit. Nam istorum vmbratilis illa potẽtia mox in sepulcrum erit commutata, quod eos exedet à splẽdidis illis suis palatiis abreptos.*

14 Tãquam oues in sepulcro ponuntur, mors depascit eos, & dominabuntur eis recti mane: robur ipsorum est fouea, quæ veterascere *ipsos* faciat, à domicilio ipsorum.

15 *Contrà verò Deus pios è sepulcri claustris, illos ad se recepturus, educet.*

15 Sed Deus redimet animã meã è manu sepulcri: quãdo suscipiet me.

16 *Itaque securum esse te iubeo nec animo frangi ad cuiusquã diuitis superbi conspectum, quantumuis illum opibus florentem videas.*

16 Ne *igitur* time quũ ditatus fuerit quispiam, & quum multiplicata fuerit gloria domus eius.

17 *Tempus enim erit quum exanime cadauer & omni splendore isto spoliatum in sepulcro*

17 Quia nihil auferet in morte: non descẽdet post eum gloria eius.

18 Sanè

iacebit, gloria illud minimè consque sequuntur.

18 Itaque oblectent illi sese, sibique placeant quantum volent, nec alios beatos iudicent, quàm qui exemplo ipsorũ genio indulgeant.

18 Sanè animæ suæ in vita sua benedicet, & te laudabunt illi quum bene feceris tibi.

19 Si tamen illorum atauos de quibus gloriantur, & omnem illorũ ætatem consideres, comperies illos perpetua mortis sepultos, quod manifestè damnat posterorum stultitiam.

19 Venies ad ætatem patrum ipsorum, in perpetuum nõ videbunt lucem.

20 Denique vtcunque sit quispiam opibus & honoribus auctus, si vera sapientia careat, à bestijs quæ tota intereunt, in hac vita vel nihil vel parũ differre est existimandus.

20 Homo in honore, & non intelligens, similis factus est brutis quæ intereunt.

Idem Psalmus quadragesimus nonus, dicolos distrophos, versus prior heroicus hexameter, alter Dactylicus Archilochius dimeter, hypercatalecticus.

– ⏑⏑ – ⏑⏑ –

1 *AVdite, ô gentes, audite ingentia mundi*
Qui colitis spatia,

2 *Audite illustres, pariterq; ignobile vulgus,*
Diues inopsque simul,

3 *Mira loquar, pleno effundam abstrusissima quæq;*
Pectore prompta meo.

4 *Arcana intentus fabor, doctaq; recludam*
Ardua multa lira.

5 *Cur metuam obsessi vestigia callidus hostis*
Quamlibet ipsa premat?

6 *Nanque opibus, fateor, confisi, auroq; superbi*
Grandia verba crepant:
7 *Dic sed enim charos à limine mortis amicos*
Vt pretio redimant.
8 *Nugæ, non locus hic pretio, producere vitam*
Diuitis arca nequit.
9 *Nedum perpetuam vt vitam largita sepulcri*
Eruat è latebris,
10 *Mors fatuos manet ac sapientes vnica, quorum*
Occupat alter opes.
11 *Et tamen hoc stultis vel summa est cura, perennes*
Condere posse domos.
Cælatisq; velut mansurum in sæcula nomen
tradere marmoribus.
12 *Atqui vanũ huius decus est, quem vt bruta peremptũ*
Mors inopina rapit.
13 *Hâc stulti iuerunt, stultorum hâc sæpe nepotum*
Credula turba ruit.
14 *Nanque velut pecudes quorum mors deuorat artus,*
Ecce iacent tumulo,
Donec mane nouum quàm sint meliore probaris
Conditione pij.
Illorum siquidem splendor veterascit inanis,
Et decus omne perit.
Magnificum tetro mutarunt luce carentes
Vt tumulo thalamum.
15 *At tua me saluum, Deus, eductumq; sepulcro*
Eruet illa manus.
16 *Istos cur igitur metuas, tumidasq; potentum*
Cur vereare minas?
17 *Non feres hæc mortem secum, extinctaue sequetur*
Gloria tanta comes.

18 *Atque*

18 *Atque sibi indulgens quamuis putet esse beatum*
Se similesq; sui,
19 *Attamen ipsius pauet atauosq; recensens,*
Si numerare voles,
Interitu inuenies illos damnare nepotum
Somnia vana suo,
20 *Denique quantuscunque auctos hinc indeq; donis*
Ni Deus ipse regat,
Bruto euaserunt similes, quod nulla perennis
Altera vita manet.

Psalmus quinquagesimus διδακτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi quinquagesimi.

Sicut Deus homini tribuit animam spiritualem & corpus aspectabile, ita vtroque semper voluit & vult coli, cultu videlicet interiore & exteriore: & quemadmodum corporis externas actiones voluit esse interiorum indices, ita etiam diligenter homines admonuit vtrasque oportere inter se consentire & conspirare. Denique ne vel in illa vel in ista cultus diuini parte homines tota natura deprauati aberrarent, quomodo vtrinque coli vellet plenissimè Israelitico populo scriptis etiã legibus ἠθικοῖς καὶ ἱερατικοῖς perscripsit. Alius præterea ceremoniarum (id est externi cultus) finis vel præcipuus hic erat, vt in illis velut in tabella quadã tum suum reatum, tum promissiones expiationis in Messia exhibendas cõtemplarentur, & ita commonefacti sui vicissim officii assiduè reminiscerentur, id est, quid, Deo & quid proximis deberent. Nulli ergo magis abutebantur externo legali cultu, quàm qui neglecto illius scopo sese egregiè functos officio suo somniabant si externa illa diligenter obiissent. Itaque hunc errorem pernicioſissimum quem postea Pharisæi pertinacissimè defenderunt, Asaphus propheta (quod & ipsum postea reliqui Prophetæ non desierunt inculcare) hoc magnificentissimo & planè diuinissimo psalmo conuellit, Deum ipsum introducens grauissimis argumentis vtentem tum á natura ipsius Dei, tum á conditione rerum illarum sumptis quæ Deo offerebantur. Fuit autem hæc doctrina semper quidem in Ecclesia Dei re-

tinenda, quoniam ad hunc lapidem homines semper impegerunt: sed est in primis huic nostro seculo necessaria, in quo nō modo vetus ille error instauratus est, quo sacramenta in totidem idola sunt transformata, sublato signorum & rei significatæ discrimine, & doctrina de opere operato in Ecclesiam iuntroducta: sed etiam eò deuentum est vt quod spiritus sanctus damnat manifestæ impietatis in cultus externi ab ipsiomet Deo instituti abusu, idipsum Pharisæi nostrorum temporum ad sua commenta transferant.

Eiusdem Psalmi quinquagesimi.

PARAPHRASIS.

Psalmus Asaph

1 *QVousque verò tandem, hypocrita, patientia Dei abutemini? quousque nos de vero ipsius cultu concionantes aspernabimini? Age prodeat ipse Deus & vos alloquatur: & certè ecce prodit, Deus, inquam, ille Iehoua supra omnes potestates eminens aduenit, non vos duntaxat, sed etiam omnes orbis incolas ab Ortu ad Occasum Solis aduocans, vt amentia vestra sit vniuersus orbis testis.*

2 *Et ne fortè existimetis hic aliquid dicendum aduersus ceremonias diuinitus institutas, Deus in ipsa Sione, sede totius orbis pulcherrima & ipsi acceptissima, refulgens illud suum tribunal causam istam disceptaturus collocauit, tantum abest vt eam vobis deferre.*

INTERPRETATIO.

1 DEus deorum Iehoua loquitur, aduocat terram ab ortu Solis vsque ad occasum eius.

2 Ex Sion, perfectione pulchritudinis, Deus resplendet.

venit

3 Veniet Deus noſter, neque ſilebit: ignis in conſpectu eius vorabit, & in circuitu eius tempeſtas coorta eſt valida.

4 Aduocauit cœlos ſupernè & terram ad iudicandum populum ſuum, *dicens*,

5 Cõgregate mihi pios meos: qui percuſſerũt fœdus meũ ſuper ſacrificiis.

6 Et annuntiabunt cœli iuſtitiam eius: quia Deus iudex ipſe *adeſt*.

7 Audi populo mi, & loquar, *tu* Iſrael & teſtificabor tibi: Deus, Deus tuus ego *ſum*.

8 Non ſuper ſacrificiis arguã te, & holocauſtis tuis *quæ* coram me *ſunt* ſemper.

1 *Ecce, inquam, aduenit Deus ille noſter, minimè deincops mutus futurus, præeuntibus ante ipſius conſpectum flammis aduerſantes quoſque conſumpturis, & tempeſtatibus vndique circumſonantibus, vt qualem olim ſe præbuit quũ legẽ ferret, talẽ quoq; eiuſdẽ interpres atq; vindex appareat.*

2 *Quinetiam cælos ipſos ſurſum, & terram ipſam deorſum citat, iudicio iſti aduerſum vos, populum ſuum rebellem & contumacem, inſtituto interfuturos.*

3 *Audite igitur illum vos per ſuos apparitores hiu verbis citantem. Aduocate mihi, inquit, iſtos quos præ cæteris ſingulari fauore ſum dignatus, & quibuſcũ fœdus iſtud ſacrificiorum iniy.*

4 *Teſtes autem erunt ipſi cæli aduerſum vos iuſtæ deciſionũ iſtius controuerſiæ, quandoquidem ipſemet Deus iudex ſedebit, ne putetis vobis eſſe cum vllo mortalium negotium.*

5 *Tum ille. An non tu is es populus quem mihi ſelegi? Iſrael ille quem ſum amplexus? mẽne verò Deum, Deum inquã, tuum nõ audies tecum de hoc ipſo iure diſceptantem?*

6 *Dic autem diſertu verbis hanc controuerſiam deſinio. Præcepi quidem ego ſacrificiorum leges quæ mihi quotidie præ-*

stari volo: sed illa, sicut à vobis efflagitantur ne tantillum quidem moror, neque hoc illud est de quo vobiscum expostulo. Nam plus satis illa quotidie intueor.

9 *Quem enim esse me, quaso, arbitramini? num cui petendi sint ex armentis vestris iuuēci, aut ex vestris caulis hirci, si fortè illos requiram?*

9 Non sumam è domo tua iuuencum, *neque* ex caulis tuis hircos.

10 *An me oblitū estis dominum esse omnium bestiarum quæ in syluis & montibus pascuntur?*

10 Quoniam meæ sunt omnes bestiæ syluarum, & animalia *pascentia* in mille montibus.

11 *Et mihi illarum conditori cōpertas esse omnes volucres, & quicquid vbique ferarum in agris degit?*

11 Noui aues montium: & feræ agrestes penes me sunt.

12 *Itaque si esurirem, cur illas ego abs te flagitarem, quum mei vnius iuris esse constet vniuersum orbem & quicquid eo continetur?*

12 Si esuriero, non dicam tibi. Num meus est orbis & quicquid continet?

13 *Deinde quæ hæc vestra insania est? num enim me carnem taurorum edere, num sanguinem bibere existimatis?*

13 Num comedam carnem taurorum aut sanguinem hircorum bibam?

14 *Nostin' igitur quæ sacrificia postulem? laudes mihi debitas, votorum absolutionem.*

14 Sacrificia Deo laudes: & redde *Deo* excelso vota tua,

15 *Inuocationem in rebus præsertim aduersis, ex quibus liberatus pro beneficijs acceptis mihi gratias agas, téque meæ gloriæ studiosum tota vita testeris.*

15 Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te & glorificabis me.

16 *At vos improbi & impuri quantumcunque pietatem sacrificiorum multitudine simuletis, audite quibus verbis*

16 Impio autem dicit Deus, quorsum tu annuncias statuta mea: & sumis fœdus meum in ore tuo?

17 Tu

Deus ipse vos increpet, Téne verò meos ritus in ore habere? téne fœderis mei vel mentionem facere audere?

17 *Qui ne corrigi quidem te patiaris minas omnes meas aspernatus, & præcepta mea post tergum reieceris.*

17 Tu vero odisti correctionẽ & proiecisti verba mea post te.

18 *Si quem furantem videas, is est demum cuius societatem auidissime expetis: si quẽ noctu adulterum, das operam illicò vt & ipse fias eius sceleris particeps.*

18 Si videas furem, curris cũ eo, & cum adulteris portio tua est.

19 *Nihil nisi malum loqueris: linguam ad omne fraudis genus concinnandum exacuis.*

19 Os tuum emittis ad malum: & lingua tua concinnat dolos.

20 *Maledictis & calumnijs ipsos etiam fratres, fratres, inquã, tuos germanos proscindis, tãtum abest vt ab ignotis ladendis abstineas.*

20 Quinetiam contra fratrem tuum loqueris: contra filiũ matris tuæ attollis probrum.

21 *Hæc tua studia, hi sunt mores, qua scelera quoniam aliquandiu pro mea patientia dissimulaui, mẽne idcirco tui similem, & istorum approbatorem arbitrarîs? Imò tanto seuerius tecum agam, & propositis tibi sigillatim ob oculos sceleribus, faxo vt ne vnius quidem oblitum & immemorem esse me re ipsa experiaris.*

21 Hæc fecisti, & tacui: existimasti me esse tui similem: coarguam te, & ordinabo *scelera tua* corã oculis tuis.

22 *Hoc igitur agnoscite, istud diligenter & accuratè expendite quotquot estis Dei immemores, ne si vos semel abripuerit, nemo sit qui vos irato mihi eripiat.*

22 Hoc nunc intelligite, qui obliuiscimini Deum, ne *vos* abripiam, & non sit qui *vos* eripiat.

23 *Audite denique quid semel hac de re statuam. Qui cor ipsum mihi sacrificat, gloriæ meæ studiosum, is demum mihi gratum sacrificium offert: qui mores suos ad præceptorum meorum regulam exigit, illum demum ego ab omnibus periculis liberatum æternæ felicitatis participem faciam.*

23 Qui sacrificat laudem, is demum glorificat me: qui viam disponit, ostendam ei salutem Dei.

Psalmus quinquagesimus dicolos distrophos, vt primus.

1 *DEus inferûm superûmque Dominator potens*
(Mihi nuntianti credite)
Tandem loquetur alta post silentia,
Mundoq́; teste ac conscio,
2 *Pulchræ Sionis ab arce, solis ad vltimum*
Cubile prodibit micans.
3 *En vester, inquam, aderit Deus, nec vt priùs*
Spectabit omnia tacitus:
Quin eminus sparsis coruscans ignibus,
Rapidoq́; cinctus turbine,
4 *Verax sedebit gentis arbiter suæ,*
Cælo soloq́; testibus.
5 *Cæloq́; iusti apparitore iudicis*
Præstante præconis vicem:
6 *Adeste, dicet, ô boni, ô quisquis sacro*
Nomen dedisti fœderi.
7 *Chara Israelis ô propago, ô tu mihi*
Dicatæ soli natio.
8 *Non de focis altariúmue pinguium*
Pugnabo tecum victimis.

9 Quor-

9 *Quorsum, iuuencos mihi tuos, quorsum tui*
Fœtus gregis poposcerim?
10 *Mihi in nemoribus montiumq; anfractibus*
Errant vagantes bestiæ.
11 *Mihi volucres volant, mihi pecora pinguibus*
Cunctis aluntur pascuis:
12 *Hæc si appetam rerum ipse Dominus omnium,*
Cur mutuò abs te sumpsero?
13 *Num carne vescor, siue pinguis victimæ*
Poto cruentus sanguinem?
14 *Puro profectam ex corde laudem, hanc victimam,*
Hæc vota tu mihi soluito.
15 *Afflictus, inquam, debitas mihi preces,*
Grates q; gratus reddito.
16 *At te impie (inquiet Deus) non hoc pudet*
Ore mea iussa proloqui?
Non te prophanis labijs istis pudet,
Iactare fœdus hoc meum,
17 *Reprensiones perpeti indocilem meas,*
Omnesq; spernentem minas?
18 *Rapacibus tu furibus, tu adulteris*
Socius adhæres turpibus:
19 *Tu maledicorum primus, omnis tu doli*
Fraudisq; callidus artifex.
20 *Detrahere cuiuis ludus ac iocus est tibi,*
Nec parcis ipsis fratribus.
21 *Hæc te tot annos quòd patrantem pertuli,*
Tu me tui similem putas.
Immo severus ecce te coarguam,
Sceleraq; detegam tua.
22 *Hæc annotato summi stulte numinis*
Tu quisquis obliuiscere,

Ne fortè rapidâ vbi te manu comprendero.
Te nemo prorsus eruat.
23 *Laudis litatur vna victima mihi.*
Hanc tu hostiam mihi cædito.
Compone denique totius vitæ viam,
Nánque hæc salutis est via.

Psalmus quinquagesimus primus

ἐυκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi quinquagesimi primi.

Psalmus iste tunc à Dauide scriptus, ſicut Hebræa inſcriptio declarat, quum à Nathane propheta grauiſſimè eſſet increpatus de teterrimo illo adulterio ſimul & homicidio, ſicut ſcribitur 2. Sam. 12. inſignis eſt inter omnes Danidicos, continens illuſtre reſipiſcentiæ exemplum quod præeat oportet peccatorum remiſſioni. Illuſtre, inquam, ſiue perſonam ipſam Dauidis, ſiue ipſius peccatum ſiue denique rem ipſam ſpectes, id eſt, reſipiſcentiæ ſingulas partes. primum enim hîc proponitur nobis Regis potentiſſimi, & Prophetæ ſanctiſſimi, & optimè ſi quiſquam alius, de Eccleſia meriti exemplum, nempe vt diſcamus non alium eſſe regum quàm pauperum Deum: & quò magis aliquis inter homines eminet, eò eminentius eſſe ipſius peccatum, ac proinde tantò magis ei laborandum vt cæteris præcat pœnitentiæ exemplo. Iam quòd ad illud attinet de quo hîc agitur, neſcio an habita ratione circumſtantiarum perſonæ Dauidis, vllum tot tantorumque in vno facto ſcelerum monimentum extet: ex quo intelligimus quanta ſit præſtantiſſimorum etiam hominum imbecillitas, & quanta rurſus clementia Deus opt. max. erga reſipiſcentes quoſuis vtatur. Sed ſi, quod præcipuum eſt, accuratè expendamus, haud ſcio an vllum vnquam extiterit talis pœnitentiæ exemplar. Nam quod ad interiorem peccati agnitionem ac deteſtationem attinet, quam contritionem vocant, non video quid in iſta deſiderari poſſit, quum ſeſe Dauid ab ipſo conceptionis ſuæ momento reum æternæ damnationis fateatur, & omnes circumſtantias ſui ſceleris diligentiſſimè perſequatur, tantum abeſt vt vlla querat ſubterfugia, vel vllam meritorum compenſationem ſomniet. Quòd ſi exterio-

rem

rem peccati confessionem consideremus (quæ est altera veræ resipiscentiæ pars, quam vulgò cum satisfactione confundũt) cuiusmodi tandem est tanti Regis & tanti Prophetæ exemplum, qui suæ regiæ Maiestatis, & omnis priuatæ existimationis omni humano respectu posthabito, non modò sui illius sceleris historiam passus est scriptis tradi, sed etiam sempiternum ipsemet scripsit eius agnitionis testimoniũ, quo toti Ecclesiæ satisfaceret? Nouerat enim vir sanctissimus pudêre nos peccati non resipiscentiæ oportere: neque eiusmodi publica quoque confessione labem inustam à peccato coram Ecclesia augeri, sed potius deleri: tantum abest vt delicatis illius nostri seculi hominibus similis esset Dauid, qui quiduis potius quam huius disciplinæ iugum tulerint, quod tamen Rex tantus vltrò subiit. Denique veræ resipiscentiæ fructus hic quoque manifestissimè elucet, Deo verè pœnitentes suos minimè deserente, sed contrà ipsis etiam peccatis tum ad suam gloriam, tum ad eorum resipiscẽtiam ac consolationem abutente. Admiscentur autem huic Psalmo duo præterea veræ religionis capita: vnum de originis peccato, alterum de sacrificiorum abusu, quasi in externa illa ceremonia pro peccato posita esset expiatio, quum contrà non placerent sacrificia ab impuris profecta, ac proinde præire remissionem peccatorum oporteret, quæ postea sacrificiis in fide factis in animis credentium obsignaretur.

Eiusdem Psalmi quinquagesimi primi.

PARAPHRASIS.

1 *QVid hic affectam Deus, quid præexam? nihil prorsus. Tantum peto vt misereatis miserrimi peccatoris misericors Deus? & quum vel vnicum hoc meum scelus infinita complectatur, non vnam misérationem sed quicquid est apud te miserationum mihi tribuas: vt semel iniquitates meæ expungantur.*

2 *Certè tam hæc est tetra, &*

INTERPRETATIO.

1 MIserere mei Deus secundum misericordiam tuam: secundum multitudinem miserationũ tuarum dele preuaricationes meas.

2 Multum lauа me ab ini-

iam altè insedit mihi hæc macula, vt ne abs te quidem nisi cum difficultate ablui posse mihi persuadeam. Ablue me igitur, mi Deus, semel atque iterum ac sæpius etiam, donec tanti sceleris sordes penitus eluantur.

3 Nec enim ego culpam diffiteor aut eluo, sed grauissima scelera mea assidue mihi ob oculos obuersantia seriò detestor.

4 Nam vt homines grauiter offenderim, mihi tamen propriè tecum negotium est. Nam tibi, tibi propriè peccaui, & vt homines fallere studuerim, te tamen oculatissimum testem simul ac iudicem fallere non potui. Itaque iustificari nec volo, nec possum, quum iustissimè decreueris qua de me decreuisti, & plane agnoscam nihil posse in iudicys de me tuis desiderari.

5 Imò vt ista scelera non admiserim, quis sum ego nisi mortalium vnus exitio dignissimorum? Iam tum videlicet corruptus ac reus quum me conciperet mater, & peccato iam tum inquinatus quum illa me conceptum in vtero foueret.

6 Et quorsum ego victimas olim tibi à me oblatas cæteráque eiusmodi in medium proferrem? Tu etenim eam demum iustitiam probas qua

quitate mea, & à scelere meo munda me.

3 Quoniam transgressiones meas ego cognosco & peccatum meum coram me est semper.

4 Tibi, tibi soli peccaui, & malum in oculis tuis feci vt iustificeris loquendo, & mundus sis iudicando.

5 Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato calefecit me mater mea.

6 Ecce veritatem dilexisti in intimis: & in occulto sapientiam patefecisti mihi.

7 Expia

cordis penetralibus insidet: quam tamen mihi defuisse rei ipsa demonstrat: & tu me tamen, fateor, non vt quemuis alium sed vt vnum ex domesticis tuis priuatim, &, eheu, quàm familiariter, sapientiam illam tuam docuisti.

7 Itaque adsum ego omnium peccatorum maximus. At quod tu solus potes, hoc facito. Expia me, mi Deus, tuo illo vero hyssopo, & omnes sordes mox euanuerint: tu me ablue & subito niue ipsa candidior euadam.

8 Exhilara me sancti tui Spiritus testimonio, lætissimum illud & omnium iucundissimum nuntium remissionis peccatorum mihi adferentis: & ossa quæ meritò contriuisti repentè recreaueris.

9 Ne, quaso, ne peccata mea intuère, sed potius à me admissa omnia scelera semel ex tui tabulis expunge.

10 Opus illud verè tuum quod in me cœperas & ego impedii, de integro auspicare intermissum, Deus: cordis videlicet munditiem cuius tu auctor & creator vnus es: & sanctos illos motus animi in visceribus meis renoua.

11 Ah ne me, quamuis perire dignum, extra conspectum tuum ablegato, neque me semel sancti tui Spiritus afflatu spoliato.

7 Expia me hyssopo & mundabor: laua me, & præ niue dealbabor.

8 Audire me fac gaudium & lætitiam: exultabunt ossa quæ contriuisti.

9 Absconde faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

10 Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

11 Ne proiicias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me,

12 *Restitue mihi potius gaudiũ illud inenarrabile quo perfunduntur qui à peccati & mortis vinculis abs te liberati tecum in gratiam redierunt: & hoc mihi sanctus Spiritus tuus verus ille consolator tribuat, vt tibi vltrò memetipsum deinceps addicam.*

12 Restitue mihi lætitiam salutis tuæ: & spiritu sponaneo.

13 *Tum ego alios quoque flagitiosos docebo meo exemplo vt quantumuis abs te auersi sese ad te conuertant.*

13 Docebo trãsgressores vias tuas: & impii ad te conuertentur.

14 *Deus, Deus à quo salus omnis mea dependet, libera me ab isto tam cruenta cadis crimine, vt lingua mea exultans tuam in præstandis promissis iustitiam assiduis cãtibus prædicet.*

14 Libera me à sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & cantabit cum iubilo lingua mea iustitiam tuam.

15 *Aperi mihi os Domine, quod obmutescere coegerunt scelera mea, vt laudẽ tuã annũtiem.*

15 Domine labia mea aperi, & os meum annũtiabit laudem tuam.

16 *Nam quod ad sacrificia victimarum attinet, scio tibi non fuisse grata futura, ab impuris istis manibus oblata, neque etiam in ipso hostiarum cruore sitam esse quam peto peccatorum expiationem: alioqui iampridem altare tuũ holocaustis oneraſſem.*

16 Certè non delectareris sacrificio, *nam tibi darem*, nec holocaustum *meum* acceptares.

17 *Sed ecce, offero sacrificia quibus te, Deus, oblectari scio, animum videlicet vere peccatorũ sensu attritum, seriò pœnitentem, & sese ac peccata sua detestantem, quam oblationem, sat scio, non despicies.*

17 Sacrificia Deo grata *sunt* Spiritus contritus: cor contritum & afflictum Deus non despicies.

18 *Denique, mi Deus, ne te sce-*

18 Benefac ex beneplacito tuo

Iera ista mea tantopere commoueant vt gratuita illius tua in Sionem benignitatis cursum impediant, sed perge tua Hierosolymorum ciuitatis muros nihilominus ædificare.

tuo ipsi Sion: ædifica muros Ierusalem.

19 *Tunc demum, me nimirum tibi planè reconciliato, acceptum habebis tibi ritè oblatum omne sacrificiorũ genus, & tunc ego victimis altare tuũ onerabo.*

19 Tunc accepta habebis sacrificia legitima, holocausta & oblationes: tunc ascendent super altare tuum vituli.

In eundem Psalmum præfatio poêtica.

FOrte pererratis cælo terráque mariq́,
Ales Amor, (dæmon, quo non est certior vllus
Mortales pulchri falsa sub imagine mentes
Fallere, lethaliq́, animos afflare veneno)
Inuisæ sacras Iudææ callibus vrbes
Venerat: & iam tum magno molimine regem
Fundantem intuitus Solymas feliciter arces,
Progeniémque memor Iessæo sanguine duci,
Venturam Satanæ excidio, Satanæque ministris:
Mène, (ait) à prima qui victor origine mundi
His homines domui telis, horrendáque seclo
Diluuia inuexi (laus est hæc nostra) priori:
Cui Ninon, ingentémque incesta Semiramis vrbem
Sacrauit, nostras testantia mœnia vires:
Cui Sodomæ versa in cineres, ambustâque longè
In tenues abijt regio vicina fauillas.
Quo duce mille furens armauit Grætia naues
Et nunc Troia nouem iacet oppugnata per annos:
Qui prius indomitum (quid non mihi fœmina præstat?)
Sampsonem insano fregi meritricis amore:
Iessiadæ vnius non posse abrumpere cœpta,

Diuinisq́ procul curis auertere mentem?
Dixerat iratus, pharetraq́ accinctus & arcu,
Tandem ad Berſabes conuertit lumina vultus,
Berſabes, qua non formoſior altera cunctas
Iſacidum populos inter numerata puellas,
Sed coniuncta viro, & mater iam digna videri.
Et mox tam raras mortali in corpore dotes
Miratus, patulæ radiantem frontis honorem,
Purpureaſq́ genas, pulchri & diſcrimina naſi,
Os roſeum, & flauos per eburnea colla capillos,
Marmoreumq́ ſinum, porrectaq́ brachia longè,
Et teretes digitos, Me verò ludere in iſtis
Fas oculis, (inquit) iuuat hinc vibrare ſagittas
Eſte procul tela & pharetræ. nanque iſta miniſtrant
Lumina tela mihi, lunataq́ porrigit arcum
Vmbra ſupercilij: hinc regum Mauortia corda,
Fallor ego aut infans olim viciſſe Cupido
Credar, & hæc varias ſpargetur fama per vrbes:
Sic ait: & ſubitò pharetraq́ arcuq́ relictis,
Aereum indutus corpus (mirabile dictu)
Callidus affectans formoſam hinc inde puellam,
Obſeruat tacitus furtim: tandemq́ repertis
Seſe oculis infert, claroq́ in lumine condit.
Illæ illum ſenſit venientem, & læta recepto
Hoſpite, nil præter Veneris iam cogitat artes,
Omnibus arridet, pulchræ ſibi conſcia formæ:
Nunc ſinit extrema criſpantes fronte capillos
Ludere, nunc varia diſcriminat arte vagantes:
Iam celare ſinum ſimulat, mammaſq́ coercet,
Et ſuperobiectat tenuis velamina telæ:
Iam cunctas oſtentat opes, colloq́ ſuperbæ
Nudato, pulchra mentitur imagine diuam.

Interdum

Interdum excultis illi qui ſtabat in hortis
Marmoreo inſignis labro atque perennibus vndis
Fonte lauat, celereſq́; oculis iaculatur amores.
Hanc igitur caſu, vitreo tum fonte lauantem,
Neſcio quid meditans ſublimi Dauid ab arce
Conſpexit, vir nec cuiquam pietate ſecundus,
Nec quoquam inferior vates, ſeu fundere dulce
Ore melos, digitis ſeu tangere plectra iuuaret.
Quid non audet amor? regis doctiſq́; piiq́;
Protinus excuſſo violauit lumina telo:
At pauidus tanto caligat lumine Dauid.
Ecce irrumpit Amor dominus, ſparſiſq́; veneno
Senſibus, humenti mox calfactis oſſa calore,
Atque imo tandem infligit ſub pectore vulnus:
Mens quoque victa labat. flammiſq́; oppreſſa fatiſcit.
Ipſe ſui oblitus cæcas ſub pectore flammas
Dauid alit, nec iam ſtadijs incumbit honeſtis
Nec ſibi iam quærit ſeſe quibus artibus ipſe
Aſſerat: hoc vnum noctuq́; diuq́; labore
Sollicitus voluit magno qua callidus arte
Efficiat forma vt tandem potiatur amata.
Quid faciat? blandis adiungit munera dictis.
Paret Berſabe, tantoq́; autore peracta
Culpa placet: tumido ſic eſt mox addita ventri
Sarcina. ſed nondum Dauid ſua gaudia credit
Plena ſatis. res ipſa placet, crimenq́; probatur.
At metuit famam, dicíq́; recuſat adulter.
Adde onus ignaro conceptum coniuge: quippe
Fortè aberat longè Vrias, & tempore in illo
Pro patriæ afflictæ rebus, populiq́; ſalute
Tractabat gladios miles: reuocatur in vrbem
Principis imperio: paret, caſtriſq́; relictis

Iussus adest. Illum ne formosissima coniux,
Nec nati traxere domum sed principis aulam
Ingreditur properans: simulato plurima vultu
Inquirit Dauid, quam tandem exercitus vrbem
Obsideat, quibus inclusus sit mœnibus hostis,
Euentu quônam pugnatum: singula pandit
Ille, nec infelix nouit quàm dira parentur.
Quippe, licet mensa excepium, vinoq́, madentem,
Coniugis vt spreuisse thoros, aulaq́, manere
Assiduum vidit Dauid, iam censet apertum
Omne scelus, iam facta palàm sua crimina credit.
Vis igitur, sed tecta, placet: capitiq́, parantur
Coniugis insidiæ. quid non audetis amantes?
Iam nil iura valent, nil magni iussa Tonantis,
Expertusq́, Deus toties: iam victus amore
Ipse odit sese. O semper nocitura voluptas,
Vt transuersa rapis mortalia pectora tecum!

Nox erat, & latè carpebant omnia somnos:
At vigil insano fraudes in pectore Dauid
Mille parat: calamum tandem poscitq́, tabellas,
Et se de patriæ rebus dum scribere multa
Versutus simulat, versa in contraria mente,
Imperat vt pugnæ statuatur in ordine primus
Vrias, primusq́, ruat moriturus in hostes.
Ergo vt prima dedit venientis signa diei
Lucifer, Vriam mox in sua castra reuerti
Rex iubet, inscriptasq́, Duci perferre tabellas.
Lætus at ille volat, nec se sua fata tenere
Clausa manu nouit: tandemq́, in fronte locatus,
Immeritam infelix petijt per vulnera mortem.

Hæc Pater omnipotens ex alto singula cælo
Cernebat, iam tum iratus, quum cedere fœdi

Imperio

Imperio insanum regem spectaret Amoris.
Vi verò insontem cecidisse agnouit amicum,
Et fuso hostiles gladios tinxisse cruore,
Tum demum infremuit totus, vultumq; serenum
Iratus posuit: tremuerunt omnia latè,
Terribiliq; procul sonuerunt astra fragore.
Protinus exorto compleri murmure cælum
Turbato cœpit Domino: veniuntq; frequentes
Aligeri fratres, quæ tanti causa tumultus
Inter se rogitant trepidi, quæ litis origo,
Quos hæc ira notet: num totas fulmine terras
Perdere fortè paret, num cœli extrudere ciues,
Aut priscum reuocare chaos, quippe affore tempus
Audierant, ipsos olim quo verteret orbes
Cælorum, & totum flammis misceret olympum.
Cælorum in medio, qua se super omnia tollit
Sublimis moles mundum complexa rotundum,
Stat thronus, & gemmis totus conflatus & auro:
Hic superùm residet Princeps: hinc singula cernens
Temperat æterno componitq; omnia nutu.
Hunc geminæ circum dicuntur stare sorores,
Iustitia, & placido lenis Clementia vultu:
Altera districto cunctis velut ense minatur,
Turbatisq; oculis testatur pectoris iras:
Altera blandi turq; oculis, similisq; precanti,
Vertere commoti memoratur numinis iras.
Huc igitur postquam conuenêre vndique diui,
Tum Pater iratus, Quænam hæc dementia? quænam
Improbitas, (inquit) nostrum contemnere numen
Mortales audere viros, & pectore ferri
Indomito autorem contra: quid plurima fando
Commemorem? terræq; datas totius habenas,

Et maris imperium liquidóque volantia cælo?
Mentem ego diuinam tribui, quæ libera mortem
Despiceret, quæ me, quæ cæli ediscere orbes.
Hoc cunctis commune bonum quid propria natis
Commoda nunc referam toties concessa Iacobi?
Vos meminisse enim regis contusa superbi
Pectora, vos medio incedentes æquore turmas,
Delatásque acies scitis, partósque triumphos.
Scitis vt in terras summo descendere cælo
Sustinui, vt leges illis & iura tuendæ
Sancirem vitæ: nostri quoque testis amoris
Sol erit, assueto vetitus descendere cursu:
Et sciissæ Iordanis aquæ, sonitúque tubarum
Captæ vrbes, pulsiq; sua ditione tyranni.
Hæc illis igitur tribui. quid maxima verò
Tot bona commemorem Iessæo præstita vati?
Illi ego pastori memini tribuisse coronam,
Ereptóque pedo sceptrum donasse ferendum:
Quinetiam vasto memini eripuisse giganti.
Quumque graues vrgere minas odiumque Saulis
Sensissem, tutum ipse dedi (miseratus egentis)
Exilium, & placida florentia regna quiete.
Nunc tamen antiquos mores imitatus auorum,
Oblitúsque mei, nec cæli spernere leges,
Nec crudele scelus sceleri iunxisse veretur.
Hinc leges, hinc iura iacent violata sacrati
Coniugij, hinc noster non digna morte peremptus
Vindictam petit Vrias. nunc ergo superbum
Vlciscar regis pectus, populúmque ferocem
Delebo iratus, nostri monimenta doloris.
Desierat, toto exoritur quum murmur olympo.
Protinus at mæsto assurgens Clementia vultu,

Conqueritur

Conqueritur lacrymans. nec enim, si plectere dignis
Supplicijs homines placeat, iam fulmina posse
Sufficere, aut animas deinceps captura nocentes
Tartara: desertum fore mox sine ciuibus orbem.
Frustra igitur toties miseris mortalibus olim
Est promissa salus? nec crescere virga sinetur
Expectata pijs? sua sunt statuta tempora pœnæ,
Integra quum mundi peritura est machina flammis.
Ne, Genitor, ne te crudelem nomine dici
Quæso sinas? tua nota satis sunt numina mundo.
At si pœna placet, si res tam sæua probatur,
Hoc vnum rogito supplex, hoc pectore toto
Flagito, fas vt sit sceleris monuisse peracti
Dauidem: feret ille preces, tandemq; furore
Depositò scelus hoc illi noxamq; remittes.
Vix bene desierat mitis Clementia blandas
Ferre preces, quum deposita Pater optimus ira,
Conceptum penitus dilabi corde calorem
Sensit, & hæc tandem sedato pectore fatur,
At miseros seruare iuuat. Sic fatus, abire
Aligerùm mandat selectum ex ordine fratrum,
Cæsarie insigni iuuenem, cui candida circùm
Ludebat stola longa pedes, variæq; micabant
Distinctæ veluti gemmis rutilantibus alæ:
Qualis ab Eoo vehitur (mortalia rebus
Si fas æthereis componere) psittacus orbe,
Aut nubes inter qualis nitet iris aquosas.
Hunc igitur propriè Solymorum imisere terras
Imperat Omnipotens, vatiq; aperire Nathani
Et scelera & scelerum autorem: quem sedulus ipse
Arguat, & meritum ostentans pro talibus ausis
Supplicium, culpam cogat crimenq; fateri.

Nec mora: iussus adest, primoq; à limine regem
Compellans vates, Salue Rex, (inquit) & audi.
Quid sceleris media ecce recens euenerit vrbe.
Ecce fuit pecoris quidam ditissimus vnus,
Et pecoris quidam contrà pauperrimus vnus:
Illi mille greges, ouis huic tantùm vnica, verùm
Chara fuit, primis paruam quam eduxerat annis,
Et mensa & pariter lecto dignatus eodem.
Ille aduentantem casu excepturus amicum,
(Pro facinus) bubusq; suis ouibusq; pepercit,
At miseram arripiens vicini pauperis, eheu,
O Rex, mactauit sæuus coxitq; bidentem.
Dauid ad hæc animo grauiter commotus, At (inquit)
Sic faueat dextrum mihi numen, vt iste cruentas
Dignus qui proprio pendat vel sanguine pœnas,
Pauperis octuplici pensabit fœnore damnum.
Hæc ille. intuitus toruo quem lumine vates,
Ergo (ait) infelix, audi quid numinis ira
Nuntiet. ô regni rex indignissime, tene
Tam subitò oblitum quanto te euexit honore
Cunctipotens, inopem, mediisq; ab ouilibus olim
Acceptum, & sæui toties, totiesq; Leonis
Faucibus ereptum solij quum sede locaret,
Sacraretq; isto tantum diademate regem?
Tén' miserum tali pollutum cæde quietem
Ducere quem ad pœnam poscam pro immanibus ausis
Crimina? sic igitur turpem traducere vitam
Amplexus medios inter? geminóne nocentem
Crimine, cælorum fas est connexa tueri?
Qui superos, qui te, patriamq;, tuosq; scelestus
Prodideris? at tempus erit quum cæde tuorum
Ipse oculos pasces, belliq; domestica surgent

Semina,

Semina, & inceſtus, & fratrum vulnera cernes:
Tu modò flecte Deum lacrymis. Sic illa tonare
Vix bene deſierat, quum toto expalluit ore
Dauid, & attonitus vix tandem voce recepta,
Peccaui infelix, inquit: nec plura loquutus
Protinus è ſolio miſer exilit, & ſua pugnis
Pectora cum gemitu plangens, ſceptrumq; coronamq;
Abïcit, & partes animum conuertit in omnes.
Ergo miſer nunc inuiſos accuſat amores,
Nunc iuſſæ meminit cædis, crimenq; fatetur
Conſcius, & caſum inſontis deplorat amici.
Multa eſt ante oculos Berſabe, at nulla calores
Intus flamma parit: victus cum matre Cupido,
Et pauor in vacuo ſolus iam pectore regnat.
Quid faceret? flentem ipſe licet veniamq; precantem
Mutata ſubitò ſoletur voce Nathanes,
Pacatum his lacrymis affirmans numinis iram,
Semianimis pergit lacrymans, & vate relicto,
Spemq; metumq; inter, lucem vitamq; peroſus,
Nil præter latebras captat. Palatia ponè
Antrum erat horrendum, fracti quâ culmina montis
Exeſas vaſta claudebant mole cauernas:
Horrebantq; rubis latè omnia, & vndique ſentes
Dumiq; tribuliq;, & ſoli inuiſa vorago.
Huc igitur multo turgentia lumina fletu
Aduertens caſu ſublimi Dauid ab arce
Veſpere iam ſeras noctis properante tenebras,
At tu, tu noſtri domus (inquit) conſcia luctus,
Tu mihi teſtis eris iuſtorum nempe dolorum.
Sic faueas noſtro rubicunda ex crimine luna:
(Fortè erat, aut viſa eſt Phœbe rubicundior) at vos
Sidera, quæ inuiſos toties vidiſtis amores,

Mutatum ſpectate virum. Sic fatus, eburnam
Suſpendit zona citharam, qua ſuetus ad omnes
Mentis erat curas vti. qua ſæpe ſonante
Depulerat ſæuos inimico à rege furores,
Ergo abit, atque ſago velatus membra cucullo,
Præcipitis tandem euadit ſuper ardua montis
Culmina: mox antrum ingreditur, largoq́; madentes
Imbre oculos cælo attollit: tandemq́; recepta
Mente, miſer tales tremebundo pectore fletus
Orditur, mœſtas citharа reſonante querelas.

Idem Pſalmus quinquageſimus primus, monocolos, verſu heroico vt octauus.

1 AH Deus immenſam clemen, miſerêre precantis
Et quæcunque tuo bonitas in pectore regnat,
Seruando huic miſero ſe protinus exerat omnis.
2 *Elue me ſceleris pollutum crimine tanti,*
Elue, peccatiq́; iube euaneſcere ſordes.
3 *En ſcelera agnoſco: ſcelerum noctеſq́; dieſq́;*
Ante dies verſans me lurida terret imago:
4 *Res etenim tecum propriè mihi: te Deus vnum*
Offendi infelix, quem non fraus vlla fefellit,
Sublimi è ſolio meq́; & mea facta tuentem,
Vt ſi pro meritis iudex mihi ſederis, eheu,
Damnatus iuſtas ſubeam te iudice pœnas.
5 *Me genitrix etenim grauida quum ferret in aluo,*
Iam pollutus eram, ſiquidem me tempore mater
Et ſordes pariter conceptas fouit eôdem.
6 *At contra integritas ſynceri pectoris vna*
Grata tibi: nec eras alios mihi doctor in vſus,
Ingratum quondam tua quum me arcana doceres.
7 *Ah Deus, hyſſopum hîc adhibe, & quæcunque tenaces*

Abſtergunt

Abſtergunt maculas : vt crimine purus ab omni
Emergam, penituſq́; ablutis ſordibus, ipſas
8 *Exuperem candore niues : fac nuntius aures*
Impleat vt melior, recreent fac gaudia mentem,
Ne ſemel abſorptis peream mœrore medullis.
9 *Iratos auerte oculos, potiuſq́; benignus,*
Multiplici dele contracta crimine labes.
10 *Tu mihi, ſumme opifex rerum, cor fingito purum,*
Et recti inſpira renouatum in pectus amorem.
11 *Ne me, ne miſerum, Deus, abÿce, néue repulſum*
12 *Afflatu ſancto ſpolia : quin certa ſalutis*
Gaudia reſtituas, vt qui me heroicus olim
Secreuit reliquis, porrò quoq; ſpiritus ornet :
13 *Quo duce fretus ego errantes per deuia multos*
Voce regam, mutatoſq́; in contraria flectam.
14 *Alme Deus, Deus, in quem tota mente recumbo,*
Ne meritas à me pœnas pro immanibus anſis,
Et tanta, heu miſerum, patrata cæde repoſce.
15 *Da potius lingua vt valeam fidibuſq́; canoris*
Te canere in veniam promptum, fideiq́; tenacem.
Os mihi tute aperi, tu dirige labra loquentis,
Vt tibi promeritæ perſoluant laudis honores.
16 *Ecce tibi non ara placet, non victima flammis*
In fumos abiens : alioqui hæc larga dediſſem,
Et pridem crebris oneraſſem altaria donis.
Sacra igitur meliora fero, quæ ſpernere nunquam
17 *O bone, conſueſti : deiectos nempe dolore*
Attritoſq́; animos, peccati & ſaucia ſenſu
Pectora : triſte, vniq́; tibi medicabile vulnus.
18 *At tu conſueta pergas bonitate Sionem*
Complecti, ſelecta tibi dum mœnia ſurgant.
Tum nos ritè tibi ſolennia vota feremus,

Liba, merumq; simul, consecratumq; cruorem:
Fumabitq; tuum solidis altare iuuencis.

Psalmus quinquagesimus secundus παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi quinquagesimi secundi.

Occasionem huic Psalmo scribendo præbuit, vt Hebraica inscriptio testatur, immanis illa crudelitas, quam Doego suggerente, Saul aduersus innocentes sacerdotes exercuit, quæ historia describitur 1. Reg. 21. Hoc autem accepto nuntio facilè coniici potest quanto in dolore versatus fuerat Dauid, tum ob singularem ipsius pietatem, tum quòd occasionem huic cædi præbuisse quodammodo videretur. Itaque hoc Psalmo aduersus illum sceleratissimum delatorem scripto sese consolatur, primùm quidem illi iustum Dei iudicium denuntians, deinde sese & vniuersum piorum cætum illa Sacerdotum cæde procul dubio magnopere perculsum confirmans certa promissionum diuinarum fide, quibus Ecclesiæ incolumitas nititur: ac postremò gratias agens Deo quòd ipsum tanto periculo eripuisset. Est autem hic Psalmus maximæ nũc quoque vtilitatis, quum nunquam desint principes qui omni crudelitatis genere pios in primis Ecclesiarum pastores persequantur, & adulatorum magnus semper fuerit numerus qui rabiem illorum variis criminationibus incenderent: cuius sceleris tristissimum exemplum illo etiam antiquo crudelius, proximis annis in Galliæ Regno vidimus.

Eiusdem Psalmi quinquagesimi secundi.

PARAPHRASIS

1 TENE verò, (virum scilicet strenuum qui tot inermes nec repugnantes occideris) audere etiam de tuo isto tam immani scelere gloriari? at qui nihilominus piorum cætum nunquam destruxeris, pro cuius incolumitate Deus ille Opt. Maxi. quotidie

INTERPRETATIO.

1 QVorsum gloriaris de scelere ô strenue? bonitas Dei est quotidiana.

2 Noxas

excubat.

2 *In eo igitur totus es, sceleratè, vt criminationes comminiscaris: & nouas artes excogites quibus instar acutæ nouaculæ pios ex improuiso iugules.*

2 Noxas cogitat *tua* lingua tanquam nouacula acuta fabricans impoſturas.

3 *Præ improbitate sordet tibi omnis integritas, & omni neglecta iustitia fallacijs incumbis.*

3 Diligis malitiam præ bonitate: fallaciam quàm loqui iuſtitiam.

4 *Calumnias cupidè exquiris quibus innocentes absorbeas, & linguam ad fallendum sollicitè exerces.*

4 Diligis omnia verba abſorptionis: linguam fraudulentam.

5 *Et hæc impunè te laturum putas? Imo te iustissimus ille Deus prorsus destruet, te, inquam, ex isto tuo tabernaculo in quo nunc tibi tam securè places abreptum euellet, atque adeò radicitus tollet.*

5 Etiam Deus deſtruet te prorſus: abripiet te, & euellet te ex tabernaculo, & eradicabit ex terra viuentium.

6 *Tum verò sicut perdendis innocentibus teipsum oblectasti, ita illi iustas de te pœnas sumentem Deum considerantes, illum quidem reuerebuntur: te verò meritò his verbis deridebunt.*

6 Et videbunt iuſti & timebunt & te irridentes *dicēt*.

7 *En istum qui perinde ac sibi ipsius vita ab vnius Dei robore non penderet, magnis suis opibus fretus, sese sua improbitate tutum & ab omnibus periculis immunem futurum est opinatus.*

7 Ecce iſtum *qui* non ſtatuit Deum fortitudinem ſuam: & confiſus eſt in multitudine diuitiarum ſuarum, roboratus eſt in nocumento ſuo.

8 *At ego, quem tu præcipuè perditum cupis, perstabo instar virentis oliuæ in illa ipsa ade Domini cuius tu ministros*

8 Ego tamen *ero* ſicut olea viridis in domo Dei: ſpero in bonitate Dei in ſeculum & perpetuò.

trucidaſti: quia fallere me nõ poteſt illa Dei bonitas omnibus ſeculorum ſpatijs immota, cuius firmitate nitor.

9 *Celebrabo te certè, Deus, perpetuò, qui me admirabiliter ex iſto diſcrimine eripuiſti: & quacunq; ſuperuenient, aquo animo expectabo, dum auxilium feras, quod ijs nunquam defuit quos in gratiam tuam recepiſti.*

9 Celebrabo te in perpetuũ quia *tu hoc* feciſti, expectábo nomen tuum: quia bonum eſt coram acceptis tuis.

Idem Pſalmus quinquageſimus ſecundus tetracolos diſtrophos. Duo priores verſus ſunt Iambici dimetri anacreontij catalectici.

⏑– ⏑– ⏑– ⏑
– –
– ⏑⏑

Tertius & quartus eſt Trochaïcus dimeter acatalecticus.

– ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– –

1 *IMprobe quid inſoleſcis?*
Scelere quid intumeſcis?
Nanque firmus permanet
Vſque numinis fauor.

2 *Noctes diéſque linguam*
Acuis dolos in omnes,
Inſtar vt nouaculæ
Inſcientem vulneres.

3 *Sceleris amator omnis,*

Virtutis

Virtutis oſor omnis,
Falſa cuncta comprobas,
Vera cunctareïcis.
4 *Quot ore verba fundis,*
Tot ore damna fundis,
Tot vomis voragines,
Quæ bonos abſorbeant.
5 *At tu miſer viciſſim*
Dei manu peribis,
Iſta nam te deſtruet,
Eruetq́; funditus.
Hic te tuo latentem
Vmbraculo reuellet:
Teq́; totum peſſimè
Subruet radicitus.
6 *Omnes ad hæc vereri*
Iuſtum Dei tribunal,
Hiſq́; cunctis cladibus
Sic tuis illudere.
7 *En (inquient) ſceleſtum,*
Opibus doliſq́; fretum,
Omne ſuetum ſpernere
Robur olim numinis.
8 *At ego domus ſacratæ*
Stabo virens oliua,
Firmus vnius Dei
Perſtiturus robore.
9 *Sic te vſque & vſque fel*
Deus, canam perennè,
Cuius iſta robore
Tam beatè ceſſerint.
Et dum vocatus adſis,

Quidnis feram quietus,
Ceu tui solent suo
Factitare commodo.

Psalmus quinquagesimus tertius

Διδαχικός.

Argumentum & vsus Psalmi quinquagesimi tertij.

Idem est hic Psalmus,& totidem verbis scriptus atque decimus quartus, excepto versiculo penultimo. Itaque argumentum inde petatur.

Eiusdem Psalmi quinquagesimi tertij.

PARAPHRASIS.

1 *VSque adeò vesanos esse homines vt sibi tandem persuadeant Deum nullum esse ex eo constat quòd omnes sunt depravati, omnes sese reddunt execrabiles, & ne vnus quidem eorum rectè vitam instituit.*

2 *Iehoua ipse quem nihil latet, è cælo contemplatus homines, vt videret ecquis ipsum nosset ac requireret,*

3 *Comperit omnes ab ipso deflexisse, omnes fœtêre, & ne vnum quidem esse qui rectè vitam instituat.*

4 *An non verò prorsus insaniunt isti scelerati, populũ Deo consecratum vorantes tanquam panem, & Iehouam nõ inuocantes?*

5 *Verùm tempus erit quum hoc ipsũ eos perterrebit, quod nũc minimè omnium timent. Deus enim ita cadet eos qui aduersum populum ipsius castrame*

INTERPRETATIO.

1 DIxit insanus in corde suo, Non est Deus, Corrupti sunt: abominabiles facti sunt studio: non est qui bene agat.

2 Iehoua ex cælis prospexit super filios hominum, vt videret an esset aliquis intelligens,& requirês Deũ.

3 Omnes deflexerunt, simul fœtent,non est qui bene agat,ne vnus quidem.

4 Nonne intelligentia carent omnes isti scelerati vorantes plebem meam *sicut* vorant panem, & Iehouam non inuocantes?

5 Illic trepidabunt trepidatione vbi non fuit timor. Deus disperget ossa castrametantium contra te: & tu pudore afficies illos, quo-

tati sunt, vt etiam ossa illorũ sit confracturus. Tu, inquam, illos ignominia inuolues, quoniam Deus ipsos viles & abiectos reddet.

quoniam eos Deus cõtẽptibiles faciet.

6 *Sed ô vtinã liberator ille promissus Israeli ex Sione prodeat. Nam tum demum Iacob exultabit, & tunc Israel in latitiã soluetur, quum captiuos suos Iehoua reduxerit.*

6 Quis dabit ex Sion salutem Israelis? vbi reduxerit Iehoua captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israel.

Idem Psalmus quinquagesimus tertius, dicolos distrophos vt decimus quartus.

1 *O Quo non homines furor abripis? impius ecce*
Omne tacitus numen negat,
Hinc vitia, hinc quæcunq; homines teterrima parant,
Vt sit bonus ne vnus quidem.

2 *Ipse Deus summa cæli qui considet arce,*
Et inde cuncta despicit,
Scrutatus sapiens tot tandem ex millibus ecquis
Studiosus esset numinis,

3 *Defeciſſe omnes, omnes ad turpia ferri,*
Vah, vsque ad vnum comperit.

4 *Et mox, Quisnam, inquit stupor, hic qui panis ad instar*
Meos vorant crudeliter,
Nec scelus hoc nouisse suum, nec numinis iram
Me deprecari supplices!

5 *Atqui tempus erit quum vos trepidabitis, illo*
Quod spernitis perterriti.
Illorum siquidem robur Deus omne retundet,
Nec parcet ipsis ossibus,
Qui te collectis oppugnant viribus, ipsi
Gens ô sacrata numini.

Quinetiam his olim probris videbis opertos,
Quæ machinati sunt tibi.
6 *Ah quando tandem promissa ex arce Sionis*
Salus tua aderit, Israel?
Namq, vbi compedibus vinctos exire solutis
Tuos supreme iusseris,
Gaudia tunc liber testabere voce Iacobe,
Tunc Israel lætabere.

Psalmus quinquagesimus quartus

ἐυκτικός.

Argumentum & vsus Psalmi quinquagesimi quarti

Scripsit hunc Psalmum Dauid quum à ziphæis proditæ essent Sauli ipsius latebræ, quod discrimen, præter ipsam proditionis circunstantiam, quantum fuerit intelligitur ex 1. Sam. 23. 19. Quum enim bis proditus fuerit à ziphæis, malo hunc Psalmum ad priorem proditionem referre. Prodest autem magnopere intelligere non modo sanctos & Deo charissimos homines in hæc vltima pericula incidere, ab ijs quoque intentata à quibus minimè oportuit, sed etiam quàm admirabiliter fuerint conseruati, & quæ vicissim eorum fides, ac constantia fuerit: vt sciamus de cruce non esse disputandum otio sè, & velut in vmbra, sed fidis pastoribus eadem expectanda ab ipsis quoque domesticis certamina, sicut præsente hoc seculo experimur: & tamen neque temerè, hæc euenire, neque à Deo deseri quos videtur hostium libidini exponere.

Eiusdem Psalmi quinquagesimi quarti.

PARAPHRASIS.

1 *TV ipse Deus serua me, tu me innocentem asserе robore tuo, quem alioqui seruare nullus mortalium possit.*

2 *Audi, Deus, preces meas, attende verbis quæ ore ipso effundo.*

INTERPRETATIO.

1 DEus per nomen tuum serua me: & robore tuo vindica me.

2 Deus audi precationem meam: attende ad verba oris mei.

3 Nam

2 *Nam, vt tu vides, hinc quidem degeneres isti, & sui meique obliti proditores aduersum me insurrexerunt, inde verò me ad necem quærunt homines prorsus immanes, & de nulla re minus quàm de tuo numine cogitantes.*

3 Nam alieni insurrexerunt aduersus me, & formidabiles *homines* quærũt animam meam: *qui* non posuerunt Deum in conspectu suo.

3 *Sed absit vt propterea animũ abijciam. Nam Deus est mihi propugnator, & illu adest quos innocentia mea fautores mihi excitauit.*

4 Ecce Deus auxiliator *est* mihi: Dominus *est* inter sulcientes animam meam.

4 *Insidiæ istæ in me comparatæ recident profectò in istorũ caput: te nimirum, quum fidem tuis datam fallere nec velis nec possis, illos succidente.*

5 Rependet malum insidiatoribus meis: veritate tua succide illos.

5 *Ego verò liberatus, spõte promissa tibi vota sacrificãs persoluam: & tuas, quum te vno nihil sit melius neque beninius, laudes celebrabo.*

6 Voluntariè sacrificabo tibi: celebrabo nomen tuum Iehoua quoniam bonũ est.

6 *Quoniam videlicet eruerit me ex omni angustia, & his meis oculis hostes meos videro iustis supplicijs affectos.*

7 Nã ex omni anguſtia *Deus* eruit me: & in hoſtibus meis vidit *quod iuſtum eſt* oculus meus.]

Idem Psalmus quinquagesimus quartus monocolos, carmine Trochaico dimetro catalectico, vt Psalmus vicesimus tertius.

1 *AH tuo me numine*
Tu Deus mi, libera,
Tu, tua me dextera,
O Deus mi, vindica.

2 *Tu preces audi meas,*
Tu loquentem percipe,
Méque sæuis erue
Exterorum copijs.

3 *Ecce formidabilis*
Vrget hostis vndique,
Cura quam tangit tui
Nulla prorsus ruminis.

4 *Ecce contra mi Deus*
Totus abs te pendeo,
Tu malis tot obrutum
Sustinentes sustine,

5 *Tu par par, vefferes*
Nempe sæuis hostibus,
Quos, fidem tuam vt probes,
Erues radicitus.

6 *Alacri tunc pectore*
Sacra persoluam tibi:
Tunc benignum, tunc bonum
Te, Deus mi, concinam.

7 *Liber ex angustijs,*
Lustra lætus intuens
Improbos proteruiæ
Ferre tantæ præmia.

Psalmus quinquagesimus quintus

ἐυκλικὸς.

Arg.

Argumentum & vſus Pſalmi quinquageſimi quinti.

Siue hunc pſalmum dicamus reſpicere ad Keilitarum perfidiam quæ deſcribitur 1. Sam. 23. ſiue potius pertinere ad fugam Dauidis à filio Abſolomo expulſi, quod videtur prorſus congruere cum his verbis Dauidē linguam eorum, & cum iis quæ de perfidia cuiuſdam tacito nomine commemorat ſicut ſcribitur hæc hiſtoria, 2.Sam.15.31. & 16.23. & 17: idem eſt argumentum & idem vſus huius Pſalmi atque ſuperioris. Et quod ad imprecationes attinet, non fuiſſe profectas ab animo vindicandæ priuatæ iniuriæ cupido apparet ex ea clementia qua vſus eſt Dauid eo ipſo tempore aduerſus Saulem, vt ſcribitur 2. Sam. 16. & aduerſus filium quantumuis ingratum & ſummè ſceleratum 2.Sam.16.18. Deinde ſi quis huius coniurationis auctorum ac præcipuè Achitophelis ſcelera diligenter conſideret, comperiet Dauidem non temere preces iſtiuſmodi effudiſſe, ſed tanquam aduerſus homines ſpei prorſus deploratæ, quas etiam totidem propheticas fuiſſe prædictiones exitus ipſe comprobauit.

Eiuſdem Pſalmi quinquageſimi quinti.

PARAPHRASIS.

1 *AVſculta nunc, Deus, ſi vſquam aliâs, preces meas: neque me ſupplicantem refuge.*

2 *Attende, inquam, mihi, & exaudi me tantopere perturbatum, vt meipſum lamentādo huc & illuc verſare & mirè agitare cogar.*

3 *Nam, quid nō mihi minatur aduerſarius? quid non ad me opprimendum iſte impurus molitur? quanta vi & quibus odiis accenſus in me impetum facit?*

4 *Itaque cor intus mihi palpitat, & mortis præſentiſſima terroribus percellor.*

INTERPRETATIO.

1 AVſculta Deus precationem meam: & ne te abſcondas ab oratione mea.

2 Intēde mihi & exaudi me, plangam in querela mea, & tumultuabor

3 Propter voces inimici, propter oppreſſionem impii: quia deuoluunt ſuper me iniquitatē, & in ira aduerſantur mihi.

4 Cor meum contremiſcit intra me, & terrores mortis ceciderunt ſupra me.

5 *Totus, inquam, præmetu cõtremisco & cohorresco.*

5 Timor & tremor venerunt in me, & operuit me horror.

6 *Denique in hæc verba cogor prorũpere. Eheu, quis mihi vndique obsesso alas tanquã columbæ addiderit, quibus avolem & alicubi cõquiescam?*

6 Et dixi, quis mihi dabit alas sicut columbæ? avolarem, & quietem caperem.

7 *Ecce, quàm longissimè discederem, neque facerem fugiendi finem, donec in desertum ibi pernoctaturus pervenirem.*

7 Ecce, procul discederem, & commorarer in deserto.

8 *Denique celeritate summa tanta istì tempestati memet eriperem.*

8 Accelerarem euasionẽ mihi ab *hoc* vento vehemente & à tempestate.

9 *At tu, Domine, absorbe illos, & move inter illos discordiam, turbatiõ ipsorum consilijs & congressibus, sicuti meretur ipsorum scelus. Quu enim est illius miserrima nunc vrbis status? omnia certè nunc illic iniuriarum & rixarum plena sunt.*

9 Absorbe *illos* Domine, divide linguam eorum: nam vidi iniuriam & lites in vrbe.

10 *Tales sunt illorum mores qui nunc dies & noctes illius mœnia, præclarè scilicet, custodiunt. Intus nihil præter mutuas oppressiones & molestias auditur.*

10 *Quæ* die ac nocte circumdant super muros eius: & iniquitas & molestia *sunt* in medio eius.

11 *Sceleribus omnia oppleta, plateas doli & fraudes obtinent.*

11 Noxæ *sunt* intra eam, neque discedit à platea eius fraus & dolus.

12 *Deinde, quod omnium acerbissimum est, hanc gravissimam iniuriam non infert mihi quispiam quicum inimicitias exercuerim, quod si ita esset æquo animo tolerarem:*

12 Enimuero non inimicus probro affecit me, nam *id* sustinerem: non aduersarius *aliquis* meus extulit se in me, nam abscondissem me ab eo.

13 Sed

non, inquam, ita violenter in me insurgit apertus hostis, a quo mihi cauere studuissem.

13 Sed tu collega meus, tu cuius consilijs regebar, tu mihi familiarissimus.

14 Quicum cõsilia capiebam, qui mihi ad ipsam adem Domini procedenti latus cingebas.

15 Mors igitur superueniens pœnas de istis exigat, & viuos nec opinantes sepulchrum absorbeat, quandoquidem toti ut sceleribus penitus scatent.

16 Ego verò ad Deum vociferabor, & me nimirum Iehoua seruabit.

17 Vespere, inquam, & mane & meridie precari & obstrepere non desinam, donec exaudiar.

18 Et certè iam mihi videor liberatus, & in integrum restitutus, quãtumuis isti nec pauci nec imbecilles asperum mihi bellum moueant.

19 Audiet enim me Deus profectò & istos opprimet, vt qui iam inde ab initio sederit mũdi iudex: quum præsertim isti sui similes esse pergant, & omnem Dei timorem abiecerint.

20 Sceleratus enim ille adortus est eum à quo nullam vnquã iniuriam accepit, & summa perfidia reus tenetur.

21 Nam verba quidẽ eius quam butyro mitiora videbantur, sed nihil nisi bellum in-

13 Sed tu homo ordinis mei, dux meus, & familiaris meus.

14 Qui simul dulce capiebamus consilium: & in ædem domini ibamus vt socii.

15 Irruat mors super eos, descendant in sepulchrũ viui: quia peruersitates *sunt* in habitaculo eorum, in medio eorum.

16 Ego *verò* ad Deum clamabo: & Iehoua seruabit me.

17 Vespere & mane & meridie orabo & strepitum edam & audiet vocẽ meam.

18 Redemit in pace animam meam à prælio *quod* mihi erat, quoniam multi fuerũt contra me.

19 Audies *me*, Deus, & affliges eos, vt qui sedeas ab initio: quia non sunt mutationes ipsis, & non timẽt Deum.

20 Misit *iste* manus suas in paces suas: violauit fœdus suum.

21 Mitia erant supra butyrum verba oris eius, sed præliũ *erat* in corde ipsius; mol-

tus fouebat: & eius sermones dixisses oleò dulciores, quum tamen de lethali vulnere mihi infligendo cogitaret.

22 Agedùm igitur, animula mea, cur te diutius excrucias? totum istud in Iehouam exonera tibi prospecturum, neque vt innocens perpetuò iaceat prostratus, passurum.

23 Itaque tu, Deus, istos in foueâ sepulchri consumendos praecipites dabis. Homines enim fundendi sanguinis auidi & perfidiosi ex medio vita cursu abripientur. Ego verò ad te perfugiam.

liores erant sermones eius oleo, sed ipsi erant vulnera.

22 Proiice super Iehouam onus tuum, & ipse prospiciet tibi, neque permittet vt in aeternum agitetur iustus.

23 Tu igitur Deus, praecipitabis eos in foueam sepulchri: homines enim sanguinarij & fraudulenti non dimidiabunt dies suos. Ego vero me ad te recipiam.

Idē Psalmus quinquagesimus quintus, monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo, vt secundus.

1 AVdi me Deus aequa postulantem,
Nec me despice iusta flagitantem,
2 Respondē potius mihi roganti,
Fundentique animi graue æstuantis
Permixtas gemitu petitiones.
3 En me voce minax lacessit hostis,
In me pessima quaeque machinatus:
Idq; vnum rabidus studens agensque
Vnum vt in caput hocce prouolutis
AErumnis semel obruar sepultus.
4 Corde intus pauido tremisco totus,
Mortis attonitus metu ingruentis.
5 Tremo, inquam, trepido, horreóque totus,
Magnitudine victus vt doloris.

6 Effun-

6 *Effundam miser hos subinde questus,*
Eheu quis misero mihi citatæ
Pennas addiderit velut columbæ,
7 *Quibus fretus ego avolans quiescam,*
Desertásque procul petens latebras,
8 *Huius effugiam impetum procellæ?*
9 *Horum, mi Deus, obsecro impiorum*
Frange consilia, vt ne huius iste,
Neque hic istius audiat loquelas,
10 *Quorum compita personant tumultu,*
Rixis, conuitiisque, iurgijsque
Quorum mœnia Visque Liſq; cingunt,
11 *Quorum per plateas, per angiportus*
Regnant fraúsque, dolúsque, prauitásque
12 *Testatur satis vt supérque cunctis*
Harum auctor mihi qui molestiarum.
Namque nec fuerat mihi hostis ille,
Cuius exciperem irruentis ictus,
Nec me odisse prius scelestus ille
Visus, cuius ego antea cauendas
Censerem mihi machinationes:
13 *Immò tu improbe, tu diu, sceleste,*
Vixisti mihi compar & sodalis,
14 *Tu me consilijs tuis regebas,*
Quîquum seria cuncta sacra cuncta,
Olim improuidus ecce diuidebam.
15 *Mors ergò subito incidat scelestis.*
Imò absorbeat ipsa terra vivos.
Quibuscum improbitas scelúsque fixas
Elegêre sibi domos, vt vnâ
Cunctorum exitio excubent bonorum
16 *At te, mi Deus, interim precabor:*

Et tu me, Deus, audies vicissim,
17 *Nunc sera tibi nocte supplicantem,*
Nunc prima quoque luce te rogantem,
Et rursum medio die vocantem.
18 *Sic me quem premit hostium caterua,*
Bellorum semel erutum procellis,
Portu constitues, Deus, quieto,
19 *Annuénsque mihi vt prius solebas,*
Solues præmia quæ merentur istis.
Tu quippe es similis tui vsque & vsque,
Et illi similes sui vicissim,
Omne, temnere numen obstinati:
20 *Nam quid perfidus iste non patrarit,*
Suis exitium struens amicis?
21 *Lingua blanditias meras profundit*
Ipso vel butyro suauiores,
Alto bella fremens nefanda corde:
Imò balsama spirat ore toto,
Quum iam tela ferox acuta vibret.
22 *Tu verò mi anime, ista nil moratus*
Omnes in Dominum repone curas,
Cuius est miseros leuare munus,
Nec prorsus sinere opprimi iacentes,
Pressos quanlibet vndiquâque iustos.
23 *In te denique mi Deus, recumbo,*
Istos precipites neci daturum.
Nam qui sanguine fraudibúsque gaudet,
Immanis, placidæ beata mortis
Huic nunquam reserat fores senectus.

Psalmus quinquagesimus sextus

ἐυχλινὸς.

Argumentum

Argumentum & vſus Pſalmi quinquageſimi ſexti.

Inſcriptio Hebraica ſignificat Dauidem à Philiſtæis interceptum inde huius Pſalmi ſcribendi argumentum ſumpſiſſe: quæ Hiſtoria narratur 1.Sam. 21. Sed hoc apparet ex Pſalmi contextu ſic accipiendum, non quaſi inter Philiſtæos verſans & inſaniam ſimulans has interea preces effuderit, aut quaſi quæ hic dicũtur aduerſus Philiſtæos torſerit, ſed potius quòd ab hoc tanto periculo liberatus, apud Deum ſit conqueſtus de Saule & ipſius ſæuitiæ adminiſtris, quorum vim & inſidias vt vitaret in tantum diſcrimen incidiſſet. Vtcunque ſit, præbet nobis hic quoque Pſalmus ſingularis fidei ac conſtantiæ exemplum, præſertim conſiderantibus perſonam ipſam Dauidis, & ex quãto faſtigio nulla ſua culpa in tam miſeram cõditionem fuerit deturbatus.

Eiuſdem Pſalmi quinquageſimi ſexti.

PARAPHRASIS.

1 *EHeu, mi Deus, miſerere hominis omnium calamitoſiſſimi. Quantulum enim abfuit quominus iſte me abſorberet? quinetiam ne nũc quidem quaſi me deuoraturus obſidere me & in anguſtias redigere deſiſtit.*

2 *Iſti, inquam, quocunque pedẽ moueo quàm diligentiſſimè obſeruantes, quotidie me animo deglutiunt, & magna me turba oppugnant, ô Deus excelſe.*

3 *Nihilominus quoties me timor aggreſſus eſt, ad te perfugio.*

4 *Et quid ni de eo quod tu mihi locutus es confidenter glorier? Itaque in te, Deus, confido, nec quicquam reformida-*

INTERPRETATIO.

1 MIſerere mei Deus nã iſte me abſorbet, & quotidie me vorans coarctat me.

2 Sorbent me obſeruatores mei quotidie: certè multi belligerãtur aduerſum me, ô *Deus* excelſe.

3 *Tamen* quoties timui ego in te ſperaui.

4 In Deo laudabo verbum ipſius in Deo confido, non timebo. Quid fecerit caro mihi?

bo. Quid enim aduersum me mortales isti possunt Dei robore ac beneuolentia mihi testata fretum?

5 Quotidie in hoc toti sunt vt quicquid ago, dico, vel facio detorqueãt, & inde mei perdendi atque calumniandi occasionem arripiant.

5 Quotidie verba mea torquent: aduersus me sunt omnes cogitationes eorum ad nocendum.

6 Coëunt occultè, ipsos talos meos suis vestigijs premunt, id vnum quærentes vt mihi vitam eripiant.

6 Congregantur, occultãt se calcaneos meos obseruãt, expectantes animã meam.

7 Et ipsi quidem sperant sese nihilominus suis artibus manum tuam euasuros. At tu Deus istos quantumuis multos & inter se coniuratos disjice.

7 Super iniquitate euasio ipsis: in ira populos deijce Deus.

8 Omnes illas discursationes meas scio te habere in numerato: lacrymas meas in vtres tuos, quaso, recollige. Sunt enim, vt confido, in commentarios tuos relata.

8 Discursationes meas numerasti, pone lacrymas meas in vtre tuo: nonne in commentario tuo sunt?

9 Itaque quotiscunque te inuocauero, terga vertent inimici mei. Nam hoc certò scio, te à partibus meis stare.

9 Tunc vertẽtur inimici mei retrorsum, quo die clamauero: hoc noui, quòd Deus sit mecum.

10 Habeo enim Dei verbum de quo glorior: Dei verbum, inquam, de quo gloriabor.

10 In Deo laudabo verbum, in Iehoua laudabo verbum ipsius.

11 Itaque Deo fretus quid reformidarem, & quid posit aduersum me quisquam mortalium.

11 In Deo confido: nihil timebo. Quid fecerit mihi homo?

12 Hæc verò tot tantaque beneficia quantopere me tibi obstringunt? Persoluam autem tibi quod vnum possum, assi-

12 Super me Deus vota tua, soluam laudes tibi.

13 Quia

dum videlicet tua benignitatis prædicationem.

13 Vitam enim meam ex ipsis præsentissimæ mortis faucibus eripuisti, & me prostratum erexisti, vt quòd hanc lucem adhuc aspicio vni tibi acceptam feram.

13 Quia liberasti animam meam à morte, & pedes meos a præcipitio: vt ambulem corã te Deus, in luce viuorum.

Idem Psalmus quinquagesimus sextus, dicolos distrophos, vt primus.

1 *EN iste me immanis vorat, tu me Deus*
Serua voratum centies.
2 *Nam turba miserum vt ista me totum opprimat,*
3 *Spes attamen vincit metum.*
4 *Meq; vna vocibus tuis fretum fouet,*
Mortalium immotum minis.
5 *Calumniantur, moliuntur quidlibet,*
Sæuum & nefandum quanlibet.
6 *Coeunt, & vnà callidi insidias parant,*
Vnius intenti in necem.
7 *Imò & sceleribus improbi fidunt suis.*
Quum tu integros populos domes.
8 *Quot passuum confecerim exul millia,*
Recensuisti sedulò:
Quotcunque fudi lacrymas: vt re abditas,
Chartis q; signatas tenes.
9 *Tu mecum es ô Deus, preces vt fudero,*
Terga iste vertet territus.
10 *Verbum tuum Deus, tuum verbum Deus,*
Hoc illud est quod prædico.
11 *Hoc illud est quod me vsque & vsque sustinet,*
Mortalium immotum minis,

12 *Promissa tibi vota ecce soluo obnoxius,*
Laudisq́, cædo victimam.
13 *Præceps prohibitus ingredi mortis specum,*
Vluas vt inter ambulem.

Psalmus quinquagesimus septimus

ἐυκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi quinquagesimi septimi.

Periculum aliud longè maximum, & superiori proximum quod describitur 1. Sam. 24. præbuit argumentum huic Psalmo, ex quo nobis colligendum est in Dei manu positum esse, non modò quàm grauibus, sed etiam quàm diuturnis ærumnis, & quidem per sceleratissimos homines, velit seruos suos exercere: ac proinde vt fidei sic quoque perseuerantiæ donum assiduis precibus petendum. Alioqui psalmus iste eiusdem est vsus atque superiores aliquot, simili prorsus occasione scripti.

Eiusdem Psalmi quinquagesimi septimi.

PARAPHRASIS.

1 *NVnc demum tempus illud est Deus, quo vel de me actum est, vel oportet vt me respicias. Itaque miserere, miserere, inquam, mei Deus, Nam in te vno animus hic meus confidit, & ad te vnum confugio sub cuius alarum vmbra tantisper dum ingentes ista calamitates prætereant, delitescam.*

2 *Ad te vociferor, Deus excelse: ad te, Deus, vt quod in me capisti perficias.*

3 *Et ita futurum est profectò. Mittet enim Deus è cælo auxilium quod in terris nusquã inuenio, neque me sic tur-*

INTERPRETATIO.

1 MIserere mei Deꝰ, miserere mei, quia in te confidit anima mea, & sub vmbra alarum tuarũ protectionem quæro, donec tranſeat calamitas.

2 Clamabo ad Deum excelsum, ad Deũ qui opus perficiat pro me.

3 Mittet è cælo & seruabit me *ab* opprobrio absorbẽtis me: mittet Deus clemẽtiam suam & veritatẽ suam.

4 Anima

piter absorberi patietur: aderunt cælitus mihi liberando emissa auxiliatrices dux indubitè, nempe ipsius Clementia, & summa illa Fides quam in præstandis promissis demonstrat.

4 Interea eccè me, fateor, hinc quidē leonū unguibus & longè crudelissimorum hominum immanitati: inde verò impudentissimorum accusatorū calumnijs expositum, quorū dentes sunt lanceis & sagittis pares, lingua quibusuis acutissimis gladijs nocentior.

4 Anima mea in medio leonum est iaceo inter incendiarios: inter homines quorum dentes sunt lancea, & sagittæ, & quorum lingua est gladius acutus.

5 At tu Deus, ostende te supra cælos ipsos residere, & facito vt gloria tua in vniuersō terrarum orbe prædicetur.

5 Exaltare super cęlos Deus, super omnem terram sit gloria tua.

6 Quocunque pedem moueo expansum est mihi intercipiendo ipsorum rete: iaceo veluti iam in terram deturbatus, foueam habeo ante oculos in quā sperant me præcipitem ruiturū. Sed aliter res cadet. Nam ipsi contra in illam ipsam cadent.

6 Rete parauerunt gressibus meis: incuruata est anima mea, foderunt coram me foueam: sed ceciderunt in eam.

7 Itaque iam toto corde, toto corde comparatus, te, Deus, celebrare, tum voce, tum fidibus gestio.

7 Paratū est cor meū Deus: paratum est cor meum, cātabo & Psallam.

8 Agedum lingua, agedum nablium & cythara mecū primo diluculo expergiscimini.

8 Excitare gloria mea: exurge nablium & cythara; excitabor diluculo.

9 Audient me gentes ipsa remotissima laudes tuas prædicantem, audient populi tibi psallentem.

9 Celebrabo te inter gentes: Domine psallam tibi inter populos.

10 Nam certè ad cælos vsque

10 Quia magna est vsque ad

bonitas tua ſeſe extulit, & ad nubes vſque veritas tua.

11 *Patefacito, Deus, te ſupra cælos ipſos reſidere, & gloriam tuam vniuerſo terrarum orbi demonſtra.*

cęlos bonitas tua: & ad nubes veritas tua.

11 Exaltare ſupra cęlos Deus, & ſuper omnem terram ſit gloria tua.

Idem Pſalmus quinquageſimus ſeptimus dicolos diſtrophos, vt primus.

1 *ADes ô miſericors Deus, ades clemens Deus,*
Nam totus abs te pendeo.
Alisq́; tectus acquieſco ſub tuis,
Turbo iſte dum deſæuiat,
2 *Appello te ô ſuperûm Pater: cuius manus*
Quod auſpicatur, perficit.
3 *Ah mitte cælitus latronum iniurias*
Et impetus qui comprimat.
Hinc me tua Deus protegat clementia,
Inde tueatur veritas,
4 *Poſitum leones inter, inter ignium*
Globos vomentes belluas.
Homines feros, lingua quibus eſt enſis vice,
Dentes ſagittæ & lanceæ.
5 *Attollere in cælos Deus, & illud tuum*
Fac emicet terris iubar.
6 *Quocunque tendo abſconſa tendunt retia,*
Vt vndique trepidus hæream.
At tu, Deus, fac vt ſcrobes iſti ſibi
Fodiſſe ſe ipſos ſentiant.
7 *Geſtit animus, geſtit animus & ore & lyra*
Sacris vacare cantibus.
8 *Inſurge lingua, & tu excitare barbitos,*
Et vos adeſte nablia,

9 *Vt*

9 *Vt te orbe toto luce prima, mi Deus,*
Fidibus & ore prædicem.
10 *Tua nanque bonitas celsa superat sydera,*
Nubésque tua scandit fides.
11 *Attollere in cælos Deus, & illud tuum*
Fac emicet terris iubar.

Psalmus quinquagesimus octauus

παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi quinquagesimi octaui.

Colligi potest ex hoc Psalmo Saulem, vt haberet quòd suis aduersus Dauidem odijs prætexeret, coegisse optimatum concilium, à quo illum absentem curaret vt publicum hostem damnandum. Nulla autem est grauior iniuria quàm quæ iuris specie grassatur. Dauid igitur seipsum consolans & ad Deum prouocans, suis coloribus corruptissimos illos iudices depingit, vt qui optimè illos nosset, simulque non tanquam priuatus, sed vt Propheta & Rex à Deo iam designatus, sententiam ipsius Dei nomine in eos pronuntiat. Vtitur autem similitudinibus maximè conuenientibus istiusmodi hominum auaritiæ & ambitioni. Quum enim sit illis in primis hoc propositum vt sese & suos his artibus euehant, tamen eos ipsos Deus sæpè in medio cupiditatum cursu abripit: & eorum prætereà soboles, contra quàm patres opinati sunt, vel sensim videntibus omnibus quasi colliquescit, vel repentino aliquo impetu aboletur.

Eiusdem Psalmi quadragesimi octaui.

PARAPHRASIS.

1 *DIcite, quæso, Senatores, si quid vobis superest conscientiæ, hoccine est quod iustum est decernere? an rectè vos iudicatis mortalibus sati, quantauis dignitate sitis præditi?*

2 *Nequaquam certè, quum vos*

INTERPRETATIO.

1 AN verè cõgregati iudices, quod iustũ est loquimini? *an* rectè iudicatis filij hominum?

2 Quin potius in corde ini-

res ipsa demonstret intus quidem iniustitia genus omne machinari, foris verò palam & in omnium oculis nihil præter iniuriam in bilance appẽdere.

quitates agitatis in terra violentiam manuum vestrarum appenditis.

3 *Neq; verò nunc primum hoc factitatis. Noui enim vos ab ipso exortu fuisse ab omni iustitia alienos, & ab ipso vtero ad omnem falsitatem natos.*

3 Alienati sunt impij *iam inde* à vulua: errauerunt ab vtero, loquentes mendacium.

4 *Turgent, inquam, isti veneno à natura ipsa illis haud secus atque serpentibus insito: neque sibi excuti virus istud vllis suasionibus patiuntur.*

4 Venenum ipsis secundùm similitudinem veneni serpentis: sicut aspidis surdæ *quæ* obturat aurem suam.

5 *Hac quidem in re aspidi similes quæ aduersus incantamenta quantumlibet peritorum magorum aurem obturat.*

5 Quæ non audit vocem incantantium, & coniurantis coniurationes peritè.

6 *At tu, Deus ad quem prouoco, immanium istorum dentes intra ipsorum ora erue, molares, inquam, leonum istorum contunde Iehoua, ne innocentem vorent.*

6 Deus destrue dentes ipsorum in ore eorum: molares Leonum contunde, Iehoua.

7 *Et ita profectò euenturum denuntio. Nam omnis istorum potentia instar aquæ defluens euanescet: & vt arcus totis viribus intendant quibus iustos configant, eorum sagitta pro certo in frusta dissilient.*

7 Sicut aquæ diffluent & abibunt, intẽdit sagittas suas, *sed sunt* tanquam se cõfringerent.

8 *Ad nihilum redigentur vt limaces in suis cochleis colliquatæ, & velut abortiuus fœtus, moriens & nascens simul.*

8 Quemadmodum limax liquefacti abibunt, & tanquam abortiuum mulieris quod non vidit solem.

9 *Posteri autem ipsorum, dignas nimirum patribus soboles, sicuti spinæ ex rhamno enatæ*

9 Antequam sentiant spinæ vestræ rhammum, velut vnium sicut ardore abripiet illum.

antequam in rhamnum adolescant, immatura morte, quasi vi turbinis abrepti disperdentur.

illum.

10 *Iusti verò iustum hoc Dei iudicium cernentes, & sceleratorum sanguine redundante tincti, exultabunt.*

10 Lætabitur iustus cum viderit vindictam: pedes suos lauabit in sanguine impij.

11 *Et dicet vnusquisq;, certe non ludit operam qui iustitia studet. Certe Deus est aliquis in terris quoque suum cuiq; tribuens.*

11 Et dicet vnusquisque vtiq; est fructus iusto: vtique est Deus iudicans in terra.

Idem Psalmus quinquagesimus octauus, dicolos distrophos, prior versus est heroicus: alter est Choriambicus, glyconius trimeter acatalecticus.

-- -⏑⏑ -⏑⏑

1 *DIcite mortales, reliquis mortalibus alto*
Qui ius dicitis ex throno,
Siccine cuiq; suum vos redditis? hoccine ius est
AEquis dicere legibus,
2 *At non corde malum potius versare superbo,*
Et librare manu scelus?
3 *Scilicet hos primo sceleratos finxit ab ortu*
Naturæ ipsius indoles,
4 *Serpentum similes, atro distenta veneno*
Longè colla quibus tument.
5 *Cantantem eludit ceu clausis auribus aspis,*
Ipso callidior mago.
6 *Ah Deus istorum malas dentesq; Leonum*
Crebris ictibus obtere.
7 *Hos, inquam, veluti humorem qui liquitur aruis,*

Dilabi penitus iube.
Fac quoties totis intendimus viribus arcum,
Nervus dissiliat retro.
8 *Arentique perit fracta ceu cochlea testa,*
fac vt sic pereant mali.
Siue tener qualis fœtus qui procidat aluo,
Nascens & moriens simul.
9 *Fac spineta prius quàm sint dumeta, ruente*
Conuulsa impete corruant.
10 *Tunc pangent iusti iniustorum cæde madentes*
Iusto carmina vindici.
11 *Et secum sic quisq; Manent sua præmia iustos,*
Est qui cuncta regat Deus.

Psalmus quinquagesimus nonus ἐυκτικὸς

Argumentum & vsus Psalmi quinquagesimi noni.

Scripsit hunc Psalmum Dauid. Domo ipsius obsessa Saulis iussu vt interseptus occideretur, vt habet Hebraica inscriptio. Narratur autem hæc Historia. 1. Sam. 19. & idem est huius Psalmi vsus atque superiorum similis argumenti. Sed insignem hanc habet sententiam inter alia, sæpe expedire vt Deus non vno momento sed sensim hostes Ecclesiæ retundat, vt eò sint illustriora & testatiora ipsius iudicia, cuius doctrinæ multiplex est vsus, frenandæ præsertim impatientiæ

Eiusdem Psalmi quinquagesimi noni.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Libera me à meis inimicis, mi Deus, & me quasi tua ipsius manu sublatum eripe istis qui in me insurgunt.*	1 Libera me ab inimicis meis, mi Deus & ab insurgentibus aduersus me erue me.
2 *Libera me ab istis in scelere & cade viuentibus.*	2 Libera me ab operariis iniquitatis: & à viris homicidis serua me.
3 *Nam ecce partim vita mea*	3 Quia ecce insidiantur animæ

insidiantur, partim aduersum me copias cogunt potentissimi quique, quamuis nulli sim culpa affinis.

mæ meæ: congregantur recte aduersus me potentes: nec *est* iniquitas *vlla* mea nec scelus meum, Iehoua.

4 *Concurrunt & aduersus insontem magis ac magis sese obfirmant. Animaduerte ista Deus, & mihi periclitanti obuius occurre.*

4 Me culpa carente concurrunt & se confirmant: excitare in occursum meum, & *ista* vide.

5 *Tu quaeso Iehoua, Deus ille cui superorum exercitus parent, Deus Israelis, excitare poenas de prophanis istis gentibus sumpturus, neq; istis parce vltrò ad omne scelus proiectis.*

5 Et tu Iehoua, Deus exercituum, Deus Israel, expergiscere vt animaduertas in omnes gentes: nec miserere omnium transgredientium inique.

6 *Siquidem postquam totum diem in me obseruãdo consumpserunt, reuersi ad vesperam, vrbis plateas instar canum latentes percurrunt.*

6 Reuertuntur ad vesperam: strepitum edunt vt canis & circumeunt ciuitatem.

7 *Deinde per noctu (tenebras quis enim, inquiunt, nos audiet?) conceptum mente scelus, nec aliud quàm caedem & sanguinem crepant, toti in me intercipiendum intenti.*

7 Ecce garriunt ore suo, gladij in labiis ipsorum: nam *inquiunt* quis audiet.

8 *At tu, Iehoua, ridebis ipsorũ minas, & omnes illos prophanos ludibrio habebis.*

8 Tu autem Iehoua ridebis eos: subsannabis omnes gentes.

9 *Certe istius robur à tuo nutu pendet. Itaque vt isti ad aedes meas excubant, ita vicissim tuam opem intentus obseruabo. Nam tu demum, ô Deus propugnaculum es mihi.*

9 Robur eius, *est* apud te, obseruabo *te* nam Deus arx mea est.

10 *Ipse nimirum tanta me benignitate adhuc complexus, preces etiam meas anteuer-*

10 Deus mihi gratuitò fauens præueniet me, Deus faciẽs videre me *iudicia sua* in ad-

tens, dabis vt aduersarios meos iustis pœnis affectos latus in tuear.

uersarios meos.

11 *Ne tamen illos (mi Deus) interfice, ne fortè populus iste quem mihi regendum destinasti, si tam repentè ipsos abriptas, vel istud iudicium tuum non animaduertat, vel id statim obliuiscatur: sed illos virtute tua disiectos dispergo, & ijs ipsis viribus quibus me tueberis, prosterne.*

11 Ne interficias eos: ne obliuiscatur populus meus: sed vagari fac eos virtute tua, & deiice eos *tu* clypeus noster, Domine.

12 *Certè ad eos sceleris coarguendos nullo alio teste quam ipsorum verbis opus est: fac igitur vt illa sua arrogantia conuicti dent tibi pœnas, siquidem nihil aliud habent in ore quàm execrationes & calumnias.*

12 Peccatum oris ipsorum sermo labiorum ipsorum: deprehendantur ergo in superbia sua: nam de execratione & mendacio verba faciunt.

13 *Tandem igitur vbi satis eos vt istiusmodi exemplo tui erudiantur, traduxeris, penitus illos absume, absume, inquã, iustissimè illo iratus, vt vsque ad extremos orbis terrarum fines intelligant cuncti te demum esse verum illum & vnicum Deum qui familiam Iacobi regis.*

13 Consume *eos* in furore, cõsume, ita vt non sint: & notum sit, quòd Deus dominator *sit* in Iacob, vsque ad fines terræ.

14 *Interea verò quid futurum est? nempe seruum tuum domi obsessum obseruaturi, vesperè reuersi, latrabunt vt canes, & per vrbem discursabunt ne quò euadam.*

14 Reuertentur ergo ad vesperam: latrantes vt canis, & circumibunt vrbem.

15 *Et canam quidem vbicunque poterunt captabunt: verum etiam si non inuenerint qui in-*

15 Vagabuntur ad comedendum: si non fuerint saturati, etiam pernoctabunt.

16 Ego

gluuiem ipſorum expleat, tamen, vt me intercipiant, apud aedes meas pervigilabunt.

16 *At ego potentiam tuam celebrabo, & mane tuas laudes pradicabo, vt qui me protexeris, & in extremo diſcrimine perfugium mihi fueris.*

17 *Etenim omne praſidium meum in te vno ſitum eſt. Itaq; quanquam nunc vndique circumuentus, fidibus laudes tuas pradicabo, qui me, ô Deus, cunus vnius gratuitæ bonitati ſalutem meam acceptam fero, in tuto collocaris.*

16 Ego verò cantabo potentiam tuam, & laudabo mane bonitatē tuam: quia fueris arx mihi, & refugium in die *qua fuit* anguſtia mihi.

17 Robur meum *eſt* penes te. Pſallam *tibi*: nam Deus arx mea *eſt* Deus mihi gratuitò fauens.

Pſalmus quinquageſimus nonus, dicolos diſtrophos, vt decimus quartus.

1 *ERipe me infeſtis, Deus, hoſtibus, atque iacentem*
Pollente ſurrige dextera.

2 *Tu me iſtis inquam ſceleratis eripe, tu me*
Ab his cruentis erue.

3 *Ecce etenim in caput hoc coniurauêre feroces,*
Seu vi opprimendum, ſeu dolo.
Atqui (tu teſtis Deus es) vaco crimine, nec cor
Mihi ſcelere vllo palpitat.

4 *Diſcurſant tamen, atque inſtant nil tale merenti,*
Vide iſta, & occurre, mi Deus.

5 *Iſacidûm Deus armipotens exurge, malarum*
Futurus vltor gentium.
Iſtos nec facilis venia dignare ſceleſtos,
Mandata qui ſpernant tua.

6 *Nanque illos videor ſera ſub nocte reuerſos*
Audire iam per compita

7 *Latrantes, cædesq́; meras toto one vomentes,*
Nam nos quis, ainunt, audiet?
8 *At tu istos olim stultos, adeoq́; furentes,*
Totius orbis incolas
Ridebis procul intuitus, cunctosq́; vel vno
Potens cachinno destrues.
9 *Nil sine te valet ille ferox quantumlibet hostis,*
Te proinde ab vno pendeo.
10 *Tu mihi præsidium, tu nostris ecce periclis*
Ibis benignus obuiam.
Tu facies quæ iure meis precor hostibus, ipse
Oculis rata aspiciam meis.
11 *Ne tamen hos perimas, gens ne mea fortè peremptos*
Oblita nesciat volens,
Ipse tua potius fractos virtute vagantes
Et huc & illuc dissice.
12 *Nanque crepant plenis ipsi sua crimina buccis,*
Ore omne fundentes nefas.
At tu illos tandem, vindex ô noster, in ipsa
Deprendito superbia.
13 *Absume hos tandem, toto, inquam, absume furore,*
Semelq́; dele funditus.
Cunctus vt agnoscat mundus vere esse Iacobi,
Numen nepotes quod regat.
14 *Ergo illi rursum sera sub nocte reuersi,*
Omnes vt vrbis angulos
Lustrarint auidè, ne quis tota vrbe recessus
Innoxio pateat mihi,
15 *Latrantes, vacuo mos est vt ventre molossi,*
Cœnas inibunt diuitum:
Et licet haud saturos, noctem traducere totam
Meam inuabit inuicem,

16 *At*

16 *Ast ego te fortem, te, prima luce, benignum,*
Te refugium meum canam.
17 *Nam mihi tu robur, Deus, es, te carmine semper*
Meum fatebor vindicem.

Psalmus sexagesimus εὐκτικός.

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi.

Inscriptio Hebraica declarat occasionẽ huic Psalmo præbuisse historiam quæ narratur . Sam. 8. & 1. Chro. 13. id est bellum gestum aduersus Assyrios & Regem Sophenes quos vt & vicinos omnes populos Dauid debellauit, sicut Prophetico Spiritu in hoc Psalmo prædixit. Nec enim pati videtur contextus vt post victorias illas scriptus dicatur. Discimus autem inter cætera ex hac precatione totius populi nomine scripta, etiamsi interdum quasi periisse Ecclesia videatur, sicut sæpe Iudicum temporibus, ac præsertim Saule interfecto accidit, Deum tamen fœderis memorem vexillum verbi sui postea sublimius quàm vnquam antea, excitatis heroico spiritu præditis hominibus erigere. Sed meminisse oportet ista nunc esse ad spirituales Ecclesiæ hostes potiùs quam aduersus armatas ferro copias referenda, quanquam aduersus istas quoque Deus suos tueatur.

Eiusdem Psalmi sexagesimi.

PARAPHRASIS	INTERPRETATIO.
1 *TV quidem Deus meritò nobis iratus, nos repulsos Philistæorum sæuitiæ exposuisti, atque adeò inter nos commisisti: nunc verò te rursum ad nos conuerte.*	1 DEus abiecisti nos, dissipasti nos, iratus fuisti redi ad nos.
2 *Nam quid non pertulimus? Ipsum profectò solum vsque adeò vt etiam fatiscens dehiscaret, concussisti. Nunc igitur ipsius ruinas exple, & emotum restitue.*	2 Contremiscere fecisti terram, dehiscere fecisti eam: cura rupturas eius, quia emota est.

3 *Feciſti vt durißima quæque nos, populus tuus, experiremur, & quaſi vertiginis poculum nobis propinaſti.*

3 Oſtendiſti populo tuo res duras, potaſti nos vinovertiginis.

4 *At tu nunc contrà, qua tua eſt benignitas, quum nobis ad te conuerſis vexillum tradas, & præeuntem nobis veritatem tuam, vt ducem ſequutos aciem educere nos iubeas.*

4 *Sed nunc* tradidiſti timentibus te vexillum, ad ſignũ attollendum coram veritate *tua.*

5 *Tuere dilectos tuos, exertaq́ dextera tua exanditos conſerua.*

5 Fac vt liberentur dilecti tui: ſerua dextera tua, & exaudi me.

6 *Et curnam̃, quæſo, an ita futurum ſit, ambigamus, Deo ex adyto ſuo nobis loquuto? Itaque totus iam de victoria certus exulto, Daturus enim eſt mihi Deus omnino vt debellatis hoſtibus regnum meum componam. Sichemitarũ igitur agros aſſignabo, Succothi conuallem dimetiar.*

6 Deus locutus eſt in ſanctuario ſuo: lætabor: diſtribuam Sichem: & vallem Succoth demetiar.

7 *Meo Gileado & Menaſſe trãs Iordanem pacificè, repulſis vicinis gentibus, potior. Ephraimus pars erit militiæ meæ potiſſima: penes Iudam iuris tribunal collocabo.*

7 Meus eſt Galaad, & meus Manaſſe: Ephraim robur capitis mei: Iuda legiſlator meus.

8 *Alienigena verò quantumuis feroces, ſeruiles operas mihi præſtabunt. Moabita, pelum abluendis meis pedibus ſubiçient. Idumeos iubebo exutos mihi calceos & in ipſorum caput proiectos attollere. Tu ſuperba Paleſtina triumphos & latas acclamationes mihi præparato, ſicut de nobis paulo ante triumphaſti.*

8 Moab olla lotionis mez, ſuper Edom proiiciam calceamenta mea: ad me Paleſtina iubila.

9 Sed

9 *Sed quo tandem duce tot munitissimas vrbes occupauero? & quibus viribus fretus vsq; in Idumæam peruenero?*

10 *Te nimirum duce, tuisq; vnis viribus fretus, mi Deus, quãuis nos antea repuleris, & nostris exercitibus praire diu recusaris.*

11 *Tu nobis igitur post tot annorum calamitates adesto. Vana enim est salus quæ ab hominibus expectatur.*

12 *Te solo freti, ô Deus, strenuè rem geremus. Hic vnus hostes nostros conculcabit.*

9 *Sed* quis adducet me in vrbes munitas? Quis deduxerit me vsque ad Edom?

10 Nonne tu Deus, *qui* repulisti nos: & non egrediebaris cum exercitibus nostris?

11 Auxiliare nobis à tribulatione nam vana est salus hominis.

12 Deo freti faciemus fortiter: & ipse conculcabit inimicos nostros.

Idem Psalmus sexagesimus, monocolos carmine phalæcio hendecasyllabo, vt secundus.

1 *O Qui nos Deus eheu expulisti,*
O qui nos Deus ecce dissipasti,
Iratus meritò, diuq; nobis,
Nunc tandem, posita benignius ira,
Nos vultu aspicito sereniore.

2 *Te tota intremuit fremente tellus,*
Egitq; insolitas hiulca rimas,
Ipsis nunc age tu medêre rimis:
Emotamq; suo loco repone.

3 *Duram heu trax imus asperamq; vitam,*
Amentes stupidiq; ceu profundo
Sepulti penitus iacent veterno,
Qui soporiferos bibêre succos.

4 *At tu nunc melior, tui timentes*
Signa efferre iubes, tuæq; tutos

Firmo subsidio ire verbatis.
5 *Vindex prodi igitur, Deus, tuorum*
Nostras nec rigidus preces repelle.
6 *Sed quid pluribus hîc opus, sacrato*
Quùm sit ex adyto Deus locutus?
Immò iam salio & triumpho totus.
Iam pingues Sichemæ tenemus agros.
Valles diuido iam Sucotianas.
7 *Mens iam Galaadus, ac Manasses,*
Tu robur Validi Ephraime regni,
Tu prætor mihi Iuda, tu lauanti
8 *Peluim subiicito mihi Moabe:*
Præbe tu mihi calceos Idûme.
Palæstina mihi para triumphos:
9 *Munitas sed enim quis vsque ad arces*
Quis me in culmina ducet vsque Idûmes?
10 *Nempe tu Deus, ille qui repulsis*
Nuper desieras præire nobis.
11 *Ergo nunc ades, atque tot periclis*
Tuos erue. nánque tota fallax
Est salus hominum vt libet potentum.
Te vero duce, te fauente fretis
12 *Nobis difficile est nihil futurum.*
Te te inquam duce, quanlibet superbus
Nostris sub pedibus iacebit hostis.

Psalmus sexagesimus primus εὐκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi primi.

Dauid exultans hoc psalmo declarat sicut perpetuum bellum est inter mundum & sanctos, Iacob. 4. 4. ita priorum beneficiorum recordatione perpetua spem sanctorum foueri, quoniam Dei decretum de conseruàdis suis non est (vt elegãter inquit Poeta quamuis veri numinis ignarus) παλιν ἀγοητον.

Sunt

Sunt tamen hîc nonnulla quæ singulari & minimè communi omnibus promissione Dei nitantur, veluti quæ de Regni fruitione & diuturna vita sibi Dauid pollicetur, Dei nimirũ verbo fretus vt scribitur Psal. 89. 11. & deinceps, & 130. 11. & plenissimè 2. Sam. 7. Sed nihilominus eousq; ad singulos sanctos ista spectant, vt certi sint in genere ἐυσέβειαν habere tũ præsentis tum futuræ vitæ promissiones, singularium euentorum cura in Deum reiecta. Deinde quod sibi promittit Propheta de regni sui æternitate, quum necessario, teste etiam nuntio cælesti Gabriele Luc. 1. 32. ad Messiæ, filij simul & domini Dauidis, regnum illud quod non est ex hoc mundo referatur certissimam Ecclesiæ & singulis eius membris consolationem in omnibus quantum libet grauibus & extremis ærũnis præbet, quia non nisi saluis subditis stare dignitas Regis potest.

Eiusdem Psalmi sexagesimi primi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *AVdi me vociferantem, quum sic poscat periculorum magnitudo & multitudo: & precibus meis attende.*	1 AVdi Deus clamorem meum: attende precationi meæ.
2 *Quantumuis enim procul a sanctuario tuo sim repulsus, & animum geram curis obrutum, nihilominus ad te clamo: flagitans vt nunc me in arcem illam subducas, quò nequeo vllis nisi tuis vnius viribus peruenire.*	2 Ab extremo terræ ad te clamabo: obtecto corde meo: in petram *quæ* sublimior est me, deduc me.
3 *Nam adhuc mihi fuisti certissimum perfugium, & arx aduersus hostem tutissima.*	3 Quia fuisti perfugium mihi: & turris valida aduersus hostem.
4 *Itaq; futurum prorsus confido vt qui nunc procul absum à tabernaculo tuo, in eo tamen rursum tandem collocer, & ibi sub alarum tuarum præsidio conquiescam.*	4 Habitabo in tabernaculo tuo in secula: protectionẽ quæram sub latibulo alarum tuarum.
5 *Nam tu, Deus, votis meis an-*	5 Quia tu Deus audiuisti vo

nuisti, & me populi sancti tui regem designasti.

6 *Quinetiam faciei, sat scio, vt prorogata Regi abs te designato vita, ætas illi quasi duplicata tribuatur.*

7 *Imò æternum erit hoc ipsius solium coram te. Sed ei, quaso, duos custodes adhibe quibus vnis innitatur, Clementiam videlicet & Veritatē tuā.*

8 *Ego verò restitutus nomē tuū perpetuò celebrabo, & vota mea quotidie tibi persoluam.*

ta mea: dedisti *mihi* hereditatē timentium nomen tuū.

6 Dies super Dies regis adiicies: anni eius *erunt* sicut ætas & ætas.

7 Sedebit in seculum coram facie Dei: clementiam & veritatem destina *qua* custodiant eum.

8 Sic psallam nomini tuo in seculum reddens vota mea quotidie.

Idem Psalmus sexagesimus primus, monocolos carmine Iambico dimetro catalectico.

1 *AVdi eiulantem, audi precantem,*
Audi animulam dolore pressam.

2 *Mundi vltimis, Deus, mi ab oris,*
Te rupis incolam remotæ
Clamoribus magnis vocantem,
Eoq́, duci postulantem:

3 *Nam tu mihi munimen & spes,*
Hostis fuisti aduersus iras,

4 *Tu vmbraculum mihi vsque tutum.*
Tu me hostis aduersus rapacis
Vngues aduncos, ceu tenellos
Ales fouet pullos sub alis,
Tueberis, Deus, latentem.

5 Tu

5 *Tu namque votis annuisti,*
Precantis, vltrò quum regendos
Mihi populos tui timentes
Deus supreme destinasti.
6 *Tu Regis ergo tibi sacrati*
Dies diebus secla seclis
7 *Adiunge, vt vsque & vsque firmus,*
Tua & fide & fauore nixus,
8 *Te voce prædicet sonora,*
Votisq; perpetuis celebret.

Psalmus sexagesimus secũdus παραμυθητικὸς

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi secundi.

Dauid filij coniuratione de solio deiectus, & cum aliquot turmis vltra Iordanem profugere coactus, (quãtum coniicere licet ex vers. 8.) cũ grauissima tentatione decertans, nimirum tanta tamq; repentina rerũ omnium commutatione ad illicita tentanda aut etiam ad desperationem sollicitatus, concludit sese nihilominus in expectãdo Dei præsidio fortiter perseueraturum: & suo exemplo comites suos confirmat, idq; tanta tamq; vegeta cum magnitudine animi, cui ipsæ quoq; sentẽtiæ & voces respondent, vt quisquis hunc Psalmum in prõptu habuerit, vix illo tentationis genere superari posse videatur.

Eiusdem Psalmi sexagesimi secundi.

PARAPHRASIS.

1 VTcunque sit, & quodcunque quomodocunq; mihi minari videatur, *mens mea nusquam nisi in vnius numinis potestate & voluntate mihi patefacta conquiescit. Denique ab hoc vno liberationem expectabo.*

2 *Quicquid denique mihi in contrarium occurrat, Deus est propugnaculum meum, salus*

INTERPRETATIO.

1 TAmen ad Deum *respiciens* silet anima mea: ab ipso salus mea.

2 Tamen ipse est petra mea & salus mea: eleuatio mea non mouebor multum.

mea, arx mea: & hoc ſcio, vt diu multumq; magis ac magis exagiter, me tamen nunquam corruiturum.

3 *Imme verò, vos ſcelerati nunquámne deſinetis omnes in me vnum infatigabili ſæuitia cõſpirare: & quem putatis vel ſua ſponte tanquam parietem tam inclinantem & macerietn labeſcentem ruiturum, impellere?*

4 *Verentur nimirum iſti ne rurſus extollar, ideoq; toti in eo ſunt vt me penitus proſternant: neque tam fraudulentum quicquã eſſe poteſt quod aduerſum me non commmiſcantur, amicitia quidem verbo ſimulata, re ipſa verò mihi ſicut apparet exitium machinati.*

5 *Sed agedum, animula, reſpice in Deum, & ſedata in ipſo conquieſce. Nam ab hoc vno totus dependeo.*

6 *Denique quibuſcunque machinis impetar, quum ille rupes mea, ſalus mea, arx mea ſit, excidere nequeo.*

7 *Ab hoc vno ſalus mea pendet, quamuis ſim ab omnibus deſertus: ille me quem iſti proſtratum cupiunt, in altiſſimũ honoris gradum attollet: ille me ab omnibus oppugnatum in arcem inacceſſam & inexpugnabilem recipiet: hic eſt in quem vnum ſpem meam defixi.*

3 Quouſque vos omnes cogitabitis contra inimicum hominem *vt eum* occidatis, tanquam parietem inclinatum, & maceriam impulſam?

4 Nempe, ne eleuetur ipſe, *iſti* deliberant *eum* propellere: dilexerunt mendacium ore ſuo benedicebant, & corde maledicebant.

5 Tamen ad Deum *reſpicim* ſile anima mea: quia abipſo expectatio mea.

6 Tamen ipſe rupes mea *eſt* & ſalus mea: eleuatio mea non mouebor.

7 Ad Deum *tendit* ſalus mea & gloria mea: petra *eſt* fortitudinis meæ, refugium meum *eſt* in Deo.

8 Confidite

8 *Huic igitur exemplum meum sequuti omnes populi, si sapitis, tum secundis tum prosperis rebus confidite: in istũ omnes curas & anxietates animi effundite: siquidem hic vnus tutissimum est nobis perfugium.*

8 Confidite in eo omni tempore populi: effundite coram eo corda vestra. Deus refugium *est* nobis.

9 *Homines enim mera sunt vanitas, & ipsis etiam potentissimis quibusque nihil est fallacius. Imò si cum ipso nihilo tum mortales ipsos, tum quicquid in eis situm est appenderis in statera, nihilum illis omnibus praponderabit.*

9 Certè vanitas *sunt* filii Adam: falsitas *sunt* filii potentum, adeo vt in statera ascendant ipsi omnes præ vanitate.

10 *Ne igitur vt homines insani solent, seu vi seu dolo vos auctiores fieri posse somniate: & si vobis diuitiæ obtigerint, ne illis animum inani spe decepti adijcite.*

10 Ne confidatis in iniuria neque in rapina: nec fiatis vani: diuitiæ si proueniant ne apponatis cor.

11 *Hoc potius vobis proponite quod Deus tam disertè tum verbis tum euentis rerum testatus est, & ego ipse repetitis vicibus sum expertus, omnem potentiam in Deo residere.*

11 *Semel* locutus est Deus, bis hoc audiui, quòd robur sit Deo.

12 *Vt autem Maximus es, ita etiam Optimus & clementissimus es Domine. Itaque fieri non potest, quin & pœnas sceleratis quas promeriti sunt rependas, & tuos iustitiæ studentes pro tua summa benignitate foueas.*

12 Et tua Domine *est* clementia: certè tu rependes vnicuiq; secũdum opus suum.

Psalmus sexagesimus secundus, dicolos distrophos vt primus.

1 *Atqui*

1 AT qui acquieſcit animula iſtæc in Deo,
Nanque vnus hic ſalus mihi.
2 Hic vnus arx, tutamen, & rupes mihi,
Ne turpiter lapſus ruam.
3 Ergo quouſque vnius iſtud in caput
Dolos ſtruetis perfidi?
Nam mole qualis ſponte concidens ſua,
Maceria præceps corruit,
Talis repentè vos ruina funditus,
Semel inuolutos opprimet.
4 Sit ergo cura his vna, & vnus hic labor
Vt quem extulit Deus, obruant.
Nectant dolos, & verba fundant dulcia,
Quum felle corda turgeant.
5 At tu in Deo meum acquieſce corculum,
Hoc cuncta ab vno flagitans.
6 Sit ipſe rupes, ſit ſalus & arx tibi,
Nuſquam vt vacillans corruas.
7 Ergò ô Deus, tu certa mihi fiducia,
Tu ſpes, decus, vires meæ.
8 Sperate pariter hunc in vnum cæteri,
Huic veſtra vosq́; credite.
Spes quippe in vno ſtat repoſita numine,
Fallentibus nos cæteris.
9 Nanq́, eſt homine mendacius prorſus nihil,
Imò ipſamet homo eſt vanitas.
Quod ſi in bilance quicquid eſt mortalium,
Cum vanitate appenderis,
Tum vanitate vaniores videris
Mortalium fortiſſimos.
10 Ah ne ſceleribus, ne rapinis crediti
Male ſana corda dedite:

Nec

Nec illecebris vos opes fallacibus
Captos suis irretiant.
11 *Semel iterumq; voce clara exaudij*
Deum ista fantem cælitus,
Vnus est Dei Optimi atque Maximi
12 *Vis omnis ac clementia.*
Tu nempe mores cuiq; quod ferent sui
Deus, rependes præmium.

Psalmus sexagesimus tertius εὐκτικός.

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi tertij.

Inscriptio Hebraica refert huius Psalmi argumentum ad id tempus quo Dauid in deserto miserimus & calamitosissimus oberrauit, nempe in saltu Hæreth. 1. Sam. 22. 5. & Engadi, 2. Sam. 24. Quo maiora verò fuerunt hæc discrimina, hoc illustrius exemplum fidei & constantiæ præbet hic Psalmus, vt & superiores aliquot & subsequentes. Sed in primis illud obseruatione dignum est quòd de tanto fastigio tam repente deturbatus, nihil sibi ereptum luget præter adeundi tabernaculi libertatem, grauissima cum eorum accusatione qui vel præsens tantum bonum parui faciunt, sacramentorum præsertim vsu neglecto: vel nihil minus curant quàm vt in Ecclesia censeantur: Sed tamen sese consolatur in eò quòd nulla sua culpa vel negligentia tanto bono careat.

Eiusdem Psalmi sexagesimitertij.

PARAPHRASIS.

1 *Heu Deus, Deus mi, vt adiu tua conspectu inuitissimè caream, absit tamen vt propterea tui non recorder. Immo quò longius & diutius absum, eò magis anima mea diluculo te quotidie requirens desiderio tui accenditur, & totus ego in solo isto arente, siticuloso, & tuarum præsertim aquarum indigo, vt concupiscо.*

INTERPRETATIO.

1 DEus, Deus meus tu es: mane quæro te sitit ad te anima mea: concupiuit te caro mea in terra squalida & siticulosa, & aquis carente.

2 *Nisi enim inimicorum vis prohiberet, testor nihil mihi fuisse futurum optatius quàm vt te in adyto tuo contemplarer, & ad illa tua potentia ac maiestatis aspectabilia signa statim accurrerem.*

2 Sic in sanctuario contemplarer te: ad spectandum robur tuum, & gloriam tuam.

3 *Est enim profectò hac etiam ipsa vita longè præstantior illa tua bonitas illic sese quodammodo palpandam præbẽs, quam etiam totis viribus prædicarem.*

3 Quia clementia tua est melior quàm vita: labia mea celebrarent te.

4 *Illic igitur vitam tuis celebrandis laudibus traducerem: illic nomen tuum cum cæteris palàm inuocans, ad te manus attollerem.*

4 Sic benedicerem tibi in vita mea: in nomine tuo attollerem manus meas:

5 *Illic animo adipe & medullis sanctissimarum delitiarum tuarum saginato, toto gutture laudes tuas personarem.*

5 Quasi adipe & pinguedine satiaretur anima mea: & labiis iubilationum laudaret *te* os meum.

6 *Sed quum mihi misero nunc quidem istud sit negatum, & sedes singulis momentis mutare cogar, quod vnũ possum hoc facio, id est quocũque perueni de te cogitare non desino, & noctes etiam insomnes in tuorum beneficiorum meditatione consumo.*

6 Certè memor sum tui super strato meo: & in vigiliis nocturnis meditor de te;

7 *Quid ni enim hoc faciam toties opem tuam expertus? Igitur nunc quoque sub alarum tuarum vmbra non tantum conquiesco securus, sed etiam exultans triumpho.*

7 Quia fuisti auxilium mihi: & in vmbra alarum tuarum iubilabo.

8 *Quippe qui corpore quidem (idque nulla mea culpa) procul ab ãde tua dissitus, ani-*

8 Adhæsit anima mea post te: sustinet me dextera tua.

9 Illi

me tamen tibi penitus adhærem: ſicut tu me viciſſim imbecillem, & illu tuis quotidianis adiumentis deſtitutũ interiore tuo robore ſuſtentas.

9 *At iſti contrà in id intenti vt me præcipitem proſternãt, ad ipſa vſque terræ infima dejcientur.*

10 *Hunc, inquam, præcipitem futurum vt acies gladij abſumat, illi verò à feris dilanientur.*

11 *At ego cui tu, Deus, regnũ deſtinaſti, te collaudãs exultabo, cui ſeſe comites adiungẽt quicunque te ſanctè & verè colunt: iſti vero nomen tuum ementiti, ore tunc demum obſtructo conticeſcent.*

9 Illi verò *qui* ad præcipitiũ quærunt animam meam, ibunt in infimas partes terræ.

10 Trahent eum ſuper manus gladii: pars vulpium erunt.

11 Rex autem lætabitur in Deo: & gloriabitur quiſquis iurat per eum: quia obſtruetur os loquentium mendacium.

Idem Pſalmus ſexageſimus tertius, monocolos carmine Iambico dimetro acatalectico, vt decimus tertius.

1 *TV, mi Deus, Deus es mihi,*
Te luce prima quæritans
Mens hæc anhelat feſſula.
Te ſole coctus torride
Arente in iſtac exulans
Requiro ſolitudine.

2 *Vt ceu prius ſacrario*
Te conſpicabar in tuo,
Sic gloriæ rurſum tuæ
Dulci fruar ſpectaculo.

3 *Nam cuncta vitæ commoda,*
Quin vitam & ipſam, prodiga

Tua anteit benignitas,
Quam me viciſſim debitis
Efferre laudibus decet.
4 *Ergo ſuperſtes quandiu*
Manebit hoc corpuſculum,
Tibi canet, tibi manus
Attollet vſque ſupplices,
5 *Tunc lauta, tunc præpinguia*
Depaſco nanque fercula,
6 *Te nocte quando ſomnio,*
Te luce quando cogito,
Et fundo quum laudes tibi
Toto ſonoras gutture.
7 *Tu me in periclis adiuuas*
Tu me tuarum vmbraculo
Pennarum opertum protegis
8 *Tuaque ſuffultum manu*
Suſpirat iſtud corculum.
9 *Sic fiet, vt qui perditum*
Tam me volunt immaniter,
Ipſimet impetu ruant
Mortis ſpecus ad infimas:
10 *Ferroq; ſtrati, vulpibus*
Coruiſq; fiant pabulum.
Tunc ora tot procacium
Infamis obſtruet pudor:
11 *At Rex, ſolutus gaudio,*
Regiq; coniunctus, tui
Quicunque cultor minimis,
Laudes tibi, carmen tibi
Et corde & ore concinent.

Pſalmus

Psalmus sexagesimus quartus εὐχλικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi quarti.

Ex hoc quoque Psalmo vt ex aliis multis, perspicere licet quàm non de nihilo Dauid tot querelas effuderit, & quanta fuerit ipsius constantia: quorum exemplorum quanta sit vtilitas ij demum norunt quibus datum est non tantùm vt credant, sed etiam vt pro Christo patiantur.

Eiusdem Psalmi sexagesimi quarti.

PARAPHRASIS.

1 *ENimuero, Deus, ad quem alium confugero? tu igitur audi me sonora vociusitas querelas effundentem: & me hostis metu perculsum, & in præsentissimũ vitæ discrimen adductum serua.*

2 *Tege me aduersus istorum improborum technas, & contra fœneratorum coitiones.*

3 *Acuerunt enim isti linguam tanquam gladium aduersum me, & amarulentissimas calumnias quasi sagittas neruo admouerunt.*

4 *Vt me quamtumuis innoxium per insidias saucient, & repente incautum, neque Deum vidulicet, neque homines veriti, transfodiant.*

5 *Neque id verò leuiter aut per errorem faciunt, sed in hu pessimis conatibus sese magis ac magis obfirmant, & studiosè mihi tendunt laqueos, idque tam confidenter vt etiã à nullis animaduerti fraudes suas posse dictitent.*

INTERPRETATIO.

1 AVdi, Deus, vocẽ meã in querela mea, à timore inimici custodi vitam meam.

2 Abscõde me à consilio malignorum: à concursu operantium iniquitatem.

3 Quoniã acuerunt sicut gladium linguam suam: direxerunt sagittam suam, sermonem amarum.

4 Vt iaculentur occultè contra integrum: repente iaculantur nec metuunt:

5 Obfirmant sibi rem malam, sermonẽ conferunt de abscondendis laqueis, dicũt, quis videbit eos?

6 *Nam abstrusissima quaque exquisierunt, nec vlla est tam subtilis & in intimo cuiusquam corde latens astutia quã illi non penitus persestigarint.*

6 Scrutantur iniquitates perficiunt scrutinium scrutatum, & intimum cuiusque, & cor profundum.

7 *Sed quid promouerint? Deus enim eos certissimo & grauissimo consecuturo statim vulnere transfiget.*

7 Sed iaculabitur eos Deus sagitta: repentinæ erunt plagæ eorum.

8 *Et quod mihi malum inferre se posse sperant, hoc tandem ipsi sua maledicentia sese sibi accersisse deprehendentur idque spectantibus omnibus, & ad instas, ipsorum pœnas attonitis.*

8 Et impingere facient super seipsos linguam suam: & trepidabunt omnes videntes.

9 *Erunt, inquam, isti omnibus spectaculo, nec quisquam erit qui hoc Dei factum non commendet & admiretur.*

9 Et videbũt omnes homines & narrabũt opus Dei, & factum eius intelligent.

10 *Insontes verò quos isti immeritò opprimere studuerint, eò latiores Dei nomen celebrabunt, & ad illum deinceps tantò confidentius perfugient: omnes inquam, recta conscientia praditi, inde arripient sancta eiusdam iactantiæ argumentum.*

10 Lætabitur iustus in Iehoua & sperabit in eo: & gloriabuntur omnes recti corde.

Idem Psalmus sexagesimus quartus, dicolos distrophos, prior versus est Iambicus trimeter acatalecticus, alter Iambicus trimeter acatalecticus.

1 *AVdi ô Deus, clamore te magno precantem.*
Seruato animulam hanc hostis aduersum minas.

2 *Méque improborum sæua contra cogitata,*

Diras,

Diratq; machinationes vindica.
3 *Mucrone quorum acutior est acuto,*
Nocentiora verba quouis spiculo.
4 *Vt sic repente vsque in suas pium latebras*
Quemq; insequuti, nil timentem saucient.
5 *Quin obstinatis ad nocendum animis ruentes,*
Deq; instruendis colloquuti fraudibus,
6 *Quis ista cernet? inquiunt? & mox profundo*
Versutiarum quicquid in specu latet,
Scrutantur auidè, vt intimis vsque ex latebris
Abstrusiores eruant fallacias.
7 *At tu vicissim illos, Deus, figes repente,*
Crebrisq; tundes sauciatos ictibus.
8 *Suâmet ipsi corruent lingua proterui,*
Omnisq; lapsos turba abominabitur.
9 *Insigne tantum dexteræ facinus potentis*
Tunc obstupescet quisquis intuebitur,
Tunc te timebit quisque, & istud prædicabit
Pollente fortiter editum facinus manu,
10 *Tunc gestiens, speiq; prorsus plena certæ,*
Tuas piorum turba laudes concinet.

Psalmus sexagesimus quintus,

εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi quinti.

Psalmus iste siue hymnus collaudando Deo scriptus, primùm nos docet eius beneficia nusquam alibi quàm in sanctis cœtibus rite agnosci & celebrari. Deinde tria tanquam præcipua iubet nos intueri, & de illis gratias agere. Vnum, idque longè maximum, quòd sibi Deus Ecclesiam colligat in qua celebrari velit, vbi precantes exaudiat, vbi peccata condonet, quam denique omni beneficētiæ genere cumulare & potentissime tueri non desinat: alterum, quòd hominum societa-

tem constitutis & conseruatis politijs in tanta rerum perturbatione tueatur: tertium, quòd omnia istius vitæ vsui necessaria tam copiosè ac munificè cœlitus subministret.

Eiusdem Psalmi sexagesimi quinti

PARAPHRASIS.

1 TV certè vnus es cui semel loquuto acquiescere merito omnes oporteat. Hac autem laus, Deus tibi, in vnico Sionis monte tribuitur, vbi demum rite tibi vota persoluuntur.

2 Ibi tu vicissim nullius miseri ad te confugientis preces aspernaris.

3 Ibi peccata quibus alioqui prorsus obruti attollere vultum coram te non sustineremus, expias.

4 O beatum igitur cuicunque tantopere faues vt eum ad te accedere iubeas, & quem in album domesticorum tuorum relatum, veris illis domus tua & sacratissimi palatij tui bonis, ad saciestatem pascis.

5 Etsi enim nullis magis videntur periclitari: tamen nullos magis tutos esse res ipsa demonstrat, te videlicet, quoties ipsi te inuocant, terribilem te ipsum omnibus eorum hostibus vt promissi memorem decet, ostentante, vsque adeò vt ad extremas vsque terras & vltimum mare fama tui nominis excitata, omnes ad te respicere cogantur.

INTERPRETATIO.

1 TIbi silentium: laus tibi, Deus, in Sion: & tibi *in Sion* redditur votum

1 *Ibi* ad te qui exaudis orationem, omnis caro veniet

2 Verba iniquitatum, preualuerunt super me: transgressiones nostras tu expiaris.

4 Beatus *quem* elegeris & feceris accedere, *propinquum feceris tibi*, habitabit in atriis tuis, satiabimur bono domus tuæ, sanctuarii palatii tui.

5 Terribilia in iustitia respondes nobis Deus salutis nostræ: spes omnium finium terræ, & maris longinqui.

6 Stabiliens

6 *Tu is es cuius virtute quicquid est in mundo sublime cõsistit, robore tuo videlicet vt istos montes quos cernimus, ita etiã regna & politias quibus humanum genus conseruas, stabiliente.*

6 Stabiliens montes virtute sua accinctus fortitudine.

7 *Et sicut Oceani procellas & sonoras tempestates compescis, ita etiam tumultuantium hominum impetum frangis & coerces.*

7 Compescens sonitum marium & sonitum fluctuum eorum: & tumultuationem gentium.

8 *His autem immensa tua potentia testimonijs conuicti orbis incolæ trepidantes conticescunt, & sic pace restituta facis vt rursum mortales in hilaritate & trãquillitate dies ac noctes exigant.*

8 Vt timeant habitatores terminorum à signis tuis: egressiones *exitus* mane *id est, matutinas*, & vesperi *id est, egressiones vespertinas* ouare facis.

9 *Terrarum enim curam ex alto geris, illas irrigans & copiosis imbribus (muncre verò tuo) fœcũdans, quibus subacta ac præparata semen sibi creditum retineant.*

9 Visitasti terram & irrigasti eam, copiosè ditasti eam: riuus Dei plenus aquis: firmas *paras* frumentum eorum, quia sic illam paras.

10 *Posteà sulcos aruorum inebrias, glebas comminuis, mitibus & tempestiuis demissis pluuiis solum liquefacis, germinantia semina foues & educas.*

10 Sulcus eius inebrias deprimis glebas eius: imbribus liquefacis eam germini eius benedicis.

11 *Sic deniq; beneficus omni fructuum genere terram annuatim coronas, pinguedine ex alto quacunq; inambulas velut ex vestigijs tuis deorsum stillante.*

11 Coronas annum beneficẽtia tua & semitæ tuæ stillãt pinguedinem.

12 *Quinetiam inculta pascua irroras, & colles quoque exultatione comples.*

12 Stillant habitacula deserti & exultatione colles accinguntur.

13 *Sic gregibus vestiuntur prata, operiuntur segetibus valles, omnia denique latiùs clamoribus & cantibus concrepant.*

13 Induuntur prata ouibus, & valles operiuntur frumento: clamant, etiam canunt.

Idem Psalmus sexagesimus quintus, monocolos, carmine choriambico trimetro, vt vicesimus octauus.

1 *TE laus, te meritis digna tuis, Deus,*
Expectat Solymis gloria in arcibus,
Hic deuota tibi sacra, suauibus
Soluet docta cohors non sine canticis.

2 *Tu nostras pariter te docilem in preces*
Præbebis, subitò numinis vt tui
In cultum vnanimis concitus vndique
Conspiret spatiis mundus ab vltimis.

3 *Quippe etsi scelerum pondere sub graui*
Indignus iaceo quem bonus audias,
Amotis penitus criminibus meis
Tu me iam melior respicies tamen.

4 *Felix ô nimiùm qui tibi proximus*
AEdis septa tuæ, mi Deus, incolit,
Et quas illa tuis suppeditat domus
Sese delitiis totus inebriat.

5 *Hinc tu terribili voce tonans ferox,*
Prodibis populis certa tuis salus:
Vt quâcunque solum, quâque salum patet,
Spes in te penitus fixa sit omnium.

6 *Stant suffulta tui robore numinis*
Vastorum, Omnipotens, pondera montium,

7 *Et nutu placidus mox resîdet tuo*
Quantuscunque ruens Oceanus tonet.

Tu

Tu motus subitos comprimis hostium,
Commutans placido bella silentio.
8 *Et signis populi commoniti tuis,*
Terrarum trepidant finibus vltimis.
Tu seu clara micans lux reuehat diem,
Seu noctis tenebras vespera nuntiet,
Nobis lætitiæ materiem nouæ,
(Ingens quæ bonitas est tua) suggeris.
Tu rura ex solio despicis aureo,
Et roris saturas cœlitus imbribus,
Vt sic omnigenis fructibus affluens
Tellus agricolam sollicitum beet.
Plenos iussa pluunt nubila riuulos.
Nec curare prius tot sata desinis,
Demessæ steterant quæ segetes prius,
Quin fiant hominum corporibus dapes.
10 *Tellurem siquidem largus inebrians*
Parêre agricolis sic madidam iubes,
Fœcundaq́, facis prole resurgere
Quæ commissa sinu semina continet.
11 *Anni sic abeunt, sic redeunt tuis*
Dites muneribus, quæ, superûm domo
Dum tu summe Pater celsius inambulas.
Terræ munificus per sola depluis.
12 *Perfusæ his resonant imbribus vndiq́,*
Anfractus positæ per nemorum casæ.
Huius quinetiam participes boni,
Colles ista procul gaudia nuntiant,
13 *Complentur gregibus pascua, vallium*
Conspectum ex oculis densa adimis seges,
Laudes cuncta tibi denique debitas
Cum clamore, Deus cunctipotens, canunt.

Psalmus sexagesimus sextus

εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi sexti.

Videtur hic Psalmus, vt & alii nonnulli, & si priuata aliqua occasione, tamen in perpetuum Ecclesiæ vsum scriptus, partim renouandæ tot liberationum antiquarum memoriæ, partim gratiis Deo agendis quoties sese vel priuatim vel publicè aliqua offert occasio.

Eiusdem Psalmi sexagesimi sexti.

PARAPHRASIS.

1 *Ela, omnes terrarum incolæ triumphale carmen Deo concinite.*

2 *Celebrate cantibus nomen ipsius: splendidè & magnificè ipsum collaudate.*

3 *Dicite in ipsius conspectu, O quàm terribilem & metuendum te re ipsa prabes: siquidē ipsi hostes magnitudine roboris tui fracti, agnoscere te & venereri saltem per simulationem coguntur.*

4 *Itaque te vniuersus orbis adorabit, tibi laudes canet, & nomen tuum celebrabit.*

5 *Agedum adeste omnes, spectate res à Deo gestas, & quātū miraculis sese terrificum esse mortalibus declararit.*

6 *Hic est qui mare momento arefecit, & peruium nostris pedibus fluuium præbuit, de quo beneficio nos, ipsius populus, etiamnum hodie exultamus.*

7 *Hic est omnipotens totius mūdi Dominus, omnes per vni-*

INTERPRETATIO.

1 IVbilate Deo omnis terra.

2 Cantate gloriam nominis eius: reddite glorioſam laudem eius.

3 Dicite Deo, Quam terribilis es operibus tuis: propter magnitudinem roboris tui, mentientur tibi inimici tui.

4 Omnis terra adorabunt te, & canent tibi: canent nomen tuum.

5 Venite & videte opera Dei: terribilis est opere super filios hominum.

6 Conuertit mare in aridam: per fluuium transierunt pedibus, ibi lætati sumus in eo.

7 Dominatur in fortitudine sua seculo; oculi eius super

uersum orbem dispersas gentes culitus obseruans, nec sese suo ipsorũ arbitrio sustinens efferre qui ab ipso deficiunt.

1 Eia Deum laudate tribus ipsi consecrata, & longè latéque gloriam eius personate.

9 Vitam enim ille nobis amissam restituit, & solus prohibuit ne fallente vestigio corrueremus.

10 Neque enim nos perditos voluisti, sed tantum explorasti, Deus: & quasi adhibitũ fornaci argentum examinasti.

11 Irretiuisti nos, & in angustias arctissimas catenis vinctos conieciſti.

12 Passus es vt victores hostes nobis perinde atque iumentis contumelioſè ac petulanter abuterentur: ſflammárum ardorem, & aquarum vim experti ſumus: ſed tu nos poſtea miſſo refrigerio recreaſti.

13 Adſum igitur in ade tua cũ holocauſtis, votorum reus.

14 Quæ tibi in aruumnis meis diſerte voui, & ore meo nuncupaui.

15 Itaque holocauſta pinguia & arietum adipem, adeoq́; iuuencos & hircos tibi mactare inſtitui.

16 Sed & vos cæteri Dei timentes, adeſte, quæſo, mecum, & mihi beneficia in me ab eo collata recẽſenti aures præbete.

pergẽtes ſpeculantur: deſertores non eleuabũtur ſibi.

8 Benedicite populi Deo noſtro, & perſonate vocem laudis eius.

9 Qui reſtituit animas noſtras in vitam: & non dedit ad lapſum pedes noſtros.

10 Quia probaſti nos Deus: examinaſti nos ſicut conflatur argentum.

11 Deduxiſti nos in laqueum: poſuiſti coarctationem in lumbis noſtris:

12 Equitare feciſti vnumquẽque ſuper capita noſtra: venimus in ignem & in aquas: ſed duxiſti nos in locum irriguum.

12 Veniam domum tuam cũ holocauſtis: perſoluam tibi vota mea.

14 Quæ protulerunt labia mea, & os meum locutum eſt in afflictione mea.

15 Holocauſta pinguium offeram tibi cum ſuffitu arietum: faciam bubus cum hircis.

16 Venite, audite, & narrabo omnibus timentibus Deũ, quæ fecerit animæ meæ.

17 Illum ore meo inuocaui, illum lingua extuli.

18 Et quidē animo ab omni mala cogitatione auerso. Nanq; me alioqui non exaudiuisset.

19 Audiuit itaque me Deus, & mihi precanti attendit.

20 Sit igitur laus Deo qui preces meas nō est auersatus, neque suam à me misericordiam subduxit.

17 Ad ipsum ore meo clamaui & exaltatus est sub lingua mea.

18 Iniquitatem si respexissem in corde meo: non audiuisset Dominus.

19 Vtique audiuit Deus: attendit ad vocem precationis meæ.

20 Benedictus Deus qui non repulit precationē, meam neq; misericordiam suam subduxit à me.

Idem Psalmus sexagesimus sextus, dicolos distrophos: prior versus est Dactylicus Archilochius heptameter acatalecticus.

⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑– ⏑– ⏑– ⏑–

– – – –

Posterior verò Archilochius cum pentemimire Iambica,

⏑– ⏑– – –⏑ –⏑ – –

– –

⏑⏑–

1.2 NVnc age tota Deum tellus cane, numinis q; sancti
Celebrato laudes cantibus sonoris.

3 Dicite, quàm se terribilem Deus omnibus probarit,
Cui sic subacti mentiantur hostes.

4 Tota istunc (inquam) tellus cole, tota numen istud
Et corde, & ipsa personato voce.

5 En fortis spectate ingentia quæ manu peregit,
Nostramq; quanto robur antecellat:

6 Imperio cuius surdum licet æquor obsequutum,
Lætisq; nobis peruium pependit.

Et

6 Et fluuius ficca fese pede præbuit, stupentum
Suspensa aquarum mole, transeundum:
7 Totius hic ille est fortissimus orbis Imperator,
Hinc inde gentes intuens ab alto:
Nec se peruersos attollere sustinens, quousque
Effrenis illos abripit libido.
8 Hunc igitur (noster nanque est Deus iste,) prædicate,
Huius perennes personate laudes.
9 Hic siquidem vitæ nos reddidit, iste nos potente
Dextra benignus fulcijt ruentes.
10 Nam tibi sic visum nos est, Deus, ignibus probare,
Ardente vt aurum percoquunt camino.
11 Tute tuis captos nos cassibus, ehcu, illigasti,
Arctæq; cinctos vinculis catenæ.
12 Nostrum pressit, eques sœuus, caput impotēs tyrannus,
Vt bestiarum terga consueuit.
Nos rapida flammarum incendia sensimus furentum:
Nos per rapaces iuimus procellas.
At tu nos istis nunc faucibus ex periculorum,
Aprica ducis liberos per arua.
13 En igitur tua apud sacraria victimis onustus,
Et vota duris nuncupata rebus,
14 Et certò iurata exoluere comparatus adsum,
Fuso hostiarum pinguium cruore.
15 Siue cadat maior tibi victima, seu tibi minores
Fument ad aras hostiæ sacratas.
16 Eia adeste, audite ô vndique vos Dei timentes,
Quantis benignus me bonis bearit.
17 Hic est quem validis clamoribus vsque sum precatus,
Cui lingua sese nostra consecrauit:
18 Quem si mente forem malè conscia precatus,
Nunquam ille molles præbuisset aures.

19 *Insontis sed enim vocem Deus audiit rogantis*
Attentus, imquam, me audiit precantem.
20 *Iure igitur te, magne Deus cano supplicis benigne*
Audire promptum postulationes.

Psalmus sexagesimus septimus. εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi septimi.

Acceptas refert vnius Dei misericordiæ Propheta tum spirituales & Ecclesiæ proprias, tum corporales quoque benedictiones, quarum continuationem petit: simulque Ecclesiæ futuram sub Messia propagationem prædicens, omnes pios ad agendas gratias & celebrandã numinis laudem adhortatur.

Eiusdem Psalmi sexagesimi septimi.

PARAPHRASIS.

1 *DEus à cuius misericordia tot in nos bona profecta sunt, pergat nobis benefacere: & qui dem in primis sereno suo vultu nos irradiet:*

2 *Vt quacunque terrã fines porrigantur, cognoscatur via quam populo suo patefecit, & salutem ab eo promissam gentes omnes amplectantur.*

3 *Celebrent te populi, Deus, celebrent te populi vniuersi.*

4 *Lætentur de te, & exultent populi. Tempus enim erit quum æquissimo & rectissimo imperio mundum vniuersum reges.*

5 *Celebrent te populi, Deus celebrent te populi vniuersi.*

INTERPRETATIO.

1 DEus misereatur nostri & benedicat nobis: lucere faciat vultum suum erga nos.

2 Vt cognoscant in terra viã tuam: in omnibus gentibus salutem tuam.

3 Celebrabunt te populi Deus celebrabunt te populi omnes.

4 Lætabuntur & exultabunt populi: quia iudicas populos in equitate: & populos in terra diriges eos.

5 Celebrabunt te populi Deus, celebrabunt te populi omnes.

6 Terra

6 *Ibi quoque terram fructus suos date, & cumulare nos beneficijs pergе Deus, Deus noster.*

7 *Tange, inquam, Deus nobis benefacere, & te vicissim vniuersus orbis agnitum reuereatur.*

6 Terra dedit fructum suum: benedicet nobis Deus, Deus noster.

7 Benedicet nobis Deus: & timebunt eum omnes fines terræ.

Idem Psalmus sexagesimus septimus, dicolos distrophos. Prior est heroicus, alter dactylicus tetrameter acatalecticus.

– ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – –
– – –

1 *HVc ades ô nobis clemens, vultuſq; beato*
Nos recrea fulgore ſereni.
2 *Vt te ductorem ſeruatoremq; tuorum*
Latè immenſus prædicet orbis,
3 *Vt te, inquam, paſſim gentes populiq; celebrent,*
Atque tibi gratentur ouantes,
4 *Imperio terras æquo iuſtoq; regenti,*
Quâqua orbis diffunditur ingens.
5 *Te gentes populiq; canant: tibi, mi Deus, euge*
Cuncti vni gratentur ouantes.
6 *Vbere fac tellus locuplet et meſſe colonos,*
Et celſo bona deplue cælo.
7 *Vt te omnes terris vereantur in omnibus, iſtæc*
Cæli in nos ex arce, pluentem.

Psalmus sexagesimus octauus ἐγκωμιαστικὸς vel potius προνοητικός.

Argumentum & vſus Pſalmi ſexageſimi octaui.

Dauid arcam fœderis, aſpectabilis diuinæ præſentiæ & be-

neuolentiæ teſtimonium, in arcem Sionis traducturus, quam pompam inſtituiſſet cuius ipſemet choragus fuit, & qua nunquam vlla celebrior in hac gente fuit celebrata, deſcriptam luculenter. 1. Chro. 15. Pſalmos edidit nonnullos diuino penitus afflatu, quibus & ſeſe & alios ad tantum Dei beneficium agnoſcendum mirificè procul dubio inflammauit. Inter cæteros autem hunc quoque ſcripſit quo nihil ornatius, magnificentius, diuinius denique ſcribi à quoquam poſſit, memoria quoque ſuperiorum beneficiorum Dei repetita, & additis miris coloribus, depicta potius quam diſcripta. Sed illud præterea diligenter animaduertendum, Prophetam in re quæ tum agebatur minimè ſubſtetiſſe, ſed diuinitus afflatum myſticè, vt tempora tum ferebant, arcana longè maxima Regni cœleſtis ſignificaſſe: ac proinde per arcam illam filium Dei carne noſtre indutum in quo plenitudo Deitatis reſidet: per Sionem, cœlorum tabernaculum non manu factum: per arcæ introductionem, aſcenſum Chriſti in cælos: per captiuorum traductionem Satanam, peccatum & mortem ſuperatos: per temporales denique benedictiones deinceps in Iſraelem effuſas, ſpiritualiá & eterna Chriſti dona in Eccleſiam quotidie per ſanctum euangelij miniſterium collata anagogicè intelligi, teſte Paulo Epheſ. 4. 8. & tota pene ad Hæbræos epiſtola.

Eiuſdem Pſalmi ſexageſimi octaui.

PARAPHRASIS.

1 *AGe, exurgat tantum Deus, & momento palantes ac diſſipati fugient omnes ipſius inimici.*

2 *Haud enim aliter euaneſcere ad ipſius conſpectum omnes improbos oportet, atque fumus vento propulſus diſſipatur. & admota ignibus cera ſtatim colliquatur.*

3 *Iuſti verò contra ipſius conſpectu miris modis exhilarati exultabunt, & præ lætitia geſtient.*

4 *Agite igitur, cantibus Deum*

INTERPRETATIO.

EXurgat Deus, diſpergentur inimici eius: & fugient oſores eius à facie eius.

2 Sicut propellitur fumus propelles *eos*, ſicut liqueſcit cera à facie ignis peribunt impij à facie Dei.

3 Sed iuſti lætabuntur & exultabunt coràm Iehoua, & geſtient præ lætitia.

4 Cantate Deo, pſallite nomini

celebrate, psallite ipsius nomi-
ne, sternite viam illi diu qui-
dem in desertis peruagato, nũc
autem ad nos aduentanti: il-
lum, inquam canite tum no-
mine tum re ipsa Aeternum,
& coram ipso exultate.

5 Hic etenim pupillorum pater,
& viduarum vindex, sanctas
& firmas nunc sibi sedes apud
nos delegit.

6 Hic est qui steriles eos à qui-
bus exorti sumus fœcundauit,
qui durissima seruitute pres-
sos vinculis exoluit, qui rebel-
les in aridas & exuccas regio-
nes relegauit.

7 Etenim te, Deus, tua genti
praeunte, & per horrendas il-
las solitudines eam traducen-
te:

8 Terra ipsa contremuit, cali
verò tua maiestatis sensu per-
territi, velut in sudorem sunt
soluti, quum tu Deus, Deus I-
srael, praesens montis Sinai
verticibus insedisses.

9 Deinceps verò regionem in
qua populum tuum collocasti
immensa benignitatis tua plu-
uijs irrigare, & effœtam in-
staurare non destitisti.

10 Nempe vt tuos greges quibus
illam attribuisti, in ea pasce-
res, & alioqui fame perituros
tuos confirmares.

11 Quinetiam exultandi tuasq;
victorias concinendi argumẽ-
tum virginum nostrarum in-
gentibus turmis prabuisti, ni-

mini eius, sternite viam e-
quiti deserti, cuius nomen
est Iah, & exultate in con-
spectu eius.

5 Qui pater est pupillorum
& vindex viduarum, Deus
videlicet in habitaculo suo
sancto.

6 Deus qui solitarios habi-
tare facit in familia, & edu-
cit vinctos compedibus: re
belles autem habitant in
terra arida.

7 Deus, quum incederes an-
te populum tuum: quum i-
ter faceres per solitudinẽ.

8 Terra tremuit & cœli quo
que stillarunt à facie Dei.
& mons ille Sinai à facie
Dei, Dei Israel.

9 Pluuiam largam fluere fe
cisti, Deus *super* hæredita-
tem tuam, & delassatam re
staurasti.

10 Pecudes tuæ habitant in
ea, quam parasti in bonita-
te tua pro afflicto, ô Deus.

11 Dominus dedit sermonẽ,
& annuntiatricum exerci-
tum multum.

mium alioquin ingratiũ futurũ nisi te fuissent istiusmodi hymnis persequutæ.

12 *Eia, potentes & exercitibus cincti reges fugerunt, fugerunt, & quæ pedem domo nũquam moverant, illorum spolia diripuerunt.*

13 *Vixistis adhuc, puellæ, inter ollarum fuligine, domi videlicet desidentes: at nunc foras prodire licet vobis nitentibus, & haud secus emicantibus, atque nivea columba per medium aerem inter volitandum aureum quendam splendorem eiaculantur.*

14 *Dissipatis autem divinitus hostium viribus, serenitas summa terris illuxit, qualis est nix Salmonis cacumini insidens, & suo fulgore spectantium oculos perstringens.*

15 *Mons Basan, tu quidem es prapinguis, & multis collium jugis conspicuus, sed quid facias? non te, sed Zionis montem sibi Deus delegit.*

16 *Quid igitur vos superbire, quid vestrorum collium cristas attollere iuuerit? Hunc enim sibi montem quantumuis pra vobis humilem Deus selegit in quo considerat: hanc sibi perpetuam sedem Iehoua consecrauit.*

17 *Hic ille demum bigis suis vehitur quas bina hinc & inde myriades duplicatæ trahunt: quibus copijs cinctus, sicut o-*

12 Reges exercituum fugerunt, fugerunt: & habitatrices domus diuiserunt spolia.

13 Quamuis iacueritis apud ollas, *est* ut alæ columbæ opertæ argento: & cuius remigium *est* vt flauescens aurum.

14 Quum dispersit omnipotens reges in ea: *tunc* facta est alba sicut Salmon.

15 *Hic* est mons Dei, mons Basan, mons multorum collium, mons Basan.

16 Quare exiliis montes colliculosi? hunc montem expetiuit Deus vt habitaret in eo: Iehoua inquam habitabit *in eo* in perpetuum.

17 Currus Dei sunt bis dena millia millia geminata falcatorum: dominus *est* in illis: *sicut in* Sinai *est* in sanctuario.

lim. Sina cacumen insedit, ita nunc ipsius sacrarij sui possessionem init.

18 Nunc igitur verè te, Deus, captiuis traductis hostibus, acceptisq; manubijs quas tuis distribuas, atq; adeò quantumuis rebellibus hostibus dominij, sublimem effers, Zionis arcem conscendens, vt perpetuum ibi domicilium figas.

19 Perpetua sit itaque tibi laus Domine, Deus, inquam, seruator noster, qui nos assiduis beneficijs cumulas.

20 Ille enim Deus ille est qui sese nobis Deum seruatorem mille modis præbuit: & in se nos positam esse liberationem ex morte Iehoua re ipsa demonstrauit.

21 Itaque quoties opus erit, idem ille Deus caput ipsum hostium suorum petet, & intonsam comam arroganter efferentes sceleratos prosternet.

22 Quod enim fecit olim quum maiores nostros regibus Basan profligatis seruauit, & per profundos maris gurgites traduxit, hoc iterum se facturũ promisit.

23 Tunc igitur, ô populo, per medias cæsorum hostium strages, canibus sanguinem eorum lingentibus, incessisti.

24 Tunc te, Deus, incedentem, te, inquam, incedentem in Deus, intra sanctum videlicet tabernaculum, mi Rex, maiestatis

18 Abscondisti altè, captiuã duxisti captiuitatem, accepisti dona distribuenda inter homines, etiam rebelles *veniunt huc* ad habitandum, Domine Deus.

19 Benedictus *sit* Dominus nam quotidie cumulat nos Deus ille salutis nostræ.

20 Ille Deus nobis Deus *est* ad salutem: & Iehouæ Domini *sunt* egressus ex morte.

21 Certè Deus cruentabit caput inimicorum suorum: verticem comæ ambulantium in delectis suis.

22 Dixit Dominus, è Basan reducam *te* reducam ex profundis maris.

23 Propterea cruentasti pedẽ tuum in sanguine: & linguã canum tuorum ex inimicis, ex eo *sanguine*.

24 Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei, regis mei in sanctuario.

res nostri viderunt.

25 Præierunt tibi cantores, sequuti sunt cornicines, puellarum quoque chorus hinc & inde tympanis insonuit, alijs alios vicissim istiusmodi cantu exhortantibus.

26 Agite, certatim Deum celebrate, certatim Dominũ laudate Israelesati.

27 Hinc Beniamin minimus natu hostes fortiter superauit: inde Iuda lapidibus eos attriuit: principum quoque Zebulonis & Nephtalimi nota est fortitudo & insignis victoria.

28 Sicut autem omne robur istud à te uno sic deponente profectum fuisse agnoscimus; ita nunc precamur, Deus, vt illud nobis magis ac magis confirmes.

29 Et ita certè facturus es multò magis deinceps quàm vnquã antea ex sancto tuo palatio quod nunc tibi Ierosolymis delegisti, quo ipsi quoque Reges sunt aliquando venturi, tibi munera oblaturi.

30 Reprime igitur & terribili increpatione coerceto truculentas feras ex arundineto & lustris suis erumpentes: feroces taurorum turmas, populos iuuenteorum instar lasciuientes, argentatos fastuose incedentes, & populos bellorum auidos dissipa.

31 Certè tempus erit quum optimates Aegypty huc ad te

25 Præcedebant cantores post ea canentes organis: in medio erant puellæ tympanistriæ dicentes.

26 In cœtibus benedicant Deo, benedicant Domino qui sunt ex vena Israel.

27 Hinc adest Beniamin paruulus dominatus eis: Principes Iuda lapidatores eorum, inde Principes Zabulon, & Principes Naphtali.

28 Mandauit Deus tuus robur tuum, corrobora Deus illud quod ipsemet nobis parasti.

29 E templo tuo super Ierusalem: tibi offerent reges munera.

30 Increpa feras arundineti cateruam taurorum cum vitulis populorum, calcantes id est fastuose incedentes cum frustis argenti: dissipa populos, qui bella volunt.

31 Venient optimates ex Aegypto: Aethiopia celeri-

ter

concurrent, & Aethiopes festinantes manum tibi supplices protendent.

Agedum igitur, regna per terras dispersa Deum cantu celebrate, & Domino psallite.

Domino, inquam, altissimis illis cælis ab omni ævo tanquã currui insidenti, & terribilem ille ac immensi roboris plenũ fragorem edenti.

Agnoscite potentiam, cuius non minus elucet gloria in Israele, quàm tonitru in nubibus personat.

Nempe hoc illud est sacrarium Deus, ex quo tuis quidem hostibus terribilem te ostendes, tuis verò, Deus Israelis, vires & robur subministrabis. Itaque laus omnis & gloria in æternum tibi tribuatur.

ter protendet manum suã ad Deum.

32 Regna terrę cantate Deo, psallite Domino.

33 Quia vehitur in cælis cælorum antiquissimis: ecce dat in voce sua vocem roboris.

34 Date robur Deo: super Israel magnificentia eius: & robur eius in nubibus.

35 Terribilis es Deus sanctuariis tuis Deus Israel · ipse dat robur & fortitudines populo. benedictus Deus.

Idem Psalmus sexagesimus octauus monocolos, versibus heroicis vt octauus.

SVrge modo Armipotens, hostiles ecce phalanges
Ruperis, & totis fugient palantia campis
Agmina: Nam veluti tenues it fumus in auras,
Et vix admoto ceræ liquuntur ab igni.
Sic præceps scelerata cohors dilabitur omnis,
Vt semel apparent commoti numinis iræ
At iusti exilient hilares, animisq; receptis
Teq; tuasq; Deus, laudes, supreme sonabunt.
Eia igitur celebrate Dei sublimis honores,
Numinis & nomen sacrato ad sydera cantu

Tollite, cum nostris deserta per auia quondam
Transuecti patribus, cui tandem erroribus istis
Ponere nunc visum finem: qui nomine req;
AEternus certas nobiscum ponere sedes
Sustinet. Hunc igitur cantate, huic ducite plausus:
5 Orborum hic etenim pater est, viduasq; tuetur,
6 Et steriles idem per tot modo secula nuptas
Fœcundat tandem numerosa prole benignus,
Exoluitq; bonus crudeli compede vinctos,
Artificesq; procul scelerum in deserta repellit.
7 Te ductore, Deus, montana per ardua felix
Quum tuus in patriam populus contenderet olim,
8 Terra tuo intremuit latè conterrita vultu:
Ipse ingens, sudore velut resolutus anhelo,
Terrificum insonuit nimbis crepitantibus æther:
Quinetiam horrentis perculsa cacumina Sinæ,
Præsentem testata Deum, præsente regentem
Præsidio Isacidas, sonitum tremefacta dedêre:
9 Dein tua rura bonus fœcundo rore beasti,
Solatus fessos, & opum miseratus egentes,
10 Donasti hospitium miseris, sedesq; quietas.
11 Quinetiam nostris dictasti hæc læta puellis
Carmina deuictas acies, regesq; subactos
Hoc tibi quum gratæ celebrarent, Optime, cantu.
12 Fugêre ô inuicta acies, fugêre Tyranni,
Et regum spolia imbelles rapuêre puellæ.
13 Tuq; inter tripodas nigra fuligine tetros
Turba diu versata prius, speciosa repente
Tota micas, medium veluti trans aêra currens
Præcipitiq; ruens penna quum forte columba
Argentiq; auriq; oculos fulgore fefellit,
14 Nanque tua simul ac, crudelia corda, Tyranni

Occubuêre

Occubuêre inimici domiti, lux ecce serena
Affulsit terris, qualis inga celsa niuosus
Ostentat radians media inter nubila Salmon.
15 *En Domino montem hunc sacratum, vt cumq; superbè*
Te iactes Basan, Basan tua pascua iactes,
16 *Sublimesq; alij tollatis culmina montes.*
Hunc Deus, hunc, inquam, multis ex millibus vnum
Ipse sibi montem legit, bonus hic sibi certas
Fixit, & æternas ventura in secula sedes.
17 *Hic superûm residet princeps: hîc millia mille*
Sollicita aligerûm circumstant vndique fratrum
Aeterna illa suum Regem intra septa manentem,
18 *Haud secus ac alta insedit quum culmina Sinæ.*
Canet iô pia turba Deo: Deus ecce triumphans
Aurea supremi scandis fastigia cœli,
Captiuos præ te manibus post terga reuinctis,
Victor agens, donis orbem impleturus opimis,
Atque ipsos inter domitos venerabilis hostes.
19 *Iure igitur tè perpetuis celebrabimus hymnis*
Summe Deus. Tu muneribus nil tale merentes
20 *Assiduis cumulas: Tu nos ex mille periclis*
Seruasti, optatam promptus præstare salutem.
Quem penes est vnum vitæ mortisq; potestas.
21 *Ecce caput certo confixi vulnere, sœui*
Ad terram cecidêre hostes, tua temnere iussa
Ausi, cæsariem intonsam & capita alta ferentes.
22 *Tu nos (namque tibi sic visum est optime rerum)*
Ex Basan media, tu nos ex gurgite vasto
23 *Seruasti. Campos nostri tunc cæde rubentes*
Vidêre, hostilemq; canes linxêre cruorem.
24 *Tunc Deus iuisti turba comitatus ouante,*
Iuisti, ô Deus, ô sancti Rex incola septi.

25 *Ibant cantores patriter, quem ponè secuti*
Cornicines hilari complebant omnia cantu,
Hos illos q; inter pulsantibus æra puellis,
Inq; vicem sic voce sibi inclamantibus vna.
26 *Isacidæ Dominum læti celebrate potentem,*
Isacidæ Domino lætos cantate triumphos:
27 *Hinc natu minimus, rapidis sed fortis in armis,*
Beniaminus adest, victum dominatus in hostem:
Hinc Iudas fortæ metuendus verbere fundæ:
Nephthalidæq; duces, Zebuloniq; alta propago.
28 *Quas nobis vires, quæ nobis robora solus*
Sufficis, hæc idem nobis seruato benignus:
29 *Et Solymæ facito venerentur templa Tyranni.*
30 *Et tibi dona ferant curuato poplite reges:*
31 *Aegyptusq; ferox, & quos propioribus vris*
Sol radijs, fac incurui tibi, pectore prono,
Vectigal iussum pendant, veniamq; precati,
Aurati ad solij tendant subsellia palmas.
32 *Huic igitur Reges, huic laudes dicite Regi,*
33 *Hunè canite ipsa super cæli conuexa sedentem,*
Et totum horrisono quatientem fulmine mundum.
34 *Hunc fortem, hunc vnum cuncti celebrate potentem,*
Qui celsa Isacidas sublimis ab arce tuetur.
35 *Nam tua te verè monstrant sacraria magnum*
Terribilemq; Deum, tu vives inde ministras,
Inuictosq; tuis animos, qui, Maxime rerum,
Has tibi deuoto persoluunt pectore laudes.

Psalmus sexagesimus nonus

προρρητικὸς καὶ εὐκτικός.

Argumentum & vsus Psalmi sexagesimi noni.

Etsi Psalmus iste Psalmo 22. prorsus affinis precandi for-
ma

na conscriptus est, & procul dubio non sine occasione, quam præbuisse videtur vel fuga Dauidis ex Saulis aula quum ne salua quidem illi manserit vxoris alteri viro elocatæ pudicitia, ne dum vt eius bonis pepercerint, (in quam sententiam potius inclino) vel absalonis coniuratio: tamen certum est Spiritum sanctum ita mentem & manum Prophetæ gubernasse, vt ea quorum ipse typus erat, potiùs quàm seipsum spectasse, si non vbique, at certè plerisque huius carminis locis videatur. Itaque sic potius Christus mediator de suæ gentis crudelitate quæ nullis ipsius benefactis vinci potuit, quàm Dauid de suis hostibus, apud Deum conquerens inducitur: & simul eas meritò Iudaicæ genti exoptans pariter ac prædicens inhumanitatis pœnas, quibus nunc quoque illam plecti cernimus, cuius mysticæ interpretationis testes sunt locupletissimi Matthæus 27.48. Lucas 1.20. Iohannes 2.18. & 19.28. Paulus denique Rom. 11.9. & 15.3. Quum autem membra oporteat capiti cõformari, consequitur maximum istius Psalmi vsum fore quãdiu Ecclesia in terris peregrinabitur.

Eiusdem Psalmi sexagesimi noni.

PARAPHRASIS.

1 *ERue me Deus, aquarum turgentibus iam iam absorbendum.*

2 *Sum enim in profundissimam cœni voraginem demersus vbi pedem figere nullo modo possim, & altissimis aquis vndique inundantibus submergor.*

3 *Defatigatus sum clamando: raucitate laborant fauces: quinetiam oculi mei defecerũt dum intentus Deum meum prastolor.*

4 *Præterea facilius pilos capitis mei numerarim, quam hostium turbam qui mihi immeritò sunt infesti: atque adeò istorum qui me capitaliter ode-*

INTERPRETATIO.

1 SErua me Deus: quia penetrarunt aquæ vsq; ad animam *meam.*

2 Iam demersus sum in lutũ profundum, & vbi consistere non possim: deueni in profundissimas aquas, & fluctus aquæ inundauit me.

3 Defatigatus sum clamando exaruit guttur meum, defecerunt oculi mei expectando Deum meum.

4 Multiplicati sunt supra capillos capitis mei qui oderunt me immeritò: roborati sunt qui me coarctant qui inimici mei sunt fal-

rint, auferetur quotidie numerus: & , quod omnium grauissimum est, qui mea diripuerunt: perinde in me agunt, ac si alios essem ego prior depradatus.

5 At tu, Deus, optime noſti recte & prudenter me geſſerim, an non: & auſim ego nocens, qualem iſti eſſe me calumniantur.

6 Quid ſi igitur abs te deſerar? nempe illos quoque pudefieri oportebit qui promiſſis mihi abs te datis freti ſoſe mecum coniunxerunt. Id verò prohibe ne accidat, Iehoua potentiſſime, neq; patere vt in mea cauſa defenſione excidant ſpe ſua, qui te Deum Iſrael requirunt.

7 Nam certè, quicquid iſti prætexant, non tam me quam te ipſum per latus meum petunt, tuiq; vnius cauſa tot conuitijs inceſſor, & ignominia coopertus iaceo.

8 Neque ab extraneis duntaxat deſerer, ſed conſanguinei etiam mei, adeoq; ipſi mei germani fratres me quaſi ignotũ & nullo ſanguinis vinculo cũ ipſis coniunctum aſpernantur.

9 Quoniam videlicet quoties gloriam tuam imminui ſenſi, totus dolore exarſi, quod etiam diſſimulare nec volui nec potui: & conieciis in te conuitijs meipſum vulnerari exiſtiſam ob cauſam quæ nec rapui tunc reſtituendo

5 Deus, tu noſti quæ ſit inſipientia mea: & delicta mea non te latent.

6 Non erubeſcant mea cauſa, qui te expectant Domine Iehoua princeps exercituum: ne pudefiant propter me, qui quærunt te, Deus Iſrael.

7 Nam propter te oneror opprobriis, & operit ignominia faciem meam.

8 Extraneus euaſi fratribus meis, & alienus filiis matris meæ.

9 Quia zelus domus tuæ excedit me: & opprobria eorum qui te probris afficiunt in me inciderunt.

maur.

10 *Itaque grauissimè dolens præ mœrore à cibo etiam abstinui, quod meum studium isti ludibrio habuerunt.*

10 Et fleui in ieiunio animæ meæ: & *hoc* versum est in opprobria mihi.

11 *Deposita, inquam, veste cilicium sumpsi, quod isti in dicteria verterunt.*

11 Et sumpsi pro veste saccum, sed factus sum illis dicterium.

12 *Adeò quidem vt in publicis quoque cœtibus de me garrire non destiterint, & suauiter epulantes de me cantillarint.*

12 Loquuti sunt aduersus me sedentes in porta: & de me cantillarunt conuiuantes.

13 *Ego verò quid hic tandem fecero? nempe preces apud te nihilominus effundo, Iehoua, nihil istorum potentia & arrogantia perterritus. Nam vt habenas illorum petulantia nunc laxaris, scio vicissim tempus apud te constitutum esse quo & ipsos cohibeas, & quantopere tuos diligas re ipsa demonstres. Itaque te Deus, per illam immensam clementiam tuam obtestor, vt pro maxima certissimaq; bonitate tuâ me clamantem exaudias.*

13 Sed quid ad me attinet, preces meas fudi tibi Iehoua. Tempus *enim aliquod est* gratuitæ beneuolentiæ. Deus pro magnitudine clementiæ tuæ, responde mihi, in veritate salutis meæ, *id est* verè me secundum promissa tua liberans.

14 *Erue me, quæso, ex ista voragine, ne totus absorbear: eripe me hostibus meis & tot miseriarum diluuio.*

14 Erue me ex luto ne submergar, sed potius liberer ab aduersariis meis, & à gurgitibus aquarum.

15 *Prohibe, inquam, ne aquarum redundantia prorsus obruar: ne me gurges iste profundissimus deglutiat, ne mihi denique ista voragine absorpto nulla spes liberationis relinquatur.*

15 Ne inundet me fluctus aquarum, & ne absorbeat me vorago & ne claudat super me puteus os suum.

16 *Fac Iehoua pro eximia illa tua clementia vt meas abs te*

16 Responde mihi Iehoua, quia bona est clementia

exauditas fuisse preces experiar & quum immensa tua sint miserationes, illas habita mei ratione demonstra.

17 A seruulo tuo tot angustijs oppresso ne te, quaeso, subducito, sed accurre potius exauditum liberaturus.

18 Accede ad miserrimam hanc animulam, vt opem tuam implorantem liberes: & ab ista crudelissimorum hostium multitudine me redime.

19 Quibus & quam falsis criminationibus petar, & quibus iniurijs ac contumelijs afficiar optimè omnium nosti, nec vllus ex aduersarijs meis effugere conspectum tuum potest.

20 Heu quantopere me ista vexant, torquent, discruciant, quum praesertim diu quidem sed frustrà expectarim dum sese quispiam offerret qui tot illatis mihi iniurijs commoueretur, nec vsquam sit inuentus qui miserrimum hominē vel vnica vocula cōsolaretur.

21 Quid quod etiam miserias meas pro viribus aucturi amarissimo felle me pauerunt, & acetum mihi propinarunt tātum abest vt miserrimum sint consolati?

22 At tu facito vicissim vt instar animalium qua esca proposita decepta illaqueantur, ista omnia tua beneficia exitio cedant, & mortem ibi in-

tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice ad me.

17 Et ne abscondas faciem tuam à seruo tuo, quoniam anguſtia eſt mihi. feſtum exaudi me.

18 Accede ad animam meā libera eam: propter inimicos meos me redime.

19 Tu noſti opprobrium meum & confuſionem meam & ignominiam meam: coram te ſunt omnes aduerſarij mei.

20 Opprobrium fregit cor meum: & afflictus ſum: & expectaui vt commoueretur aliquis: ſed nemo erat & conſolatores, ſed non inueni.

21 Immo propoſuerunt mihi pro cibo fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.

22 Sit menſa eorum ipſis pro laqueo: & illorum proſpera pro reti.

23 Obte-

gulant vnde lætitiam & iucunditatem capiant.

Adime illis omne rationis & intelligentiæ lumen, & veluti cæcos omnes eorum succide, vt recti quicquam neque cogitare, neque exequi possint.

Effunde in illos indignationē tuam, & tibi pœnas iustas daturos totus ira inflammatus vltrice.

Destrue funditus illorum palatia, & eorum ditionem omnem pœnitus deuasta.

Siquidem tantum abest vt eū sint miserati quem tibi visum est tam duriter affligere, vt etiam cum grauius afflixerint, & tam grauiter abs te vulnerato nouas certatim plagas imposuerint.

Omnem igitur vicissim opem tuam ab illis subtrahe, vt scelera sceleribus cumulent: nec vllo vnquam pœnitentiæ spiritu donatos in gratiā recipe.

Et licet isti quatenus ex sanctis illis patribus nati sunt, videantur in album tuorum relati quibus vera vitæ donū destinasti, nomina tamen illorum ex libro tuo expunge, neque ipsos inter iustos retinsi.

Hæc igitur illorum perditissimorū sors esto. At ego nunc quidem calamitosissimus, tādem abs te liberatus, ô Deus, rursum extollar.

Tunc igitur nomen tuum cā-

23 Obtenebrentur oculi eorum ne *quid* videāt: & lumbos eorum semper fac tremiscere.

24 Effunde super eos indignationem tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

25 Sit palatium eorum desertum: in tabernaculis eorum non sit incolæ.

26 Quia quem tu percussisti persecuti sunt: & dolorem vulneratorum tuorum numero auxerunt.

27 Adde iniquitatem super iniquitatem eorum, & ne ingrediantur in iusticiam tuam.

28 Deleantur ex libro viuentium, & cum iustis ne scribantur.

29 Ego verò inops pauper *quidem sum* & dolens, *sed* salus tua Deus extollet me.

30 Laudabo nomen Dei can-

tabo, tunc laudes tuas magnificentissimè celebrabo.

31 *Et erit istud, sat scio, Iehoua iucundius quàm vel maxima hostia vngulis & cornibus insignis.*

32 *Omnes autem similiter vexati hoc exẽplo meo recreati lætabuntur, & ad Deum exemplo meo confugientes, vitæ restituentur.*

33 *Etenim, inquient, Iehoua inopes exaudit, nec eos aspernatur qui ipsius causa vinculis arumnarum constringuntur.*

34 *Agedũ igitur ipsi cæli, ipsaq; adeo terra molesi, maria ipsa & quæcunque aquas per reptant, Dei laudes concelebrẽt.*

35 *Deus enim Sionem suam seruabit, & vrbes Iuda attributas extruet, ibiq; perpetuas sedes suis assignabit.*

36 *Siquidem hanc hæreditatem patres ad suos posteros transmittent, & seruorum Dei, eorum videlicet quibus chara est ipsius gloria, hæc est perpetua possessio futura.*

tibus) & eum laudibus celebrabo.

31 Et placebit hoc Iehoue, plus quàm boue & iuuenco qui profert cornua & vngulas.

32 Videbunt afflicti, & lætabuntur quærentes Deum, & viuet cor vestrum.

33 Quia audit pauperes Iehoua: & vinctos suos non negligit.

34 Laudent eum cæli & terra: & maria, & quicquid reptat in eis.

35 Quia Deus seruabit Sion & ædificabit vrbes Iuda: & habitabunt illic, & hæreditate obtinebunt eam.

36 Et posteri seruorum eius hæreditario iure possidebunt eam: & qui diligunt nomen eius manebunt in ea.

Idem Psalmus sexagesimus nonus, monocolos versibus heroicis vt octauus.

1 AH Deus, ah miserũ hunc seruã iam gurgite mersum
2 Limo eluctantem, fœdáque voragine cœni,
Absorptúmque caput iactantem hinc inde procellis,
3 Postremáque tibi rauca iam voce querelas
Fundentem, & sursum te, mi Deus, inquirentem.
Denique vix oculos tollentem in morte natantes,

4 Tu

4 *Tot siquidem capitis nequeam numerare capillos,*
Quotme circunstant hostes nil tale merentem,
Crimen in insontem audaces confingere quoduis,
Et quæ non rapui, nullo me iure reposcunt.
5 *Atqui, si qua mea est amentia, si quid iniqué*
Patrauí, hoc nostri, nec te res vlla fefellit.
6 *Ne vero armipotens patiare labescere tandem*
Dedecores, multóque infames ora pudore,
Qui tua nunc mecum expectant promissa, tuóque
Vnius mecum pendent à numine toti,
Ipse abeam præceps tua si mandata sequutus.
7 *Nam tua probra hæc sunt, mea te hæc infamia lædit,*
8 *Méque ideo fratres eadem quos protulit aluus*
Odêre infensi, quasi sim peregrinus & hespes,
9 *Numinis ipse tui ardescam quòd totus amore,*
Et mea, te quocunque petunt, opprobria ducam.]
10 11 *Ieiunus fleui, saccóque indutus oberrans,*
Mœrorémque animi vultu testatus: at illi,
Illi inquam, proceres rerum queis credita summa est,
Incessêre iocis flentem, vinóque madentes
Ieiunum sannis rident mordacibus vltro.
13 *At me Sancte iuuet, dum mollia tempora fandi,*
Assiduas tibi ferre preces. Tu me ergo precantem
Exaudi, certáque bonus seruato salute.
14 *Ah prohibe, seuos fugio dum territus hostes,*
Absorptus peream fœdi ne gurgite limi.
15 *Et sub aquas rapidis abeam superatus ab vndis.*
16 *Audi, inquam, tua quandoquidem clementia tanta est.*
Et nostri tibi tantus amor: nec sperne roganiem
17 *Auersus, stringit quem tanta angustia seruum.*
18 *Appropera potius miserúmque tot vndique sæuis*
Hostibus obsessum accurrens seruato benignus.

29 Tu quibus inceſſar probris, quo crimine, quanto
Dedecore inſontem maeulent, ter Maxime, noſti:
20 Ipſe equidem fractúſque animum, totúſque dolore
Confectus ſtupeo, rogitans me ſi quis amicus
Reſpiciat, nemo clamantem, nemo roganteм
Inuentus verbis qui conſoletur amicis
21 At me illi interea pauerunt ſelle querentem,
Vexatúmque ſiti recrearunt pectus aceto.
22 At tu alios quicunque, ſouent, potúſque cibiq;,
His facito exitio cedant, ceu retia tendens
Incautas eſca volucres quam decipit auceps.
23 Luminibus capti incerta ac cæde vagentur,
Et tremuli, quocunque ferant veſtigia, nutent.
24 Tu tu illos omni collecta feruidus ira
Perſequitor, penitúſque effuſo euerte furore.
25 Proſtratæ iaceant illis fugientibus vrbes,
Præcipites etiam ſua linquant teſqua coloni.
26 Námque tuæ haud leuiter contuſum verbere dextræ,
Ictibus affecere nouis, tot tantaq; paſſum
Sæui ſpectantes, & noſtra in damna iocati.
27 Adiunge illorum ſceleri ſcelus: impia nunquam
Illorum in melius conuerti corde iubeto.
28 Quin potius vita indigni meliore, bonorum
Sacrato prohibe ſcripti memorentur in albo.
29 Ipſe autem licet exanimis, fractúſque dolore,
Te, mea certa ſalus, vita celebrabo recepta:
30 Te te, inquam, voce, & cythara canabo ſonora
31 Sacra tibi potiora ferens, quàm corniger vllus,
Si tibi ſacratas taurus mactetur ad aras.
32 33 Tum vero quemcúnque malis ſors aſpera vexat,
Vt miſeros curæ eſſe Deo, tandemq; ſolutis
Libera cognorint vinclis attollere colla,

Te

Te querent hilares, præsenti à morte recepti.
Eia igitur cœli, tellus, ipsæ æquoris undæ,
Et quicunq; maris populi decurritis undas
Mecum vnà celebrate Dei sublimis honores.
Hic etenim cœli seruabis ab arce Sionis
Mœnia, Iudeas hic cinget mœnibus vrbes,
Quas teneant sancti cultores numinis olim,
Illic mansuri æternum, illorumq; nepotes.

Psalmus septuagesimus εὐκλικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi septuagesimi.

Continet hic Psalmus precationem quàm verisimile est Dauidem sibi familiarem in exilio habuisse, & Ecclesiæ postea quasi formulam quotidianam præscripsisse, quum Ecclesiæ, ut certè pleriſque ipsius ciuibus, hostes nunquam desint tales hic describuntur.

Eiusdem Psalmi septuagesimi.

PARAPHRASIS.

A Curre Deus ad liberãdum, propera ad opitulandum mihi Iehoua.
Inuolue ignominia vltos qui me ad necem quærunt: iube illos terga vertere infamia cooperios quibus nihil est optatius quàm vt me perditum videant.
Fac, inquam, vt dedecori pro mercede referant irrito conatu domum reuersi, qui mihi quasi de me iam actum esset, insultarunt.
Contrà verò faxis vt non ego tantùm, sed etiàm omnes qui te colendi studio tenentur &

INTERPRETATIO.

1 DEus *accurre* ad liberãdum me Iehoua ad auxiliũ meũ festina.

2 Pudefiant & confundãtur, qui quærunt vitam meam: retroagantur & ignominia afficiantur, qui delectantur malo meo.

3 Retrouertantur pro mercede confusionis suæ: qui dicunt, hæah hæah.

4 Gaudeant & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant, semper magnifi-

in exitum miseriarum mearum intenti sunt, gaudeant & exultent, & de me abs te liberato tibi solennes ac perpetuas gratias agant.

5 *Adsum interea miser & omni ope destitutus. Accelera igitur, Deus, vt mihi opitulerù. Nam abs tuo vnius auxilio pendeo Deus, liberator meus. Iehouane, quasò, diutius cunctare.*

cetur Deus, diligentes salutem tuam.

5 Ego verò sum oppressus & egenus: Deus accurre ad me, auxilium meum, & liberator meus es tu: Iehoua ne differas.

Psalmus septuagesimus monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo, vtsecundus.

1 *ADfer promptus opem, Deus, roganti,*
Succurre approperans periclitanti:
2 *Fac istos pudor obruat nocentes,*
Student perdere quotquot innocentem:
Infames q; procul semel repelle,
Dura tot mihi damna machinatos:
3 *Fac ignominiæ notam reportent,*
Qui me ignominia volunt notatum.
Truci pectore prosequi assueti,
Mordaci gemitus meos cachinno.
4 *At qui pectore te pio requirunt,*
Te colant hilares & vsque & vsque:
Et quicunque tua abs salute pendent,
Illis perpetuas tibi canendas
Deus suppedita, supreme, laudes.
5 *Adsum pauper ego, miserq; prorsus,*
Seruato approperans Deus rogantem,
Vnus tu mihi nanque liberator,

Vnus

Vnus præsidium periclitanti.
Eheu ne, rogo, ne, Deus, morare.

Psalmus septuagesimus primus εὐκτικος.

Argumentum & vsus Psalmi septuagesimi primi.

Psalmus iste ἀνεπίγραφος apud Hebræos, videtur tamen omnino ad Dauidem referẽdus, & tum ab eo scriptus quum Achithophelis præsertim proditione iam senex à filio quem vnice diligebat. tam subitò tantáque cum rabie esset de solio deturbatus, & trans Iordanem vsque pulsus, Plenus autem est grauissimis iustissimisque querelis, simulque præbet eximiæ constantiæ inuictæque fidei exemplum. Et quum non alia sit piorum seruorum Dei conditio, prodest hunc Psalmum sæpe meditari, tum ne sibi post varios labores exanthlatos quietam senectam temere polliceantur, tum ne vbi non modo ab exteris sed etiam ab iis ipsis quos in sinu suo fouerint similiter vexabuntur, animum despondeant: sed Dauidis & aliorum Prophetarum ac etiam Apostolorum, adeóque plurimorum fidelium Episcoporum exemplo, pergant currere donec coronam apprehendant.

Eiusdem Psalmi septuagesimi primi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *AD te vnum perfugio Iehoua. Tu verò facito ne perpetua ignominia obruar.*	1 AD te Iehoua confugio: ne pudefiam in æternum.
2 *Eripe me potius huic quoque calamitati, prout te iustum & promissorum memorem sum expertus, & me exauditum libera.*	2 Secundum iusticiam tuam eripe & libera me: inclina ad me aurem tuam, & serua me.
3 *Esto mihi nunc quoque arcis munitissimæ loco in quã semper perfugiam. Quum enim in tuam tutelã me iam olim receperis, vnde tandem præsidium potius petiero?*	3 Sis mihi rupes firma in quã me semper recipiam mandatum dedisti de me seruando, certè rupes mea & refugium meum es tu.
4 *Itaque, mi Deus, facito ne in*	4 Deus mi, libera me ex ma-

istius, improbissimi & callidissimi, tantáque cum rabie in me irruentis hostis manus incidam.

nu improbi, à manu vero & exacerbati.

5 Nam abi te vno totus pendeo: in te vnum, inquam, Domine Iehoua, spem omnem meam à prima pueritia collocaui.

5 Nam tu expectatio mea es: tu Domine Iehoua, fiducia mea es à pueritia mea.

6 Tu is es vicissim qui me in ipso matris vtero adhuc conclusum fouisti: qui me quasi obstetrix ex matris visceribus eduxisti, quod beneficium tuum semper prædicaui & prædicabo.

6 Super te sustentatus sum ab vtero: à visceribus matris meæ tu extractor meus: tu te laus mea semper.

7 Itaque toties experta benignitate tua fretus, quamuis plerique me nunc ex ipsis præsertim magnatibus quasi portentum quoddam abominẽtur, in te tamen respicio, certissimoq; tuo robore innitor.

7 Quasi portentum sum multis *seu magnu*: tu verò fiducia mea *firma*.

8 Et certè futurum non ambigo quin rursum tua celebrandæ laudis ac gloriæ quotidie prædicandæ occasionem mihi suggeras.

8 Replebitur os meũ laude tua: quotidie gloria tua.

9 Agedum igitur qui me vegetum & ætate florentem protexisti, ne me nunc vetulũ desere, sed potius quo magis cætera vires deficiunt tu mihi tanto promptius opitulare.

9 Non abiicias me tempore senectutis: quum deficiet virtus mea, ne deseras me.

10 Nam de me quidam hostes dictitant, & qui vitæ meæ insidiantur vnà conuenerunt,

10 Quia loquuti sunt inimici mei de me: & qui obseruant vitam meam, consiliarunt simul.

11 Imò etiam quasi tu ipse me perdere decreueris, & auxilio

11 Et dicunt, Deus reliquit eum: persequimini & comprehen-

te in perniciē meam ipsi cōspirarint, Deus, inquiunt isti sese mutuò cohortantes, istum deseruit: itaque illum fugientem persequimini, & omni ope destitutum arripite.

prehendite eum, quia non *est* qui *eum* eripiat.

11 *At tu, Deus, adesto mihi proximus: Deus, inquam, accurre vt auxilium laborāti feras.*

12 Deus, ne longe absis à me: Deus mi, ad auxiliū meum festina.

13 *Neq; me duntaxat ab eorum rabie tutum præsta, sed fac etiam vt isti mei capitales hostes cum ignominia ad internecionē deleantur: & probris omnique infamia genere obruātur qui me perditū volūt.*

13 Pudefiant, & consumantur aduersarij vitæ meæ operiantur probro & pudore, qui procurant mihi malum.

14 *Ego profectò quicquid isti moliantur, nihil moratus, in te sperare, & magis ac magis collaudare te non desistam.*

14 Nam ego semper sperabo: & adiiciam super omnem laudem tuam.

15 *Os, inquam, istud meum te iustum ac fidei memorē prædicabit, neque me abs te millies liberatum, & innumerabilibus beneficijs affectum reticebo.*

15 Os meum narrabit iustitiā tuam, quotidie salutem tuam: quia non cognoui *eius* numerum.

16 *Quinetiam interea, quātumuis & ætate confectus & omnibus alijs auxilijs nunc quidem destitutus, pergam tamen fortiter tuis vnius immensis illis viribus fretus, Domine Iehoua: & sola tua iustitia cogitatione meipsum cōfirmabo.*

16 Incedam fretus fortitudinibus Domini Iehouę: memor ero iusticiæ tuæ solius.

17 *Sic enim tu me, Deus, à prima pueritia ad hanc vsque ætatē facere, & admiranda tua facta quæ sum ipsemet expertus prædicare docuisti.*

17 Deus docuisti me à pueritia mea, & hucusque: annuntiaui mirabilia tua.

18 Itaque ne me nunc qui tuo beneficio ad hanc vsque senectutem & canitiem perueni, deserito, ne fortè laudes illa quibus ætati ventura, & cũctis futuris posteris testari robur tuum decreui, mea calamitate aut etiam morte abrumpantur.

18 Itaque etiam vsque ad senectutem & canitiẽ, Deus ne deseras me, donec annunciem brachium id est, robur tuum ætatibus: & cũctis venientibus fortitudinem tuam.

19 Enimuero, Deus, quum mecũ expẽdo quam viam & rationem in prastanda benignitate tua sequaris, fateri me necesse est altiora esse tua cõsilia quã vt eò possit quisquam pertingere, & quicquid agis summam tuam excellentiam testari. Denique, Deus, quis similis tibi?

19 Iustitia tua Deus est vsque ad summũ, quia fecisti magnifica: Deus, quis similis tibi.

20 Itaq; tu me per asperrimas & plurimas ærumnas ac totidem mortes circunduxisti, nempe vt quum me rursum in vitam restitues, & veluti ex intimis terra specubus eductum extolles; eò sit illustrius potẽtia tua exemplum.

20 Nam videre me fecisti calamitates magnas & malas: sed rursus viuificabis me: & ex abyssis terræ rursus extolles me.

21 Nec enim dubito quin gloriam illam meam priorem, qua me nunc isti spoliarunt, non modò mihi restitues, sed etiam amplifices, & me rursum ad me conuersus consolaberis.

21 Multiplicabis magnitudinem meam: & rursus consolaberis me.

22 Itaque te vicissim & voce & fidibus laudabo, tuamq; veritatem, mi Deus, te, inquam, sanctum Israelis numen, carminibus celebrabo.

22 Etiam ego celebrabo te in instrumento nablij, & veritatem tuam, Deus: psallam tibi cithara, sancte Israel.

23 Nec ore duntaxat, vt hypocryta solent, tibi psallam, sed

23 Exultabũt labia mea dum psallam tibi; & anima mea quam

ab intimo vsq; mentis recessu profectis laudibus redemptorem te meum testificabor.

quam redemisti.

24 *Istis denique meis capitalibus hostibus probro & ignominia obrutis, quotidie tuam & in tuis conseruandis, & in sceleratis iusto supplicio afficiendis iustitiam personabo.*

24 Etiam lingua mea quotidie annunciabit iusticiam tuam: quia pudefacti fuerint, quia ignominia affecti fuerint, qui procurant mihi malum.

Idem Psalmus septuagesimus primus, dicolos distrophos vt decimusquartus.

1 *FIdo tibi, ne quæso, Deus, patere vt mihi quisquam*
AEternum inurat dedecus,
2 *Imò iustus ades Deus, & seruato rogantem,*
Iustisq; precibus annue.
3 *Tu secura mihi arx esto, tutusq; receptus,*
Promissa ceu tua postulant,
Nam mea tu rupes vnus, tutúsque receptus,
Aduersus omnium minas,
4 *Sancte veta ne me sceleratus & impius hostis*
Totisq; viribus ruens,
Pistoris massam supráque infráque subactam
Versantis instar opprimat
5 *In te vnum siquidem respexi, me puer olim*
Tibi tenellus dedidi.
6 *Tu me conceptum fouisti matris in aluo:*
Inde tua me duxit manus.
Nec mihi materies te deinceps vsq; canendi
Vnquam, Deus mi, defuit.
7 *At nunc prodigij me quilibet instar abhorret,*
Tibi manentem credulum.
8 *Tu vero facito noua me benefacta canentem,*

Vt semper omnes audiam.

9 *Ah ne me effœtum, longaq́, ætate trahentem*
Infirma membra, desere.
10 *Nam coëunt hostes, & secum multa loquuti,*
Velut siem iam perditus,
11 *Ite aiunt, ope nudatum hunc comprehendite, prorsus*
Quem numen ipsum negligit.
12 *At tu promptus ades, Deus, ah, Deus, oro, precanti*
Succurre tu mihi celer.
13 *Et facito infames pereant probro atque pudore,*
Hoc qui innocens petunt caput.
14 *Auxilij tum certus ego, pro munere tanto*
Cumulabo laudes laudibus.
15 *Et tua dona canam, quorum subducere summam*
Infirmus hic animus nequit.
16 *Te fidum memorabo mihi, tantæque salutis*
Caussam fatebor vnicam.
Nanque tuo vnius Deus ambulo robore fretus,
Tuaq́, subsisto fide.
17 *Tu tua me vatem dicturum ingentia facta*
Puerum erudiuisti tibi.
18 *Ne me igitur canum Deus effœtumq́, relinque,*
Seris prius quàm posteris
Facta tuæ referam victricis fortia dextræ,
Tuiq́, robur numinis.
19 *Vah, tua certa fides, tuaque illa ingentia facta*
Quôusque consurgunt, Deus!
Ecquis eris sese qui tecum conferat? ecquis
Se iactitet parem tibi?
20 *Tu per mille cruces, per mortes mille beatæ*
Deducis in vitæ sinus:
Tu tempestatum sæuo me gurgite mergis,

Vt inde tollar altius.
21 *Tanto igitur tandem emicabo sublimior olim,*
Meq; recreabis fortius,
22 *Et tanto celebrabo tuas ardentius olim*
Laudes, Deus mi, nabliis,
Te cythara tanto cantabo ardentius inquam,
Sancte Israëlis ô Deus.
23 *Te nabliis vox iuncta canet, conimctaq; voci*
Hæc grata animula succinet,
24 *Hæc mea te fidei memorabit lingua tenacem,*
Noctes dieſq; prædicans,
Dedecore infami quòd ſic affeceris hoſtes
Meam excubantes in necem.

Pſalmus ſeptuageſimus ſecundus

Διδακτικὸς, καὶ πολιτικὸς.

Argumentum & uſus Pſalmi ſeptuageſimi ſecundi.

Pſalmum hunc edidit proculdubio Dauid quem veluti omnium pretioſiſſimum κειμήλιον. Solomoni filio recens vncto regi relinqueret: Continent enim quæcunque ad veri Regis officium ſpectant, tum vt ſanctè tum etiam vt honeſtè regat quos ei Rex ille regum regēdos commiſerit. Oſtenditautem ad eam rem opus eſſe in primis ſapientia diuinitus data, ſicut etiam eiuſmodi Reges eximium ſunt Dei donum, quales pauciſſimi in ipſa quoque Dauidis familia numerantur. Adiicit breuem quidem, ſed tamen, ſi res ipſas ſpectes, luculentam eorum beneficiorum recenſionem qua populis tales magiſtratus ſortitis obueniunt, vt tantum bonum agnoſcant, & norint ſeſe ſuam ipſorum cauſam agere, quum pro ſuis magiſtratibus precantur quo etiam argumēto vtitur Paulus 1. Timoth. 2. 2. Denique quoniam terrenum iſtud regnum Dauidis, erat illius cœleſtis ac ſempiterni typus æterno illi vero filio Dauidis Ieſu Chriſto promiſſi interprete ipſo Angelo Gabriele Luc. 1. 32. 33. ſic amplitudinem regni Solomonis & florentiſſimum eius ſtatum deſcribit, vt prophetico ſpiritu

æternitate mei tribuēs, à Solomone ad Christū, id est à figura ad rem ipsam assurgat: quomodo etiam concepta fuit à Deo ipso promissio Dauidi de Solomone simul ac Christo facta, quasi vna penè essent & eadem persona, 2. Sam. 7. 13. 14. & 1 Paral. 22. 10.

Eiusdem Psalmi septuagēsimi secundi.

PARAPHRASIS.

1 *DEus cuius sapientiam nulla consistunt imperia, & qui regnum istud peculiari ratione in Dauidis familia instituisti, doce vera sanctaque gubernationis iura Regem à te ipso constitutum. Dauidis, inquam, tui filium quem tibi tute selegisti doce iustitiæ normam.*

2 *Vt populum non tam illius quàm tuum iustè regat ac præsertim inopes aduersus potentiorum iniurias tueatur.*

3 *Et sic passim per ipsos montes & colles dispersi populi subiecta gubernatione secuti, omnibus pacis bonis redundent.*

4 *Tribuas hoc illi vt ab omni tyrannide prorsus alienus certum sit inopibus perfugium, oppressas egestate familias sub leuet, calumniatores acerrimis pœnis coerceat.*

5 *Sic futurum est quoque, Deus, vt te auctore constituto regni statu, cuncti, sicuti par est, te agnoscant & reuereantur, neque id ad breue aliquod temporis spatium, sed prius desiturus Luna & Sole quàm ea-*

INTERPRETATIO.

1 DEus iudicia tua regi da: & institiam tuam filio regis.

2 Iudicet populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.

3 Proferent montes pacem populo: & colles in iustitia.

4 Iudicabit pauperes populi: salutem afferet familiæ egenorum, & conteret calumniatores.

5 Timebunt te cum Sole: & coram Luna generatio generationum.

6 Descende

si desinat.

6 *Tu verò vicissim omnia bona, velut imber in detõsa prata decidens, cælitus in populum tuum effundes, haud secus quàm terras pluuiis tempestiuis irrigare consueuisti.*

7 *Ipso regnãte florebũt iusti, & tã erit perpetua pax maxima quàm fixus est syderũcursus.*

8 *Rex autem ipse à mari vno ad alterum, & ab Euphrate ad vltimas vsque terras dominabitur.*

9 *Desertarum regionum incolæ iugum eius subibunt ad ipsius pedes abiecti, & coram eo ipsius hostes prostrati terram ipsam lingent.*

10 *Cilicum & insulanorum reges illi offerent munera, Aethiopes quoque & Arabes dona in ipsum conferent.*

11 *Omnes denique reges eum adorabunt, omnes gentes ei seruient.*

12 *Ipsius enim iustitia toto terrarum orbe celebrabitur, vt qui pauperum clamorem audiat, & inopes à cæteris destitutos tutetur:*

13 *Egenos miseretur, & de vita periclitantes recreet:*

14 *Tenues aduersus potentiorum iniuriam protegat, nec vim eis illatam inultam esse patiatur.*

15 *Deus autem illum vicissim incolumem seruabit; ex inti-*

6 Descendet sicut pluuia super pratum detonsum & sicut imbres *qui sunt* irrigatio terræ.

7 Florebit in diebus eius iustus: & *erit* multitudo pacis donec non sit luna.

8 Et dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos terræ.

9 Coram ipso curuabunt se incolæ deserti, & inimici eius puluerem lingent.

10 Reges Tharsis & insularum munus afferent: Reges Scheba & Saba donum adducent.

11 Et prosternent se coram eo omnes Reges: omnes gentes seruient ei:

12 Quia eripiet pauperes clamantes: & oppressos quibus non est adiutor.

13 Miserebitur egeni & inopis: & vitam egenorum seruabit

14 A fraude & violentia redimet vitam eorum: & pretiosus erit sanguis eorum in oculis eius.

15 Et *ipse* viuet, & dabitur ei de auro Saba, & orabunt

ma vsque Arabia aurum illi afferretur: omnes pro ipsius vita & incolumitate preces cōcipient, & quotidie prospera ipsi omnia optabunt.

pro eo semper: quotidie benedicent.

16 *Plenis tunc volis passim triticum in ipsis quoq; montium verticibus metetur, segetibus arbores Libani aquātibus: & ciuium erit in vrbibus tanta multitudo, vt penè videri possint ex terra ipsa veluti planta exoriri.*

16 Erunt manipuli frumen in terra, in capite montiū commouebitur sicut Libani fructus eius: & efflorebunt è ciuitate tanquam herba terræ.

17 *Itaq; perpetua ipsiq; Soli coæua futura eius memoria: eritq; Rex iste gentibus omnibus, beatum illum prædicantibus summum omnis felicitatis exemplar.*

17 Erit nomen eius in seculum, coram sole propagabitur nomen eius: & omn benedicēt se in eo: omne gentes beatū prædicabu eum.

18 *At tibi, Iehoua cælitū Princeps omnium rerum mirificarum auctori, laus summa tribuatur.*

18 Benedictus Iehoua Deu Deus *inquam* Israel, faci mirabilia solus.

19 *Perpetuò gloria tua fama celebretur, & terram omnem repleat. Ita, ita, inquam, erit.*

19 Et benedictum *sit* nom gloriæ eius in seculum: repleatur omnis terra, A men & Amen.

20 *Hic desinunt preces Dauidis, filij Isai.*

20 Finiunt preces Dauid fi Isai.

Idē Psalmus septuagesimus secundus, monocolos, vt psalmus decimus octauus.

1 *TV regnaturum Regem tua iura doceto,*
Et Regis sobolem præceptis instrue rectis,
2 *Sancte Deus: populos iusta vt ratione gubernet,*
Idem iustorum vindex, vltorque malorum.
3 *Compositis iustè regni tunc rebus abundans*

P

Pax hominum nutrix montes colleſq́ beabit.
Aſſerit hic ſiquidem oppreſſos, fractiſq́ ſuperbis,
Succurret miſeris, & opis ſeruabit egentes.
Hinc pietatis amor cunctorum in pectore ſurget,
Teq́ verebantur patres, patrumq́ nepotes
Exemplo, donec Solis Lunæque coruſcis
Splendebit totus collucens ignibus æther,
Ergo qualis adeſt cælo demiſſus ab alto,
Optatuſq́ diu terris ſitientibus imber,
Detonſos pratis rurſum qui reddat honores:
Talis erit populis cœli Rex miſſus ab aree.
Florebunt iſto tuti ſub Principe Iuſti,
Pax iterum miſeros mortales alma reuiſet,
Pax non diſceſſura prius, quàm deſinat atras
Menſtrua per noctis tenebras decurrere Luna:
Limes erit regni Oceanus diffuſus vtrinque,
Et procul Euphratis quicquid poſt littora magni
Terrarum latè ſpatium complectitur ingens.
Eſſerus ipſius deſerti hunc incola Regem
Curuus adorabit trepidans: hoſteſq́ feroci
Pectora depoſito, Regis veſtigia lambent.
Vltro dona ferent Cilices, medioq́ natantes
Qui pelago exercent terras, qui torrida longè
Arua tenent, & ſacra legunt qui thura Sabæi.
Hunc cuncti Regem reges, hunc denique gentes
Agnoſcent cunctæ Dominum. Rex ipſe viciſſim
Clamantes miſeros, affectorumq́ querelas
Audiet adiutor promptus, duraq́ leuabit
Sorte laborantes, & quos mala vexat egeſtas,
Fraude premi quëquam impatiens, & ſanguinis idem
Effuſi temerè haud vnquam exorabilis vltor.
Sic viuet longùm felix, populiq́ frequentes

Assiduis illi votis bona cuncta precari,
Lecta ferent auri puri pulchr talenta.
16 *Consurgent densæ segetes, & montibus altis,*
Quale sonant, ventis syluæ incumbentibus, Orni,
Collisis agitata seges crepitabit aristis.
Ac velut erumpunt fœcundis gramina campis,
Momento impletæ cernentur ciuibus vrbes,
17 *Ipsius verò stabit durabile nomen,*
Aurea splendebunt Solis dum lumina cælo:
Diuiniq; exemplar erit Rex iste fauoris,
Quem cunctæ agnoscant gentes, dicanq; beatum.
18 *At tibi summe Deus, Deus ô æterne Iacobi,*
Tantarum artifici rerum, sit gloria soli,
19 *AEternoq; tuum celebretur nomen honore:*
Terra, inquam, iustos omnis tibi soluat honores,
Da Pater hæc vt sint, vt sint rata vota precanis.

Hic desinunt preces Dauidis
filij Isaj.

LIBER TERTIVS
Psalmorum.

Psalmus septuagesimus tertius,
διδακτικός.

Argumentum & vsus Psalmi septuagesimi tertij.

Quod extremo superiore Psalmo scribitur, non esse ita accipiendum quasi ibi prorsus finiantur Dauidis Psalmi, res ipsa demonstrat, quum alij etiam aliquot ex sequentibus illius nomen præferant, & ex præcedentibus aliquot sint ἀνεπίγραφοι. Sed vndecim proximè sequentes Asapho excellenti Prophetæ & Leuitæ cantori tribuuntur, cuius honorifica fit mentio multis locis, ac præsertim 2. Paralip. 29. 30. nisi malimus

limus Asaphos plures fuisse, aut illius posteros sic generali nomine fuisse appellatos. Describitur autem hoc Psalmo victoria Spiritus aduersus carnem, quam luctam Sophistæ falso eam esse statuunt quæ à Philosophis docetur, quum de rationis & affectuum certamine disserunt: quum tamen in iis quæ proprie diuina sunt, nihil æquè veræ sapientiæ atq; ipsa hominis ψυχικὴ, id est non regeniti, Ratio reluctetur, etiam vbi vera principia concessit: vique adeò verum est quod ait Apostolus, sapientiam videlicet humanam in stultitiam tandem desinere, vt in hoc quoque argumento apparet. Iudicat enim humana Sapientia, & rectè iudicat, Si Dei prouidentia gubernantur homines, bonis benè, malis malè esse oportere. Sed quum ex eo colligit non igitur regi homines Dei prouidentia, & irritos esse eorum labores qui virtuti studeant, quoniam malorum vita plerunq; rebus secundis, bonorum contrà calamitatibus redundet, in eo se stultissimam esse demonstrat. Potius enim ex illo ipso principio colligendum fuit, aliter esse de bonorum & malorum finibus statuendum quàm homines consueuerint: quòd Deus quibusdam commodis malos etiam dignetur, ideo non tolli ipsius prouidentiam sed infinitam potius bonitatem & patientiam commendari: quòd boni variis in hac vita calamitatibus exerceantur, euenire partim ne Dei indulgentia abutantur, partim quòd castigatione indigeant, tum etiam vt meliora sperare discant, & quò difficiliora certamina obierint eò illustrior Dei virtus in ipsorum victoriis appareat, & ipsi athletæ tanto maiore præmio donentur: deniq; quod præcipuum est, malis nunquam bene esse, idque ipsorum culpa: bonis contrà nunquam malè esse, idque ex Dei singulari misericordia, quoniã malis etiam bona in malum, bonis contra etiam mala in bonum cedant. Hæc est verè pretiosa doctrina tum aliquoties aliis Psalmis & variis scripturæ locis, ac præsertim in Iobo, & Abacuc Propheta tum verò maximè in hoc Psalmo pertractata, quam meritò dicit Asaphus ex solo Dei sacrario petendam, quum de bonorum & malorum discrimine, & de virtutibus ac earum causis & effectis tenuia & exilia, ac interdum etiam absurda in eorum quoque Philosophorum scholis doceantur, qui virtutem sibi ipsi mercedem esse, & solum sapientem beatum semper esse iudicarunt.

Eiusdem Psalmi septuagesimi tertij.

PARAPHRASIS.

1 *ATqui, quaecunque tandem in contrariam partem afferantur, verum & inconcussum illud esse necesse est, Deum erga Israelē, id est eos qui pure & sanctè ipsum colunt, non posse non optimè esse affectum.*

2 *At ego, fateor, vix tandem eluctari ex contrarijs cogitationibus potui; adeò quidem vt à lapsu parum abfuerim, & quominus praeceps ruerem, cohibere vix meipsum potuerim.*

3 *Aestuabam enim totus vesanos homines intuens vsque adeò superbientes, & prosperè succedentibus illis rebus omnibus elatos.*

4 *Sunt enim vegeti vsque adeò, vt à morbis, ac penè morte ipsa immunes esse dicas, tam est firmum ipsorum robur.*

5 *Caeteris laborantibus & multiplicibus aerumnis oppressis, habent illi parata vita praesidia, quibus istas miserias eluitent.*

6 *Itaque insolescunt, & quanta ipsorum animus superbia & ferocia turgeat, ipso corporis habitu, torquati & auro ac gemmis amicti, testantur.*

7 *Quibus quantisque delitijs abundent ostendit pinguis illo-*

INTERPRETATIO.

1 ATtqui bonus est Israeli Deus, id est puris corde.

2 Sed quod ad me attinet, propemodum declinauerunt pedes mei: quasi ferè effusi sunt gressus mei.

3 Quia exæstuaui propter superbos, prosperitatē impiorum cernens.

4 Quia nō sunt cōstrictiones ad mortem ipsorum: & firmum est robur *eorum*.

5 In molestiis hominum non sunt: & cum hominibus nō flagellantur.

6 Ideo tāquam torques circumdat eos superbia, operit eos *tanquam* amictus, violentia.

7 Prominent præ pinguedine oculi eorum: superant

cogitationes

rum aqualiculus, oculis pra adipe prominentibus, Quòd ſiquid appetant, plura etiã quã expetierint nanciſcuntur.

7 Diſſolutis moribus apertè deteſtãdis opprimendis loquuntur, & quaſi ex calorum vertice reliquos infrà deſpiciant, ſuperba voce omnes territant.

9 Quinetiam cælum ipſum laceſſunt, quaſi ipſi Deo leges præſcripturi, & quacunq; in terris ſunt arbitrio ſuo ſubiecturi.

11 Sic fit vt ex ipſo quoque Dei populo non pauci diuturnarum miſeriarũ ſuarum pertæſi, ſe illis adiungant.

11 Quinam enim, inquiunt, exiſtimauerimus res iſtas eſſe Dei compertas, aut aliquod eſſe numen cui res nostra humana curæ ſint.

12 Quum not quidem, Dei populus, aſſiduis calamitatibus cõfligamur, iſti verò impij tandiu bonis affluant, & illorum opes magis ac magis augeſcant?

13 An non igitur fruſtrà pietati ſtudui, & manus ab omni iniuria puras conſeruaui,

14 Perpetuò miſer, & ſingulis diebus, ſi quod deliqui, ſeuerè caſtigatus?

15 Sed ex aduerſo, quinam ſic ſenſerim aut ſim loquutus, quin grauiſſimè peccarim? Etenim ſi res ita ſe haberet, quid ſiet Dei fieret? & quanta in-

cogitationes cordis

8 Diffluunt & loquũtur malitioſe iniuriam è ſublimi loquuntur.

9 Ponunt in cælum *vſque* os ſuum & lingua eorum perambulat terram.

10 Propterea huc ſe conuertit populus eius, quoniam aquæ pleni calices exprimuntur illis.

11 Et dicunt, quomodo intelligeret Deus? & an eſt ſcientia in Excelſo?

12 Ecce *ſunt* impij & felices ſeculi, & amplificant diuitias.

13 Itaque fruſtra mundani cor meum: & ablui innocentia manus meas,

14 Nam fui afflictus quotidie, & correptio mea *fuit* ſingulis matutinis.

15 Si dextero, narrabo ſic Ecce in ſobolem filiorum tuorum ſum inuectus.

iuria te benignissimum illorũ patrem, & illos ipsos ex spiritu tuo renatos, totque seculis abs te conseruatos afficerem?

16 *Itaq, rursum mihi attentius rem totam considerandã existimaui: sed extricare mé ex illiu molestissimis cogitationibus nunquam potui.*

16 Itaque cogitaui de hoc sciendo: *sed* molestia fuit in oculis meis.

17 *Donec in edem illam tuam, sanctissima verissimaq, sanctia domicilium ingressus, quis esset illius tanta sceleratorum prosperitatis exitus ex te ipso cognoui.*

17 Donec fum ingressus in sanctuaria Dei, & intellexi nouissima eorum.

18 *Ibi enim illos didici quorum optimam conditionem esse arbitrabar, lubrico prorsus loco non tam insistere quam vacillantibus vestigijs nutare, non modò quoniam fluxa & caduca sunt illa omnia, quod prophani etiam homines ipsa experientia edocta confitentur, sed (quod in vnica tua schola docemur) quoniam boni tui abusi in profundam illam voraginem precipites à te dejciuntur.*

18 Certe in lubricis posuis eos: deiicis eos in precipitia.

19 *Neque verò in illud tempus ab oculis nostris remotum iudicia tua semper rejcis. Quã multos enim momento ex illo vmbratilis felicitatis fastigio in extremas & immedicabiles miserias redactos cernimus? quam multos, inquam, subitò sublatos è medio videmus, repentinis terroribus horribiliter prostratos?*

19 Quomodo fuerũt in vastitionem tanquam momento? cessarunt, consumpti sunt ab horroribus.

20 Itaque perinde se habet illorum flatus atque somnium euanescens, vbi quispiam euigilauerit. Sic enim omnes istorum imaginationes vt res inanissimas excutis, Domine, inanemque vanam illorum se cuitatem expergefacis.

20 Quasi somnium sunt ab euigilando: Domine, quum expergefacis eos, imaginationes eorum contemptibiles reddis.

21 Quorsum igitur vsque adeò exulcerabam, & intus pungebar.

21 Sed efferuescebat cor meum: & renibus meis conpungebat.

22 Insanui profectò nec tam homo fui quàm bestia intelligentia & rationis expers, quum tamen vltrò ineptiens fatigarem.

22 Fui igitur ego stultus, & intelligentiæ expers: fui bestia apud te.

23 Sed agnosco singulari tuo beneficio factum, vt nihilominus meis partibus semper steterim, quoniã videlicet tibi visum est alioqui lapsuro mihi dextram porrigere.

23 Ego tamẽ semper tecum: quia tenuisti manu dexterã meam.

24 Et ita nimirum consilio tuo me diriges donec tuo munere gloriosam, superato meipsò, victoriam adipiscar.

24 Consilio tuo diriges me, & tandem in gloriam suscipies me.

25 Apage terra, quod vtinam: Deus, in cælo tam & tecum essem: quid enim est in terra quod me vel tantillũ retineat?

25 Quis mihi in cælo? & tecum: nihil expeto in terra.

26 Expertus sum quàm carnea sint & vana quacunq; ex sese cogitant mortales. Tu igitur, Deus, esto mihi vera solidaq; sapientia in qua vna totus acquiescam.

26 Defecit caro mea & cor meum: petra cordis mei & portio mea Deus es in seculum.

27 Nam, vtcũq; omnia seorsum deorsum misceantur, quicunque abs te discedunt, peribũt: & abs te pessundantur quot

27 Nam ecce qui procul discedunt abs te peribunt: perdis omnes fornicantes abs te.

quot te deserunt, id est quicunque alio quam te vno nituntur.

21 Itaque sic apud me statuo, neque me ab hac sententia patiar vnquam abduci, tum demum mihi futurum bene quũ à Deo ne tantillum quidem abscessero quacunque me uia circumducat. In te vno, Domine Iehoua, spes omnis mea sita est, tuisque celebrandis rebus gestis vitam omnem meam impendam.

28 Quod ad me attinet, ap. propinquare Deo mihi bonum est: posui in Domino Iehoua refugium meum, vt enarrem omnia opera tua

Idem Psalmus septuagesimus tertius, monocolos, carmine Iambico trimetro acatalectico vt decimus.

1 *AT qui Israêlis, corde nempe præditis*
Puro, fauere propitium numen decet.
2 *At me vacillans pene destituit gradus,*
Fallente gressus lubricos vestigio,
3 *Dum miror amens, æmulisque persequor*
Insanientum falsa stultè gaudia.
4 *Namque inquiebam, viuido stant corpore,*
Velut soluti mortis essent legibus
5 *Laboriosa cæteris mortalibus,*
Istis secunda vita cursu labitur:
6 *Superba vadunt colla onusti torquibus*
Testante cultu pectorum ferociam.
7 *Turgentia illis adipe lumina prominent,*
Superante vota luxu, & omni copia.
8 *Atroce cunctos voce latè territant,*
Cæli è supremo ceu tonarent vertice

9 *Diuina*

Cæli è supremo ceu tonarent vertice,
9 *Diuina versant ceu sibi inspecta omnia.*
Lingua pererrant orbis omnes angulos.
10 *Hinc fit piorum vt turba amaroris satur,*
Conuertat illuc sæpe sese deuia.
11 *Nanque, inquiunt, humana quis negotia*
Vel nosse, vel curare numen autumet?
12 *En euum vt omne isti scelesti transigunt*
Beati, & omni diffluentes copia.
13 *Frustra ergo sceleris purus omnis victito,*
Frustra innocentes vsque continui manus.
14 *Vexatus, eheu, mille quotidie malis,*
Vacuumq́ nullum expertus angoris diem.
15 *Sed ista quorsum? nam quid aliud sic loqui,*
Sobolem supremi quàm lacessere numinis?
16 *Sic ergo dubius hoc & illud cogitans,*
Diu pependi, mente prorsus anxia,
17 *Dei beato donec in sacrario,*
Didici scelestos qualis exitus manet.
18 *Hic vidi vt illos lubrico positos loco,*
Deo iubente, ruina præceps obterat.
19 *Tum quisque mirans, vah vt isti, inquit, citò*
Horribiliter obruti atque perditi iacent?
20 *Hos quippe cassos atque inanes abiicis,*
Fugitiua qualis est imago somnij.
21 *Planè ergo mente captum, & instar bestiæ*
Negare nequeo me fuisse, mi Deus,
22 *Tumente quando corde sic exæstuans,*
Vrebar intus impiorum commodis,
23 *At tu mihi ruinæ adfuisti proximo,*
Dextram cadentis ipse surrigens manu.
24 *Et vsque tu me scilicet sic diriges,*

Donec beata perfruar victoria.
25 *O me ecquis ad te cœli in arce subuehat!*
Terrena nanque cuncta iam fastidio.
26 *Sensi caducum quàm sit homo quod cogitat.*
Tu robur æternum mihi, omnia tu mihi.
27 *Perire nánque oportet omnes funditus,*
Qui, te relicto, falsa adorant numina.
28 *Inuabit ergò hærere me affixum tibi,*
Tuáque laudes tibi canentem fidere.

Psalmus septuagesimus quartus εὐπλινὸς.

Argumentum & vsus Psalmi septuagesimi quarti.

Quum hic Psalmus manifestè loquatur de templi euersione, aut Asaphus ille existimandus est illam spiritu prophetico prædixisse. & captiuis apud Chaldeos futuris tanto ante tempore hanc precationem dictasse: aut ad alium quempiam ex illius posteris est hic psalmus referendus. Continet autem ardentissimas preces aduersus Ecclesiarum vastatores, quales etiam hodie nimirum multi non tantum foris illas crudelissimè oppugnant, sed etiam intus in ipsarum visceribus grassantur. Ceterùm proponit Deo Propheta in primis fœdus illud æternum, omnium videlicet nostrarum precum fulcrum ac fundamentum: deinde hostium immanitatem ac impias voces, & præsentium calamitatum magnitudinem. ac præsertim Prophætiæ cessationem. Commemorat quoque beneficia iam olim in hunc ipsum populum collata, & vt sui similis esse pergat obtestatur, adiectis infinitæ ipsius virtutis testimonijs, vt quod potest etiam velit, Postremò, quod argumentum est omnium grauissimum, testatur non tam agi de Populi restitutione, quàm de ipsius Dei gloria atque maiestate aduersus impios asserenda: quæ omnia quàm nostris temporibus conueniant, res ipsa quotidie demostrat.

Eiusdem Psalmi septuagesimi quarti.

PARAPHRASIS.

TE ne verò, *Deus, nos penitus repudiasse, & ad-*

INTERPRETATIO.

1 QVamobrem Deus *nos* repulisti penitus, & fumat

uersus tuũ ipsius gregem, nulla reconciliationis spe relicta, exarsisse arbitrabimur?

fumat ira tua in gregem pascui tui.

2 *Ah potius memor esto multitudinis illius quam ipse tibi tot ante seculis redemptam acquisiuisti, & hæreditatis, illius quam tute tibi es admetitus, nempe montis istius Sionis, in quo tibi domicilium posuisti.*

2 Recordare cœtus tui *quem* acquisiuisti pridem, & quẽ redemisti: virgæ hæreditatis tuæ, montis Sion istius in quo habitas.

3 *Prodi celer, istos nunquam posthac emersuros præcipites daturus, quemadmodum videlicet hostes isti tui saluum nihil in sacrario tuo reliquerunt.*

3 Eleua plantas ad præcipitia perpetua: nam omnia afflixit inimicus in sanctuario.

4 *Rugiẽtes enim illi sese ex professo aduersarios tuos professi, in illam ipsam ædem tuam, signa, signa, inquam, sua prophana intulerunt.*

4 Rugierunt aduersarii tui in medio templi tui: posuerũt signa sua, signa.

5 *Et ecce cernere illos licet, haud secus quam lignatores in nemoribus consueuerunt, ædificium illud tuum tanto quodam artificio compactum, impacta securi destruere.*

5 Apparent singuli tanquam adducentes superne in cõdensum nemus secures.

6 *Quinetiam tantum abest vt laquearibuus & sculpturis illis elegantissimis pepercerint, vt illas etiam bipennium & malleorum summa vi confregerint.*

6 Et nunc sculpturas eius simul bipenni & malleis cõfringunt.

7 *Quid amplius? augustissimum & sanctissimum illud adytum tuum igne quoque iniecto, ne quid ex illo domicilio tuo non euersum superesset, concremarunt.*

7 Immiserunt ignẽ sanctuario tuo: ad terrã *datum* polluerunt domicilium nominis tui.

8 *Denique ne templi quidem excidio contenti, quum populari semel omnia eousque decreuissent vt nullũ prorsus nostri vestigium superesset, quacunque cogendis tuis ad audienda quæ præcepisti, & laudes tibi canendas ædificia passim construxeramus, incenderunt.*

8 Dixerunt in corde suo, populemur eos pariter incẽderunt omnia tabernacula Dei in terra.

9 *Saltem verò vsitata quondam nobis illa signa nunc cerneremus, & propheta quispiam adesset, qui nos solaretur: & ecquis tandem istis summis calamitatibus sit terminus præfixus, nobis significaret.*

9 Signa nostra non videmus non est amplius Propheta: & non est nobiscum, qui cognoscat vsquequo.

10 *Sed quousque tãdem, ô Deus, aduersarij tibi conuiciabũtur? nunquamne sacrum tuum nomen contumelijs afficere hostis iste desistet?*

10 Vsque quò, Deus, conuiciabitur aduersarius? num contumelia afficiet hostis nomen tuum perpetuò?

11 *Te ne perpetuò dextram illam tuam cuius vnius ope liberari possumus, à nobis auertere, nec è sinu tuo vnquam exerere?*

11 Quare auertis manum tuã, & dexteram tuam, è medio sinus tui omnino?

12 *Atqui tu is es qui me tot iam ante seculis regendum suscepisti, & toties palam spectantibus ac demirantibus omnibus seruasti.*

12 Deus tamen rex meus est ab initio operans salutes in medio terræ.

13 *Tu robore tuo nostri causa mare ipsum peruium fecisti. & Aegyptiorum magnatum quasi draconum capita intra ipsas aquas contriuisti.*

13 Tu fregisti in robore tuo mare: contriuisti capita draconum super aquas.

14 *Tu immanis illius cati caput cecidisti, & illorum cadauera feris desertorum illorum incolis deuoranda præbuisti.*

14 Tu confregisti caput Leuiathan: posuisti eũ escam populi qui incolit deserta.

15 Tu

15 Tu, rescissis ipsum natura legibus, dirupta rupe, torrentem ex silicis vetis, eduxisti, tu cōtra rapidi fluuij alueum repente exsiccasti.

16 Tu diei & noctis auctor es ac moderator, vt qui lucis ac Solis certos fixosq; motus digesseris.

17 Tu spatia terrarum suis finibus discreuisti: tu æstatis & hyemis vices dispersisti.

18 Quāto verò facilius populum tuum, rebus quantumuis desperatis restituere, si velis, potes? Tantum igitur fœderis illius tui recordare Ienò, vt populi tui possis obliuisci, at certè teipsum negligere non potes. Hostis autem iste quanon conuicia in te Iehouam coniecit? & quibus contumelijs insana ista gentes non te afficerunt.

19 Ah, ne tuam charissimam & apud te gementem turturillā pro derelicta habitum truculētis istis belluis exponito, neq; miserrimorum tuorum cœtū perpetua obliuioni tradito.

20 Memento potius fœderis tui. Terra enim tota nunc quidem nihil aliud est quam latronum & grassatorum latibulum.

21 Ne, quaso, tuorum tot ictibus contusorum, totq; probris affectorum vana sint & irrita preces: sed oppressis potius & omni ope destitutis laudandi tui causam prabeto.

15 Tu excidisti fontem & torrentem: tu siccasti fluuios rapidos.

19 Tuus est dies: etiam tua est nox: tu formasti lucem & Solem.

17 Tu constituisti omnes terminos terræ: æstatem & hyemem tu formasti.

18 Recordare huius: hostis conuiciatus est Iehouæ: & populus stultus contumeliis irritauerunt nomē tuū.

19 Ne des bestię animam turturis tuæ: congregationis pauperum tuorum ne obliuiscaris prorsus.

20 Respice ad fœdus: quoniam repletæ sunt tenebræ terræ habitaculis violentiæ.

21 Non reuertatur contusus, pudefactus: oppressus & inops laudet nomen tuum.

22 *Insurge Deus, & causam ipse tuam age, neque istorum furiosorum coniecta in te quotidiana conuicia obliuiscere.*

23 *Impias, inquam, aduersariorum tuorũ voces ne obliuiscere, & istorum tumultuantium sonitum ad te vsque peruenisse, re ipsa demonstra.*

22 Surge Deus, discepta litem tuam: recordare probri tibi à stulto quotidie illati.

23 Ne obliuiscaris vocis aduersariorum tuorũ: tumultus insurgentium contra te ascendit semper.

Idem Psalmus septuagesimus quartus, monocolos carmine phalæcio hendecasyllabo, vt secundus.

1 *PRorsus nos Deus ergo dissipasti?*
Ardebuntq́, tui furoris ignes,
Donec pascere quos prius solebas,
Eant in cinerem greges soluti?

2 *Immo' esto potius memor tuorum,*
Quæsitosq́, priùs tibi ac redemptos,
Illa, inquam, tua rura, & hanc Sionis
Sacratam tibi tu domum tuêre.

3 *Age attolle manum, valente vt ictu*
Istos deiicias semel feroces.
Victor hic siquidem in tua superbus
Saluum nil penitus reliquit æde.

4 *En templi in medio tui rudentum*
Audimus procul hostium boatus,
Quò, prophana sua intulêre signa.
Prophana illa sua intulêre signa.

6 Et densum velut in nemus, profectus
Lignator valida irruit bipenni,
Tali hic barbarus impetu pererrans
Culati laquearia tecta templi.

7 Tundit, destruit, eruitq; cuncta:
Sacratumq; adytum tibi prophanis
Ad terram manibus datum, voraci
Cremandum penitus dedere flammæ.

8 Namq; istis semel impio furore
Nostra est perdere cuncta destinatum,
Et quæcunq; tibi sacrata templa,
Sæuis tradere deuoranda flammis.

9 Desunt illa diu assueta signa,
Nec Vates miseris adest vel vnus,
Cuius veridico queamus ore
Horum discere terminum malorum.

10 Ah quousq; Deus supreme, tandem
Illudet miseris superbus hostis?
Ah, supreme Deus, quousq; tandem
Nomen iste ferox tuum lacesset?

11 Quinam quæso, manu abstines potenti,
Et vindex scelerum illa dextra torpet?
Nec profers potius sinu latentem,
Istos vt semel obteras sceleſtos?

12 Tu nobis etenim Deus q; Rex q;
Ipso à principio, bone, extitisti:

Tu nos millies omnibus perielis,
Mundo teste, benignus eripsti.

13 *Fixum restitit hinc & inde cedens*
Potenti imperio iubentis æquor:
Tu vastos medio in mari obruisti
Impactis capiti ictibus dracones.

14 *Ipsam tu quoq; beluam profundi*
Strauisti imperium maris tenentem,
Escam vulturibus, ferisq; vastis
Deserti omnibus incolis futuram.

15 *Diruptæ è scilis saliuit antris,*
Te mandãte, rapax repente flumen:
Et te flumina rursus imperante
Sese peruia præbuere tota.

16 *Te lux clara fugat iubente noctem,*
Te nox atra fugat iubente lucem,
Lunæ tempora fixa tu gubernas,
Tu Solis regis annuos labores.

17 *Tu terræ spatia hæc & illa certis*
Metis limitibus q; terminasti:
Quæ nunc torrida te iubẽte feruent,
Et nunc algida te rigent valente.

18 *Ergo & tu memor huius esto probri,*
Quo te, te Deus, hic lacessit hostis,
Et quod conuiciis tuum ausa numen
Turba istæc furiosa prouocare.

19 *Ah, ne, quæso, tuam hancce turturillam*
Discerpi accipitrum unguibus iubeto,
Neu turbam penitus tuam hanc misellam
Istis deserito obuiam periclis.

20 *Ictum respicito tuum ipse fœdus,*
Nam quâquâ pæces Uniuersa tellus,
Densis omnia plena sunt tenebris,
Regnant vndique vis, rapina, cædes.

21 *At tu ne miseros satis superq́,*
Infami afficito insuper repulsa:
Quin, nomen potius tuum vt celebrent,
Oppressos inopesq́ subleuato.

22 *Experrectus age, ô potens, adesto,*
Et causæ ipse tuæ patrocinare:
Nec probra hæc patitor quotidiana
Isti impunè tibi ingerant scelesti.

23 *In te denique quos superbus hostis*
Iactauit, quibus & magis magisq́,
Cælum nunc etiam feret, proteruus,
Clamores memori teneto mente.

Psalmus septuagesimus quintus

εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi septuagesimi quinti.

Hic Psalmus siue ab Asapho nomine Dauidis, siue ab ipso Dauide scriptus & Asapho cantori postea traditus decantandus, planè conuenit ei tempori quo Dauid in Hebronis vrbe regnabat, quum iam esset communibus tribuum omnium

suffragiis regnum totius gentis initurus. Continet autem tres præcipua, quod videlicet Deus sit omnis iustæ politiæ auctor atque moderator: deinde præcipuas illas magistratuum duas partes, nempe vt terrori sint malis, bonos autem foueant: denique horum omnium vltimum finem, nempe vt Deo gloria tribuatur.

Eiusdem Psalmi septuagesimi quinti.

PARAPHRASIS.

1 *CElebramus te, celebramus te, Deus, idq; optimo iure, cuius vim præsentem experimur & deinceps experiemur, mirifica tua beneficia vicißim prædicaturi.*

2 *Mihi quidem certè, vbi auxilio tuo fretus attributum mihi abs te populum regendum suscepero, nihil erit antiquius quàm vt rectam & sanctam gubernationem instituam.*

3 *Etenim vt nunc res sunt, dissolutis omnibus legum vinculis, vniuersum regnum diffluxit: ego verò emota ipsius fulcra rursum stabiliam.*

4 *Fastuosos & petulantes cohibebo: scelerato s, quominus cornua tollant alius, his verbis deterrebo.*

5 *Ne deinceps insani homines, vos ipsos efferte, neue ferociter sicuti consueuistis, & superbè respondete.*

6 *Etenim (quod ipsi animaduertitis) in quamcunque partem sese homines conuertant, non est in ipsorum arbitrio positum vt in altiorem gradum*

INTERPRETATIO.

1 CElebramus te Deus, celebramus: nam propinquum est nomen tuum: narrant mirabilia tua.

2 Quum assumpsero coetum mihi assignatum, ego rectè iudicabo.

3 Diffluxerunt terra & omnes eius incolæ: Ego stabiliam columnas eius.

4 Dicam gloriabundis, ne gloriamini: & sceleratis, ne attollite cornu.

5 Ne attollite in altum cornu vestrum: ne loquimini collo obdurato.

6 Quia neque ab oriente, neque ab occasu, neque à deserto est exaltatio.

7 Nam

mebantur.

6 *De vnius rerum omnium moderatoris iustissimi hoc ius est & hæc auctoritas, vt quos ipsi videtur abijciat, & quos ipsi libuit extollat.*

6 Itaque non mihi sed ipsi Deo resistetis. Gestat autem manu Iehoua calicem turbidi ac sticulenti vini plenum quem ad feces vsque exhauriendum atque adeò exugendum scelestis omnibus præbet.

7 *Sic igitur ego Deum Iacobi assidue laudans, ei psallens perpetuò.*

10 *Improborum quidem cornua præcidam, iustos autem honoribus augebo.*

7 Nam Deus gubernator est: hic humiliat, & hic exaltat.

8 Calix autem est in manu Iehouæ, & vinum sæculentum: & plenus est potione quam effundet ex eo: vtiq; fæces eius exugent & bibent omnes scelerati terræ.

9 Ego verò prædicabo in perpetuum, & canam Deum Iacob.

10 Et omnia cornua impiorum sucidam: exaltabuntur autem cornua iustorũ.

Idem Psalmus septuagesimus quintus, monocolos, carmine Trocaico dimetro catalectico, vt vicesimus tertius.

1 NOs Deus carmen tibi,
Nos Deus laudes tibi
Concinemus debitas:
Tu vicissim nos, Deus,
Proximus tuêbere:
Et vicissim nos, Deus,
Gesta fortis dexteræ,
Posteris narrabimus.

2 Ipse verò vt tempore
Præstituto, creditas
Regni habenas sumpsero,
Cuncta cuncta dirigam.

3 *Ipsiusq́, quanlibet*
Mota sedibus suis,
Hinc & inde sedulus
Fulcra terræ fulciam.

4 *Ne superbite, inquiam,*
Tunc ego feroculis,
Neue cornu tollite,
Dicam ego tunc impijs,
5 *Ne, inquam, in altum tollite,*
Vos superbi cornua:
Verba peruicaciter
Nec rebelles fundite.

6 *Nanque nec Sol occidens,*
Nanque nec Sol prodiens,
Auster aut nos æstuans
Altiores collocat.
7 *Solus ille totius*
Rector orbis præpotens,
Quos videtur deijcit,
Quos videtur surrigit.

8 *Ecce musto turbidum*
Fæculento poculum
Iustus ipse sustinens,
Porrigit mortalibus,
Improbi quod ebibant
Orbis omnes incolæ,
Et simul cum fæcibus
Omne prorsus sorbeant.

9 *At tibi laudes ego*

Vsque

Vsque & vsque concinam,
Israêlis te Deum
Nostra dicet barbytos,
Improborum cornua,
Vt semel succidero:
Viuidum verò probi,
Efferent altè caput.

Psalmus septuagesimus sextus

εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi septuagesimi sexti.

Idem argumentum esse arbitror & eandem huius Psalmi scribendi occasionem, atque quadragesimi sexti. Est autem hic in primis in vtroque insigne, quòd τὸ τῆς θεογνωσίας quo omnes omnes non tam eruditiuntur quàm coarguuntur, perpicuè distinguit ab ea sapientia quam Christus dicit à carne & sanguine non percipi, quæ est illud ipsum proprium quarto modo, vt Dialectici loquuntur, ex quo vno Ecclesia verè catholica à reliquo humano genere, ac in primis à pseudocatholica, cognosci potest ac etiam debet.

Eiusdem Psalmi septuagesimi sexti.

PARAPHRASIS

1 *IN Iudæa demum verus ille Deus quis sit intelligitur, & ibi demum sese verè ingentem & qualis est demonstrat.*

2 *Nec enim quamuis cælum & terram impleat, vbique tamẽ habitat, sed in Salem, teste ipsius tabernaculo in Sione collocato.*

3 *Illud autem ipsius præsentia minimè inane testimonium est: ipsa experientia docuit: siquidem hic est qui hostium po-*

INTERPRETATIO.

1 AGnoscitur in Iudæa Deus, in Israel magnum, est nomen eius.

2 Conditum est in Salem tabernaculum eius: & habitatio eius in Sion.

3 Ille fregit sagittas arcus, scuta & gladios, & bellum.

puli sui sagittas, arcus, scuta, gladios, bellica demq; instrumenta omnia semel illic confregit.

4 Sic igitur ille suam ipsius gloriam illustrauit, seq; omnibus illis grassatoribus populis ac regibus quantumuis elatis potentiorem esse ostendit.

5 Nam illi quantumuis ferocientes & rebus gestis celebres, armis spoliati sq; suis exuti sunt: neque manus arma expedire & vires suas explicare potuerunt, quam qui altissimo veterno obtorpuerunt.

6 Sed & currus & equi ipsi, increpante Deo, consopiti, mouere se loco non potuerunt.

7 Itaque tu verè terribilis es: & ecquis simulatque ira tua exarsit, ferre tuum conspectum possit?

8 Nam planè extra ordinem & diuinitus res gesta, regnare te in cælis, trepidante & obstupescente ipsa terra, demonstrasti.

9 Quum ad perdendos improbos, & seruandos tuos undique oppressos exsurrexisti.

10 Sic quò magis ferociunt homines, eò certius quis & quàtus sis apparet: quod si qui supersint & rursus furere incipiant, tu scilicet illos quasi uno fasce comprehensos semel disperdes.

11 Agite igitur omnes admirabili Iehoua Dei nostri robore

4 Illustris tu es & magnificus præ montibus prædatorum.

5 Spoliati sunt robusti corde, dormierunt somnum suum: & non inuenerunt vlli viri robusti manus suas.

6 Ab increpatione tua Deus Iacob consopiti sunt & currus & equi.

7 Tu terribilis es: & quis consistet coram facie tua ex quo ira tua exarsit?

8 E cælis audire fecisti iudicium: terra timuit & quieuit.

9 Quum exurgeret ad iudicium Deus: ad seruandum omnes oppressos terræ.

10 Certè furor hominum celebrabit te: & residuum irarum succinges.

11 Vouete & reddite vota Iehouæ Deo vestro, quicunque

senati, huius Imperatoris ve strilatus cingentes, quæ illi meritò vouistis persoluite, & omnes certatim in istum terribilem conferte.

11 *Hic enim est qui regum ipsorum animum & robur omne victoris instar amputat, & potentissimis quibusdiu terrarum principibus, Ecclesiæ suæ causa, terribilem sese præbet.*

que est in circuitu eius: adferte munus terribili.

12 *Hic* vindemiat spiritum principum, *&* terribilis *est* regibus terræ.

Idem Psalmus septuagesimus sextus, monocolos, carmine heroïco, vt octauus.

1 *VNa Deum nouit Iudæa, vnique celebrant*
2 *Abramidæ, sacro Solymorum monte sedentem.*
3 *Hic vbi scuta virûm, gladiosq́, arcusq́, minaces,*
Telaq́, confregit fortis, bellumq́, fugauit:
4 *Illustre ac semper memorabile nomen adeptus,*
Lauronum domitis tanta virtute maniplis.
5 *Exuti hinc armis fortes, velutiq́, veterno*
Correpti, ac manibus trunci, iacuêre feroces:
6 *Teq́, simul, Deus Iacidum, audiuêre tonantem,*
Intremuêre equites, ipsæ obstupuere quadrigæ.
7 *Tu siquidem, tu terribilis. Te porro frementem*
Quis ferat, exarsit commoti vt pectoris ira?
8 *Te solio ex alto sic decertante, labascens*
Contremuit latè tellus fauitq́, loquenti.
9 *At tu desiliens cœlorum è vertice, vindex*
Seruasti ipse tuos dura sub sorte gementes.
10 *Nempe hominum quicquid struit indignatio vana,*
Certa tibi laudis parat argumenta futuræ.
Quodq́, horum superest, conatu vt rursus inani
Consurgat, vinctum velut vno fasce coerces.

11 *Huic igitur vos, ô cuncti, rata solutis votis,*
Ipsius circum colitis qui septa beati.
Terribilem hunc, inquam domus colitote frequentes,
12 *Terribilem regum vltorem: procerúmque potentum*
Ipsas consuetum rigidas præcidere mentes,
Falce putat qualis pendentes vimine vuas.

Psalmus septuagesimus septimus.

ΔιδακτικὸΣ.

Argumentum & vsus Psalmi septuagesimi septimi.

Ex tristissimis plurimis exemplis, atque adeo ex ipsius Christi agone, intelligi potest quàm horrendum sit conscientiæ cum iræ diuinæ sensu certamen, cui tamen obnoxios esse sanctissimos etiam homines suprà Psalmo sexto diximus. & ex isto quoque, vt & alijs nonnullis, intelligimus, Operæpretium est igitur atque adeò necessarium nosse quibus armis fortes isti athletæ hæc quoque ignita Satanæ tela excusserint. Hæc igitur remedia docet nos hic Psalmus in tam periculosa tentatione adhibere, assiduas preces etiam si animus ipse precibus repugnet, & ipsa de Deo cogitatio nos perterrefacit meditationem superiorum testimoniorum beneuolentiæ Dei erga nos, coniunctam cum ipsius immutabili voluntate, vt quem semel à se electum testatus est nunquam in perpetuum repellat, quum eiusmodi ipsius dona sint ἀμεταμέλητα clementiæ diuinæ infinitatem eiusdem in moderanda rerum ac temporum vicissitudine summam potestatem: recordationem denique admirabilium Dei operum tum in exploranda tum in conseruanda Ecclesia, cuiusmodi exempla memoria tenere nunquenque oportet, & sibi figillatim in huiusmodi tentationibus applicare.

Eiusdem Psalmi septuagesimi septimi.

PARAPHRASIS.

1 *VOciferatus sum ad Deũ clamans, inquam, & sũ vociferatus ad Deum,*

INTERPRETATIO.

1 VOx mea ad Deum, & clamaui: Vox mea ad Deum & exaudiuit me.

donec clamantem exaudiret.

1 *Quanto arctius oppressus fui, tanto studiosius Dominum quæsiui: atque adeò per ipsas noctis tenebras sine intermissione protensis manibus sum precatus, etiam si consolationem omnem animus ipse repudiaret.*

1 *Tantum enim aberat vt cogitatio de Deo inquietam mentem pacaret, vt contra nihil æquè me perturbaret, adeò vt totus mœrore oppressus iacêrem.*

4 *Non oculi somnum vllum capere, non perculsum cor respirare, non os ipsum denique mutire interdum poterat.*

1 *Sed tandem cœpi res illas insignes à te superioribus seculis gestas memoria repetere, quibus immensam illam in tuos clementiam ab omni æuo declarasti.*

6 *Tum mihi in mentem etiam venerunt quæ de te aliquando cecini: quæ omnia mecum noctu reuoluens, & assidua cogitatione considerans.*

7 *Enimuero, inquam, vt pene de te nunc actum videatur, quinam fieri possit vt te Deus ille cuius immutabilis est voluntas, in perpetuum nunc abiecerit, & tibi nunc sit hostis nunquam reconciliandus, cuius paternam benevolentiam es toties expertus?*

8 *Num verò exhauriri posse i-*

me.

2 Tempore angustiæ meæ Dominum quæsiui: manus mea nocte extensa est, & non cessauit: renuit consolationem accipiens anima mea.

3 Recordatus sum Dei & tumultuatus sum, meditatus sum, & mœrore oppressus fuit spiritus meus.

4 Retinuisti palpebras oculorum meorum: perculsus fui & non loquebar.

5 Cogitaui dies antiquos & annos seculorum.

6 Recordatus sum carminũ meorum: nocte enim meo corde sum meditatus, & inuestigauit spiritus meus, *dicens.*

7 An perpetuò *me* repellet Dominus? & non perget *mihi* benevolus esse amplius?

8 Num prorsus defecit eius

psius clementiam arbitrabor? num tandem, vt res humana solent, ita etiam eius decreta & promissa temporum spatio euanescunt?

clementia? unum consummatum est verbum in generationem & generationem?

9 *Num illum dixero naturam illam ad miserationes propensissimam exuisse, & antea diffusam in omnes clementiam iratum contraxisse?*

9 An oblitus est misereri Deus? nunquid contraxit in ira misericordias suas?

10 *Deinde hoc etiam apud me dixi, Tuum quidem istud nūc est lethale suapte natura vulnus, sed sita est in tua, Excelsi nimirum Dei manu, rerum vicissitudo.*

10 Et dixi, cædes mea hæc *sed* mutationes *sunt* dextræ excelsi.

11 *Et hic cœpi rursum cogitare quoties iam olim in tuis extra ordinem liberandu, mirificam illam vim tuam ostenderis.*

11 Recordatus sum operum Dei: certè recordatus sum ab initio mirabilium tuorum.

12 *Meditari, inquam, illa tua ingentia facta cœpi, & animo volutare, quorum exemplis prostratam fiduciam erigerem.*

12 Et sum meditatus in cunctis operibus tuis & in factis tuis commentatus.

13 *Quid enim possu nusquam euidentius quam in sacrario tuo apparet, vbi te demum qualis es ostendis: & ecquis sese, Deus, tibi exæquari, etiam si tales essent falsi isti dij, quales illos esse cæteræ gentes imaginantur?*

13 Deus, in sanctuario *est* via tua: quis Deus magnus sicut Deus?

14 *Opera tua verè mirifica sunt, Deus: & quantum sit robur tuum iam olim plus satis omnibus populis ostendisti.*

14 Tu Deus facis mirifica: notum fecisti inter populos robur tuum.

15 *Populum enim tuum, Iacobi videlicet ac Ioſephi posteros,*

15 Redemisti brachio *tuo* populum tuum: filios Iacob

&

bscere, quàm incredibili potentia ex Ægypto liberaſti?

16 Tum aquæ ipſa Deus, te præſentem viderunt, viderunt inquam, & expauerunt, ipſiſq; maris gurgites ſunt præſentia tua ſenſu commoti.

17 Effuderunt nubes aquarum diluuia, æther horrendum intonuit, ignita tela tua paſſim diſcurrerunt.

18 Quàqua patet calorum ambitus, auditus eſt horrificus tonitruum fragor: emundi, fulguribus coruſcantibus emicuit: terra vacillans contremuit.

19 Peruia tibi denique maria patuerunt, & per medias aquas iter populo tuo gradienti, nullis tranſitus iſtius veſtigijs relictis, aperuiſti.

20 Demiq; ſic eductum populum tuum quaſi gregem fidis paſtoribus Moſi & Aaroni cõmiſſum in hac vſque paſcua traduxiſti. Cur igitur ego, quaſi tu me reſpicere vel nolis vel non poſſis, animum deſponderem?

& Ioſeph.

16 Viderunt te aquæ Deus: viderunt te aquæ, expauerunt: etiam commotæ ſunt abyſſi.

17 Inundatæ ſunt aquis nubes: vocem dedit æther, & ſagittæ tuæ diſcurrerunt.

18 Vox tonitrui tui in rotunditate: illuminarunt orbẽ fulgura: tremuit & concuſſa eſt terra.

19 Per mare via tua *fuit*: & ſemitæ tuæ per aquas multas: neque veſtigia tua agnita ſunt.

20 Duxiſti ſicut oues populum tuum, opera Moſis & Aaronis.

Idem Pſalmus ſeptuageſimus ſeptimus, monocolos, carmine phalæcio hendecaſyllabo, vt ſecundus.

1 DEi vociferans opem rogaui,
Dei vociferans opem popoſci,
Et exaudiit ille me vocantem.
2 Vexato ſiquidem mihi vndiquâque,

Vnum hoc perfugium fuit relictum.
Sed tempus fuit, omne quum leuamen
Miser respuerem, tenebricosa
Quanuis nocte vigil manusq; tollens,
Iram numinis vsque deprecarer.
3 *Illa quinetiam molestiores*
Curas pellere mente quæ solebat,
Mentem sollicitam anxiamq; totam
Recordatio numinis premebat.
Et quo ardentius omnis huc ferebar,
Hoc ardentius intus æstuabam.
4 *Non me claudere palpebras misellum,*
Non me fundere voculam vel vnam
Mœror assiduè premens sinebat.
5 *Donec voluere iam quietiore*
Cœpi pectore tot prius vetustis
Præclara illa tibi patrata seclis.
6 *In mentem mihi tunc venire laudes*
Chelys garrula quæ tuas sonabat:
Tunc, inquam, memor esse cantionum.
Hæc nostris tacitas vigil per vmbras,
Sic mecum meditansq; ruminansq;
7 *Tene vt perpetuò Deus repellat?*
Tene vt sic semel abdicarit ille?
Exhaustum ne putem illius fauorem?
8 *Os ne istud toties mihi loquutum,*
Seclis omnibus vsque conticescet?
9 *Clemens numen ego arbitrabor illud*
Implacabile tam repente factum,
Insensumq; mihi, suæ tenorem
Abrupisse semel benignitatis?
10 *Mecum denique sic ego: propinqua*

vt

Vi me nex premat, vigeatq; præsens,
Regit tempora, temperatq; rerum,
Vices arbitra numinis potestas.
11 *Fui nanque operum memor tuorum,*
Illorum, inquam, operum memor tuorum,
Quæ sunt mira tibi peracta quondam:
12 *Modo istæc meditans, modo hæc vel illa,*
Mente pernigil intima volutans.
13 *Nam tu quid valeas, quid ipse præstes,*
In tuis adytis patescit vnis.
Et quódnam tibi comparare sese
Magnitudine, quæso, nomen ausit?
14 *Solus mira facis, stupenda solus,*
Ipsis te populis procul sub axe
Demirantibus vltimo remotis:
15 *Tuum tu populum, satam Iacobo*
Iosephoq; propaginem, potente
Sola quippe tua manu eruisti.
16 *Te vidit mare, vidit, & profundo*
Tremens gurgite palpitauit æquor.
17 *Iussæ flumina depluêre nubes:*
Ingenti crepuit sonore cælum:
Accensum igniuomæ aêrem rucntes
Percurrere tuæ, Deus, sagittæ.
18 *Ingens horrisono procul tumultu*
Expauit, tonitru boante, mundus:
Ruptis fulgura nubibus coruſco
Latè lumine terruêre terras.
19 *Visa quinetiam hinc & inde mota,*
Immota illa prius labare tellus:
Ipsas denique quamlibet profundas,
Tumentis medias maris per vndas,

Nulli visa prius, videnda nulli,
Sese semita præbuit terendam.
Selectos tibi quâ greges duorum
Traductos opera pedisque fratrum,
Mosis scilicet atq; Aronis, olim
Hæc in pascua læta transfluisti.

Psalmus septuagesimus octauus

ἐκκλησιαστικός

Argumentum & vsus Psalmi septuagesimi octaui.

Colligitur ex hoc Psalmo cuiusmodi fuerint in Ecclesia Israelitica conciones à Prophetis habitæ, quum sacræ historiæ in synagogis enarrarentur: & est sanè valde venerandum istud sanctæ antiquitatis monimentum, vt & pauculi aliquot Psalmi, & in actis Apostolicis Stephani Concio, & illa Pauli Antiochiæ habita Act. 13. Hinc igitur etiam discendum nobis est quo fructu legendæ sint nobis historiæ sacræ, qui quidem nobis duplex hoc Psalmo proponitur. Dei videlicet perpetuã in præstandis promissis constantiæ, & eiusdem rursus iræ aduersus fœdifragos & pertinaciter contumaces, diligens & attenta consideratio. Hoc igitur demonstrat Propheta longa & accurata commemoratione tum præcipuorum beneficiorum quibus hunc populum Deus iam inde à prima adoptione ad Dauidem vsque affecerat, tum etiam penarum quas ingratas Populus Deo quasi inuito extorserat. Quàm autem hæc eadem doctrina nostris præsertim temporibus sit necessaria, & quàm illustria nobis in vtranque partem exempla Dominus si vnquam aliàs, ab hinc annos quadraginta suppeditarit, vtinam omnes satis animaduertant.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.

1 *AVdi præcipientem magistrum populi mi: & nihil timere loquuturo attendite.*
2 *Effabor enim res grauissimas,*

INTERPRETATIO.

1 AVsculta populi mi doctrinam meam: inclinate aurem vestrã ad verba oris mei.
2 Aperiam ad res graues os meum:

& repetita ab antiquis vsque temporibus memorabilia depromam.

meum: depromam res præ antiquitate abstrusas.

3 *Quæ, etsi auditione accepta, scimus tamen esse longè certissima, neq; à maioribus nostris conficta, qui nobis illa tradiderunt.*

3 Quæ audiuimus & cognouimus: & *quæ* patres nostri narrauerunt nobis.

4 *Nam vt illi habuerunt nostri rationem, sic æquum est vt & ipsi nostris posteris consulamus: vt laudes Iehouæ, & mirificæ illa facta quibus robur suum nobis testatus est, ad vltimos vsque posteros propagentur.*

4 Non occultabimus *illa* à filiis eorum, generationi posteræ narrantes laudes Iehouæ: & robur eius & mirabilia eius quæ fecit.

5 *Sanciuit enim Deus, singulari beneficio, certam doctrinam, qua voluntatem suam Iacobi soboli, id est Israeli, testaretur: eamq; præcepit maioribus nostris vt suis quisque filijs enarraret.*

5 Nam statuit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel: qua mandauit patribus nostris, vt nota facerent ea filiis suis.

6 *Et hi rursus filijs alteris suis, vt hac ratione à patribus ad posteros secundum generis seriem cognitio veri Dei & diuini cultus propagetur.*

6 Vt cognoscant *ea* nascituri postea: & filij qui nascentur, surgant & enarrent ea filiis suis.

7 *Vt singuli videlicet tot tantorumq; beneficiorum Dei memores, Deo confidere, & eius mandatis obtemperare doceantur.*

7 Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei: & *vt* mandata Dei obseruent.

8 *Neque maiores illos suos, genus hominum refractarium, ipsi Deo molestum, leue, simulatum, perfidiosum imitentur.*

8 Et non sint sicut patres eorum, soboles defectrix, molestiam afferens, soboles *quæ* non stabiliuit cor suũ: & cuius non fuit fidelis erga Deum spiritus.

9 *Exemplo sint Ephraimitæ, pe-*

9 Filij Ephraim armati, at-

riti quidem sagittarij, qui tamen quum ad prælium ventum est, terga verterunt.

10 Fœderis Dei immemores, & ab eo præscripta via incedere dedignati.

11 Et insignium ac mirificorum ipsius operum obliti.

12 Hic enim est qui coram eorũ maioribus in Ægypto & Scatici campis tot edidit miracula.

13 Qui per discissas aquas & hinc inde in aggeris modum accumulatas, ipsos traduxit.

14 Qui nube interdiu præeunte, noctu verò flamma in æthere rutilante, illos deduxit.

15 Qui rupibus diruptis, copiosissimas aquas illis potandas præbuit.

16 Elicitu videlicet è silice viuũ, & torrentibus inde deductis.

17 Neque tamen illi propterea illum offendere destiterunt: immo excelsum illum Deum irritare perrexerunt.

18 Atque adeò periclitari vim ipsius ausi sunt, ecquid ipsorũ gulam exolere posset.

19 Num enim, (sic isti aduersus Deum loquuti sunt,) tam etiam potens est vt nos lauto conuiuio possit in deserto excipere?

20 Nam percussit quidem rupẽ vnde tot aquæ profluxerunt, vt etiam redundarint: sed nũ

tollentes artum versi sunt in die prælij.

10 Non custodiuerunt fœdus Dei: & in lege eius recusauerunt ambulare.

11 Et obliti sunt operum eius & mirabilium eius quæ ostendit illis.

12 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti, in planitie Soan.

13 Scidit mare, & traduxit eos: & statuit aquas velut cumulum.

14 Et deduxit eos per nubem interdiu: & omni nocte per splendorem ignis.

15 Scidit rupes in deserto & potauit eos tanquam abyssis multis.

16 Et eduxit fluenta è petra & fecit vt descenderent aquæ veluti fluuij.

17 Et perrexerunt adhuc peccare aduersus eum, ad exasperandum excelsum in deserto.

18 Et tentauerunt Deum in corde suo: ad petendum cibum cupiditati suæ.

19 Et loquuti sunt contra Deum, dixeruntq;, Num poterit Deus parare mensam in deserto?

20 Ecce percussit rupem, & fluxerunt aquæ, & flumina inundauerunt; an etiam poterit

[illegible]lam panem, num dapes nobis hic poterit comparare?

poterit panem dare? an parabit carnem populo suo?

11 His auditis Iehoua, & meritò quidē, aduersus Israelem excanduit.

21 Ideo audiuit Iehoua & iratus est: & ignis succensus est cōtra Iacob: atque etiā ira ascendit contra Israel.

12 Vt qui Deo fidem non haberent, neque toti sese regendos ei traderent.

22 Quia non confisi sunt Deo & non sperauerunt in salute eius.

13 Præceperat enim sursum nubibus vt populum suum pascerent, & fores cælorum patefecerat.

23 Mandatum dederat tamē nubibus sursum, & ianuas cæli aperuerat,

14 Iussa verò nubes Mannam, cibum suauissimum & cælestem panem, depluebant.

24 Et pluerat super eos Manna ad māducādum: frumētum cæleste dederat illis.

15 Singulis illis denique panem, quo ne potentissimis quidem principibus delicatior vllus apponitur, ad saturitatem vsque subministrabat.

25 Panem potentum comederat vnusquisque *illorum* cibum miserat ipsis ad saturitatem.

16 Itaque pro imperio suo hinc quidem Orientis ventum, inde verò Austrum flare iussit.

26 Pergere fecit ventum orientalem in cælo: & adduxit in virtute sua Austrum.

17 Et ecce dapibus (conturnicibus videlicet) tanta copia mox illos compluit, vt pulueris & arenæ numerum æquarent;

27 Et pluit super eos carnes quasi puluerem & volucres sicut arenam maris.

18 Et vndique tum media castra, tum omnis illorum ambitus, volucribus hinc inde cælitus decidentibus, complerentur.

28 Et *eas* cadere fecit in medio castrorum eius: & per circuitum ad tabernacula eius.

19 Has igitur acceptas illi auidissimè ad satietatem vsque vorarunt, Deo vicissim quod appetebāt cumulatissimè ipsis suggerente.

29 Comederunt igitur & saturati sunt valde: & desiderium ipsorum attulit ipsis.

20 Sed ecce inter epulandum, &

30 Necdum alienati erant à

quum adhuc cibum manderent.

31 *Ira Dei aduersus eos exarsit, & præstantissimos ac selectissimos quosque illorum prostrauit.*

32 *Verùm ne plagis quidem istis emendari potuerunt, neque adduci vt ei fiderent cuius infinitam potentiam toties erant experti.*

33 *Itaque spe ipsorum meritò frustratos illos, & perpetuis terroribus trepidantes perdidit.*

34 *Nam tum quidem quum eis necem intentaret quærebant eum: & diluculo ventitantes deprecabantur.*

35 *Deum sibi tutissimam aream fuisse agnoscebant: atque adeò excelsum Deum & liberatorem suum vocabant.*

36 *Sed hæc omnia inanes duntaxat blandicia fuerunt, nec aliud quàm verba falsitatis plena.*

37 *Nec enim syncero corde loquebantur, vt qui in præstandis fœderis conditionibus nihilo magis quàm antea fides sese exhiberent.*

38 *Ipse tamen pro infinita sua clementia illis ignouit, neque summo iure cum eis agere sustinuit: & quamuis eum ad iram pergerent prouocare, omnem tamen iram suam in eos non effudit.*

39 *Recordatus nimirum hominem esse carnea mole fluxa & desiderio suo: adhuc cibus eorum erat in ore ipsorum.*

31 Quum ira Dei ascendit contra eos: & occidit inter pingues eorum: & electos Israel prostrauit.

32 Super omnibus hiis peccauerunt adhuc, & non crediderunt mirabilibus eius.

33 Et *ideo* consumpsit in vanitate dies eorum, & annos eorum in terrore,

34 Cum occideret eos, mox quærebant eum: & reuertebantur & diluculo quærebant Deum.

35 Et recordabantur, quòd Deus esset arx eorum: & Deus excelsus redemptor eorum.

36 Et blanditi sunt ei ore suo & lingua sua mentiti sunt ei.

37 Cor autem eorum non fuit rectum cum ipso: & non fuerunt veraces in pacto eius.

38 ipse tamen misericors expiauit *eorum* iniquitatem & non perdidit *eos*: & multipliciter auertit iram suam, neq; excitauit omnem indignationem suam.

39 Sed recordatus est, quòd caro essent, & flatus tran-

siens

mida præditos, & præsentem illorum vitã statui transeunti nec vnquam rediturõ similem.

40 Quoties illum in deserto lacessiuerunt, quoties ei in solitudine molesti fuerunt?

41 Et reuersi sunt, & tentauerunt Deum, & sanctum Israelis circunscripserunt?

42 Nõ fuit recordati manus eius neque diei quo redemit eos ab affligente.

43 Quando posuit in Aegypto signa sua: & prodigia sua in planitie Soan.

44 Et conuertit in sanguinem fluuios eorum: & fluenta eorum ne biberent.

45 Immisit in eos promiscua quæ vorarunt eos: & ranas, quæ perdiderunt eos.

46 Et dedit brucho prouentum eorum: & laborem eorum locustis.

47 Et cæcidit grandine vitẽ ipsorum: & sycomoros ipsorum fulguribus.

48 Et tradidit grandini iumẽta ipsorum & pecora ipsorum lapidibus ignitis.

49 Misit

40 Quoties illum in deserto lacessiuerunt, quoties ei in solitudine molesti fuerunt?

41 Quoties ad pristinos mores reuersi, Deum cuius viribus & voluntati toties experta discesserant, exploraruntq; quoties sancto Israelis Deo certos fines præscribere voluerunt?

42 Excideratne scilicet eorum animis illa ipsius potẽtia inenarrabilis, quam ipsis ab Aegyptiorum durissima seruitute liberandis exeruerat?

43 Quam in Aegypto tot miracula, totq; prodigia in Sailitici campi ederet.

44 Fluuios enim eorum in sanguinem conuertit, vsque adeò vt aqua potabiles totam, aliquo stagnãtem, Aegyptum deficerent.

45 Insectorum omnis generis examina quibus vastarentur, & ranas à quibus perderentur in illos immisit.

46 Omnem camporum prouentum bruchis, arua locustis deuorãda tradidit.

47 Vites grandine, fulminibus sycamoros illorum excidit.

48 Horũ armenta grandine cecidit, pecora lapidauit.

49 *Totum denique furorem, totam illam terribilem excandescentiam suam in eos effudit, vt nulla sit calamitas quæ per illos suos cacodæmons Ægyptum non affecerit.*

50 *Modò in hanc modò in illam partem irarum plenus sese cõvertens, & tum homines trucidans, tum armenta peste absumens.*

51 *Quinetiam primogenita omnia Ægypti interfecit, vt in Chami tabernaculis nullũ familiæ columen superfuerit.*

52 *Populum autem suum velut oues ex Ægypti caulis eductas, haud aliter quàm gregem per immensas illas solitudines traduxit.*

53 *Traduxit, inquam, eas securè & extra omnem periculi metum, hostibus ipsorum aquarum mole coopertis.*

54 *Neque destitit donec in has terras sibi consecratas illos perduceret, adeoq; in hoc mõte, quem sibi sua vnius virtute comparauit, eos collocaret.*

55 *Is enim est qui populos ipsis occurrentes ex his regionibus eiecit, quas Israeliticis posteà tribubus sortitione distribuerat, in illorum sede collocatis.*

56 *Sed ecce rursum peccatũ peccato cumulantes, Deum illum excelsum, violato ipsius pacto, tentarunt & ad iram prouocarunt.*

49 Misit in eo furorem iræ suæ, ardorem & indignationem & angustiam: immissionem angelorum malorum.

50 Liberauit semitã iræ suæ non prohibuit à morte animam ipsorum, & iumenta ipsorum peste conclusit.

51 Et percussit omne primogenitum in Aegypto: principium virtutum in tabernaculis Cham.

52 Sed transire fecit quasi oues populum suum: & deduxit eos, quasi gregem in deserto.

53 Et deduxit eos in tuto vt non timerent: & inimicos eorum operuit mare.

54 Et adduxit eos ad fines sanctitatis suæ: & ad mõtẽ hunc *quem* acquisiuit dextera eius.

55 Et expulit à facie eorum gentes, & proiecit eas in sortẽ hæreditatis: & habitare fecit in tabernaculis ipsorum tribus Israel.

56 At ipsi tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelsum: & testimonia eius non custodiuerunt,

57 Et

57 Auersi sunt ab eo maiorum suorum perfidiam imitati, & sicut fallacibus arcubus euenire solet, in partem scopo contrariam sese reflexerunt.

58 Eum denique non leui quopiam errore, sed altaribus etiam passim per editos omnes constructis, & (quod prorsus nefarium est scelus) collocatis ibi sculptilibus mirum modu irritauerunt.

59 His autem auditis Deus iustissimè excandescēs, & Israelem summopere detestatus,

60 Tabernaculum illud quod Silonti fixerat, domicilium, inquam, illud quod inter homines sibi delegerat, vltrò deseruit.

61 Quid plura? arcā illā præsentia roborisque sui certissimum pignus, suum, inquā, illud decus & ornamentum, in captiuitatē trahendam tradidit in hostium suorum manus.

62 Sed & ipsum populum suum abdicatim gladijs illorum obiecit.

63 Florem iuuentutis illorum flamma iracundiæ ipsius consumpsit: virgines innupta omnis nuptialis gaudij expertes manserunt.

64 Sacerdotes ipsi consecrati gladio ceciderunt: viduis ne tempus quidem est ad lugēdos maritos concessum.

65 Nihilominus tamen fœderis sui memor, haud aliter quàm

57 Et auersi sunt & perfidè egerunt, sicut patres sui: reflexi sunt sicut arcus fallax.

58 Et ad iracundiam prouocarunt eum Excelsis suis: ad æmulationem concitauerunt eum.

59 Audiuit Deus & iratus est & auersatus est valde Israelem.

60 Et deseruit tabernaculum Silo tabernaculum quo cohabitabat inter homines.

61 Et tradidit capiendum robur suum: & decus suum, in manum hostis.

62 Et conclusit intra gladios populum suū: & contra hereditatem suam exurrexit.

63 Iuuenes eius deuorauit ignis: & virgines eius non sunt laudatæ.

64 Sacerdotes eius gladio ceciderunt: & viduæ eius non luxerunt.

65 Sed euigilauit tanquam dormiens dominus: & tan-

à profundissimo sopore, qualis ebriorum esse consuevit, cum clamore expergefactus.

66 Quum viderí possent ipsius hostes veluti victores illum esse persequuti, ipse cõtrà natibus illorum acerbum & cũctis seculis pudendum vulnus inflixit.

67 Nihilominus tamen vt clementiam aliqua severitate tẽperaret, Iosephi tabernaculum à se desertũ minimè repetyit, neque tribum Ephraimi, vt anteà, cæterùs antepositi.

68 Sed delecta sibi tribu Iuda, montem Sionis peculiari quodam amore est complexus.

69 Hic enim non vt prioribus seculis habere ad tempus statiua constituit, sed sacrarium sibi vt arcem munitissimam, neq; minus quàm ipse terrarum orbis stabilem extruxit.

70 Denique visum est illi Dauidem è stabulis pastoritijs petitum, cuius ministerio vteretur, accersere.

71 Adeóque illum ipsum qui fœtas in pascua deducendas oues anteà sectabatur, vt qui ne primarius quidem ouilis paterni custos esset, pascenda Iacobi posteritati, charissimo, inquam Israelis suo perficeret: vt ille se in hoc fastigium industria aut viribus suis euectum esse nunquam glorietur, & vos illum vt diuinitus vobis præfectum veneremini.

quam fortis quispiam & mans post crapulam.

66 Et percussit inimicos su retros opprobrium atern dedit eis.

67 Sed probauit tabernacu Ioseph & tribum Ephrai non elegit.

68 Sed elegit tribum Iud montem Sion, quem dil git.

69 Et ædificauit quasi arce sanctuarium suũ, quasi ter ram fundauit illud in sæcu lum.

70 Et elegit Dauid seruu suum: & assumpsit eum c caulis ouium.

71 A tergo lactentium assum psit eum: vt pasceret Iacob populum suum, & Israe lem hæreditatem suam.

72 Et

In cuius etiam vestri pastoris gubernatione neque integritatem in cõsilio capiendo, neque in rebus gerendis prudentiam quisquam desiderauit.

72 Et *ipsi* eos cum integritate cordis sui, & cum prudẽtia manuum suarum deduxit.

Idem Psalmus septuagesimus octauus, monocolos, carmine heroico, vt octauus.

1 *MAgna loquar, Vos, mi popule, exaudite docentem*
2 *Et grauido arcanas fundentem pectore voces:*
Miraq́ narrantem sæclis patrata vetustis,
3 *Quæ patrum testata fide cognouimus ipsi.*
4 *Absit enim tacitè ingratus sub mente reposta*
Venturos cælem tot fortia facta nepotes.
Quin potius superûm memorabo patris honores.
Et gesta immensum illiûs testantia robur.
5 *Hanc siquidem Isacidas Numen sibi fœdere iungens,*
Præscripsit legem, natos vt quisq́ doceret
6 *Ista suos, generis quæ deinceps ordine longo*
7 *Accipiant alij ex aliis, vt numine ab vno*
Pendêre, & memores quàm grandia gesserit olim,
Seruare ipsiûs discant mandata volentes.
8 *Illorum haud patrum similes, qui, corde rebelli,*
Degeneres, spretiq́ acuentes numinis iras,
Instabiles gessere animos, simulataq́ semper
9 *Pectora. Sic, eheu proles Ephraimica, quondam*
Armipotens habita, & certis metuenda sagittis,
10 *Terga dedit non visa prius: quia fœderis ausi*
(Proh. scelus) immemores, iussas contemnere leges,
11 *Numinis obliti tot tantaq́ gesta potentis,*
12 *Visa atauis, inquam, rerum miracula quondam*
Aegypto in media, Tanisq́ patentibus aruis.

13 His siquidem fissum cessit gradientibus æquor,
Vtrinq; in murum firmis surgentibus vndis.
14 Hos, duce per noctis tenebras fulgore coruſco,
Per medias Arabum saluos traduxit arenas.
15 Deserti abrupit cautes, immania saxa,
16 Terrarumq; ima veluti de sede citatus
Prosiliit torrens percussæ ex rupis hiatu,
Vnde sitim arentes, populi pecudesq; leuarent.
17 Nec tamen illorum flexêre hæc munera mentes:
18 Quin potius Numen rursum offendêre scelesti,
Nil veriti illius iustum irritare furorem.
19 Ingluuie siquidem turpi suadente, voraces
Tentauere Deum, dubio sic corde loquuti.
20 Eia num poterit deserta per auia nobis
Cunctipotens Deus ille, aliquas apponere mensas?
Plena quidem rupis percussæ ex vulnere nuper
Flumina, & vndantes subitò conspeximus agros,
Num verò pane ipse suam quoque pascere plebem
Nunc queat, & dapibus mensas onerarit inemptis?
21 Audiit ex alta superùm Pater arce querentes
Isacidas, iustaq; fremens excanduit ira,
22 Gentem indignatus quæ longa ab stirpe fideles
Tot memoraret æuos, toties totiesq; potentis
Numinis expertæ nondum confidere dextræ,
Nec quam sensisset toties sperare salutem.
23. 24 Nanq; prius cœli reserato limine iussæ
Deplueranr Mannam nubes, cœlestibus oris
25 Demisso vt possent tritico, velutiq; potentum
Spirituum dapibus mortali vescier ore.
26 Et tamen ingratæ obstrueret quò murmura gentis,
Hinc Eurum, inde Notum ruptis emisit habenis,
Paret vterq; ruens, & terris æthera miscent.

27

Et mox ecce nouus volucrum cadit æthere nimbus:
Et quâquà apparent latis tentoria campis,
Carneus imber adest, quàm multus cernitur arcis
Puluis, & Oceanus quàm crebras ructat arenas.
Illi autem largè demissas æthere ab alto
Arripuêre dapes auidi, saturoq; tumentes
Ventre, licet nondum satiato ventre, voratas
Delassatis vix mandebant dentibus escas,
Quum subitò vltoris iustissima numinis ira
Conuiuas latè ardescens prostrauit opimos.
Nec tamen & toties lapsi, & diuinitus istis
Admoniti in melius mutarunt pectora pœnis.
Vt meritò assiduo concussi corda tremore
Concidérent, veluti tot frustra erroribus acti,
Nam simulac præsens instabat numinis ira
Vim cædemq; ferens, trepidi mox ecce sacratas
Liminis ante fores prima concurrere luce,
Vniusq; Dei tutos se stare fateri
Præsidio, vniusq; manu clamare redemptos.
Sed nihil hæc nisi fucus erant blando ore loquentum.
At superûm Pater ille magis q; magisq; benignus,
Et facilis quamuis indignis parcere, iustos
Irarum cohibens motus, sese ipse repressit,
Mortales memor esse homines, ac sponte ruente
Natura in nihilum, qualis vanescit in auras
Nec rediturus abit cæli per mania flatus.
Ah, illum quoties sola per deserta vagantes
Offensum insanis diuexauêre querelis?
Correpti quoties, repetito crimine, Sanctum
Tentauere Deum, transcendens omnia Numen
Finibus amentes conati includere certis?
Scilices obliti fortis quo robore dextræ

Seruator Phariis illos eduxerat vrbi,
43 *Quantáque perculsa ediderit miracula Memphis*
44 *In mare sanguineum quum sese voluerit amnis,*
AEgyptúsque suis moribunda sitiret in vndis.
45 *Quid referam toto volitantes aëre vespas*
Vndique læthali figentes cuspide malas?
Et turpi illuuie fœdantes omnia ranas?
46 *Depastos bruchis hominúmque bolúmque labores,*
Et rura immeneris penitus populata locustis?
47 *Grandine contusas ipsis cum vitibus vuas,*
Ignibus, ac rapido prostratas fulgure ficus,
48 *Flammiuomo pecudes lapidatas igne iacentes?*
Deniq; collectas insurgens totius in iras,
49 50 *Feruidus ecce ruit, luctus, cladésque, dolorésque*
Accensi præeunt. latus indignantis & ipsi
Aligeri irati circumflant vndiq; fratres,
Agminibus prompti mandata capessere iunctis.
Hinc Furor, inde Furor partes liberatus in omnes
Irruit, effusis Mors vndique fertur habenis
51 *Pestis cadunt armenta cadunt, iuuenésque, senésque*
Aegyptius quâcúnque patet: sua pignora patres
Ante diem orbati deflent, discrimine nullo,
Primitijs hominum sobolis pecudúmque peremptis,
52 *Interea veluti tempestas forte coorta*
Quum denso incubuit nemori, ruit æthere nimbus,
Præcipitésque rapit totis cum montibus ornos,
Pastor at intrepidus dinortia nota virorum
Obseruans, saluum in cautas deduxit ouile:
53 *Sic bonus ille suos cælo miseratus ab alto*
Aequoris Abramidas medijs seruauit ab vndis
Aequoris Aegyptum totam prostrauit in vndis
54 *Traductos donec præscripsis fixerit oris,*

Quásque

Quásque sibi ipse sua vnius virtute parauit,
Sacrato tandem fœlices monte locaret,
55 *Sortitò hæc pulsis habituros gentibus arua,*
Concessasq; suis ventura in sæcula sedes.
56 *Et tamen haud veriti, iuratæ fœdere legis*
Neglecto, numen rursum irritare procaces,
Numen cœlorum excelsa quod considet arce.
57 *Defecêre, inquam maiorum exempla sequuti,*
Perfidiæque rei, retro ceu forte reflexus
Spem iaculatoris fallax qui decipit arcus:
58 *Ipsaq; complentes sculptis altaria signis,*
Ausi (proh facinus) cœleste lacessere numen
59. 60 *Audijt hæc cœli Deus indignatus ab arce,*
Isacidasq; suos animo auersatus acerbo,
Quas sibi mortales inter defixerat ante
Deseruit sedes, tentoria sacra Siluntis,
61 *Quid plura? ipse suum robur quoque dedidit hosti,*
Ipse suum sæuis ceßit decus hostibus vltro,
62 *Mactandosq; suos hostili præbuit ensi,*
63 *Irarum plenus: flammis absumpta iuuentus,*
Vrbibus innuptæ vacuis mansêre puellæ,
64 *Ense sacerdotes sæuo iacuêre perempti,*
Nec licuit cæsos viduis plorare maritos.
65 *Mox tamen, vt vino siquis somnoq; sepultus*
Euicto surgens conclamat ad arma veterno,
66 *Euigilat Deus, & victori feruidus instat,*
Aeternisq; nates probris fugientis inurit.
67. 98 *Neglecta sedenim quà sederat æde Iosephi,*
Ephræmo Iudam antetulit, iuga chara Sionis,
69 *Hic vbi sublimi attollens se vertice surgit*
Mons veluti monti impositus, domus illa supremo
Sacra Deo, æternûm mansuris fulta columnis.

70. 71 *Tunc quoq́, (quandoquidē hæc illi sententia sedit)*
Acceptum è stabulis pastorem, ouiumq́, sequentem
Ponè greges, legit, mutata sorte, Dauidem,
Cui genus insigne Abramidum, soliq́, sacratos:
72 *Ipse sibi populos sanctè rectèq́, tuendos*
Crederet, ingenioq́, simul manibusq́, regendos:
Nec Domini certè Dauid mandata fefellit.

Psalmus septuagesimus nonus εὐχλιχὸς.

Huius Psalmi idem est atque septuagesimi quarti argumẽtum & idem vsus, quẽ nemo pius absque insigni consolatione, nemo ex Ecclesiæ hostibus absque horribili terrore legat.

Eiusdem Psalmi septuagesimi noni.

PARAPHRASIS.

1 *PRophana gẽtes & tui nominis hostes ô Deus, inuasẽrũt possessionem tuã, polluerunt sanctum templum tuum, Ieroſolymã subuersam in lapidum aceruos redegerũt.*

2 *Cadauera casorum seruorum tuorum carnibus auibus, & eorum, quos singulari benenolentia complexus eras, corpora feris deuoranda obiecerunt.*

3 *Sanguinem enim eorum velut aquam fuderunt vndiquaque, nec inuentus est qui necatos sepultura mandaret.*

4 *Quinetiam tantum abest vt alicubi inueniamus qui nos in tantis miserijs soletur, vt etiã vicinorum vndique populorum opprobrijs, ludibrijs, contumelijs simus expositi.*

INTERPRETATIO.

1 DEus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctitatis tuæ: redegerunt Ierusalem in aceruos.

2 Dederunt cadauera seruorum tuorum escam volatilibus cæli, carnem beneficiariorum tuorum bestiis terræ.

3 Fuderunt sanguinem eorum velut aquas in circuitu Ierusalem: nec adfuit qui sepeliret.

4 Facti sumus opprobrium vicinis nostris: ludibrium & contumelia iis, qui in circuitu nostro sunt.

5 Quo-

5 *Siccine verò ſemper iraſcēris, Iehona: & quouſque tandem ignis ira tua graſſabitur?*

6 *Effunde potius iram tuam in populos à quibus non agnoſceris, & in regna quæ tuum nomen non colunt.*

7 *Hi ſunt enim qui tuos Iſraelitas vorarunt, & ſedes illius ab te attributas ſunt populati.*

8 *Et nos quidem, fateor, peccata iam olim peccatis cumulauimus: ſed nē iſta, quaſo, ad calculum reuoca: accelera potius ingentes illas miſerationes tuas, priuſquàm penitus perearnus. Parum enim abeſt quin ſimus prorſus exhauſti.*

9 *Succurre nobis Deus liberator noſter, neque quid nos meremur, ſed quid gloria tua poſtulet animaduerte. Libera nos, & vt tuo ipſius nomini cōſulas, peccata nobis condona.*

10 *Quorſum enim prophanos iſtos populos diutiùs ex nobis per ludibrium rogitare patiaris, vbi ſit ille Deus noſter? immo fac potius vt nobis ſpectātibus, omnes iſtæ gentes re ipſa norint quàm graues pœnas de ſanguine tuorum effuſo ſumere conſueueris.*

11 *Exaudi coram te gementes captiuos vinculis onuſtos: & tot cadibus ſuperſtites, quos & ipſos iſti morti deſtinarūt, maximè illis tuis viribus conſerua.*

5 Quouſque, Iehona, iraſcēris in perpetuum, & ardebit velut ignis ira tua?

6 Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocant.

7 Quia comederūt Iacob, & domicilium eius vaſtauerunt.

8 Ne recorderis aduerſum nos iniquitatem priorum, citò præueniant nos miſerationes tuæ, quia exhauſti ſumus valde.

9 Succurre *nobis* Deus liberator noſter propter gloriam nominis tui: & libera nos & propitius eſto peccatis noſtris propter nomē tuū.

10 Quare dicent gentes, vbi eſt Deus eorum? nota fiat inter gentes coram oculis noſtris, vltio ſanguinis ſeruorum tuorum qui effuſus eſt.

11 Veniat coram facie tua gemitus vinctorum: ſecūdum magnitudinem roboris tui fac reſiduos morti deſtinatos.

12 Et immanibus vicinis nostris qui te Domine conuicijs incessere non destiterũt, septuplum repende in ipsorum caput.

13 Nos autem populus tuus, & oues quas pascere dignatus, per petuò te celebrabimus, & omnibus venturis seculis laudem tuam prædicabimus.

12 Et repende vicinis nostris septuplum in sinu eorum: opprobrium eorum, quo affecerunt te, Domine.

13 At nos populus tuus, & oues pastorum tuorum cele brabimus te perpetuò, ætate & ætate narrabimus laudem tuam.

Idem Psalmus septuagesimus nonus, dicolos tetrastrophos, carmine Sapphico Hẽdecasyllabo vt decimus nonus.

1 AH tuos Gentes populos prophanæ,
Mi Deus, victos rapiunt aguntq;
Heu tibi sacras populatur hostis
Impius arces.

Nuper heu mundi decus vniuersi,
Vrbs iacet tantùm lapidosus agger,
Pristinum monstrans decorem superbæ
Mole ruinæ.

2 Qui tuum quondam coluêre numen.
Vnicè chari tibi qui fuêre,
Bestiis eheu laceranda prostant
Corpora fœdis.

3 Vidimus lymphæ quasi vilis vndam,
Sanguinis riuos fluere innocentis,
Nec piis quisquam miseris supremos
Soluit honores.

4 Ludus & risus sumus accolarum,

5 Quandiu verò furor iste pergei?
Ista nos tanquam stipulas quousq;
Flamma vorabit?

6 Sen-

6 *Sentiant Gentes potius prophanæ*
Et tuum ignaræ celebrare numen,
Quæ tuæ vis sit semel æstuantis,
O Deus, iræ.
7 *Perde Iacobi bone, perditores,*
Quem lupi tanquàm rabidi vorarunt,
Cuius & caulas quoq; subruêre
Funditus omnes.
8 *Pristinum nobis scelus haud repone,*
Quin citò tu nos miserare promptus,
Subter hoc pridem graue tot malorum
Pondus anhelos.
9 *Nunc iuua qui nos toties iuuisti,*
Parce delictis: ades ô benigne,
Vt tibi tanto meliore laudes
Iure canantur.
10 *Namq; cur istos tuleris scelestos*
Impia ex nobis rogitare voce,
Noster in quánam Deus ille cunctans
Sede moretur?
Immo fac istis liqueat proteruis,
Fac vt & nobis liqueat vicissim
Tu quibus pœnis soleas tuorum
Pendere mortes.
11 *Audias vinctos Deus ecce lantes,*
Dextera sanctos validâ tuêre,
Ira quos cædi truculenta sæui
Destinat hostis.
12 *Quæ tibi verum Domine intulêre*
Probra vicini populi procaces,
Septupla in sese facito recepta
Cuncta rependant.

13 *Nos tuus verò populus, tuisq́,*
Pascuis notæ pecudes, perennem
Omnibus laudem tibi concinemus
Optime sæclis.

Psalmus octuagesimus ἐυκτικος.

Argumentum & vsus Psalmi octuagesimi.

Psalmum etiam istum, in quo proposita vineæ similitudine elegantissimè describuntur Ecclesiæ Israeliticæ primordia & incrementa simul ac clades, commodè referri posse puto ad ea tempora quæ Dauidis vnctionem prostremam vel paulum antecesserunt vel proximè sunt consequuta: quę postea Esaias cap. 5. ad alia tempora, & Christus demum ad ipsam vrbis excisionem & ramorũ resectionem Matth. 21. 33. Marc. 12. 1. & Luc. 20. 9. accommodarunt. Est autem idem illius vsus atque superioris.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 TV Israelis pastor & Iosephidarum gregis dux audi: tu Cherubinis insidens quis & quantus sis ostende.

2 Adesto Ephraimo, Beniamini, & Manasse: & tuam in nobis seruandis potentiam demonstrato.

3 Restitue nos, tuique vultus splẽdorem iube nobis illucere, & salui statim euasserimus.

4 Iehoua bellipotens Deus, quousque nos precantes, iram totis naribus spirans, repudiabis?

5 Tu nos lacrymis tãquam pane cibasti, lacrymis copiosissimè propinatis potasti.

INTERPRETATIO.

1 QVi pascis Israel ausculta: qui ducis tãquam oues Iosephi sedens inter Cherubin inclaresce.

2 Coram Ephraim & Beniamin & Manasse excita potentiam tuam: & veni in salutem nobis.

3 Deus reduc nos, & lucere fac faciem tuam, & salui erimus.

4 Iehoua Deus exercituum, quousque fumabis aduersus preces populi tui?

5 Cibasti eos pane lacrymarum: & potasti eos lacrymis mensura magna.

6 Po-

6 Feciſti vt iam de ſolo noſtro inter ſe partiendo vicini populi contendant: & hoſtium ludibrijs ſimus expoſiti.

6 Poſuiſti nos contentionē vicinis noſtris, & inimici noſtri deridentnos inter ſe.

7 Reſtitue nos, Deus bellipotens: inde tui vultus ſplendorem noſtri illuceſſere, & mox ſalui erimus.

7 Deus exercituum conuerte nos: & fac lucere faciem tuam, & ſalui erimus.

8 Hac enim eſt vitis quam ex Ægypto vſque tranſlatam, eiectis harum regionum incolis, plantaſti.

8 Vitem ex Aegypto tranſtuliſti, expuliſti gentes, & plantaſti eam.

9 Tu ipſe illam putaſti, feciſti vt radices ageret, & ſubito pullulans terram operiret.

9 Expurgaſti coram ea: radicaſti radices eius: & impleuit terram.

10 Montes ipſos obumbrauit, palmites eius quaſi ſublimes Cedri excreuerunt.

10 Operti ſunt montes vmbra eius: & palmites eius Cedri Dei,

11 Et hinc quidem ad mare vſque, inde verò fluuium verſus propagines ſuas diffudit.

11 Emiſit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad fluuium propagines ſuas.

12 Eheu, cur ſepem eius eruiſti? cur perniam illam iter facientibus quibuſuis feciſti?

12 Cur diruiſti ſepem eius? & diſcerpunt eam omnes trāſeuntes per viam?

13 Apri ex ſyluis erumpentes eam deuaſtant: fera illam depaſcuntur.

13 Vaſtant eam apri ex ſyluis, & feræ agri depaſcunt eam.

14 Reſpice nos, obſecro, Deus bellipotens: aduerte oculos è cælo: intuere nos, & vineam hanc tuam inſpice.

14 Deus exercituum reuerterē, obſecro: aſpice è cœlis & vide: & inuiſe hanc vineam.

15 Inſpice, inquam, vitiariū tua ipſius manu conſitum, & propagines abs te ipſo in vſum tuum ſtudioſè excultas.

15 Et vitiarium quod plantauit dextera tua: & ſuper propagationem eius *quam* confirmaſti tibi.

16 Exuſta eſt: exciſa eſt: omnia te increpante perierunt.

16 Combuſta eſt igne: exciſa eſt: ab increpatione vultus tui pereunt.

17 At tu Deus protege manu tua virum illum cuius ad il-

17 Sit manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper ho-

lam reſtituendam opera vti decreuiſti: hominem, inquam, illum quem tute in vſum tuum robore & conſtantia inſtruxiſti.

18 *Nos autem, vita nobis per te reſtituta, nuſquam a te deſtectemus, & nomen tuum inuocabimus.*

19 *Iehoua Deus bellipotens reſtitue nos, oſtende nobis faciem tuam, & mox ſalui euaſerimus.*

18 Et non recedemus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

19 Iehoua Deus exercituum, conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

Idem Pſalmus octuageſimus, monocolos. carmine trochaïco dimetro catalectico. vt viceſimus tertius.

1 *PAſtor ô Iſacidum,*
Ductor ô Ioſephidûm,
Cherubimis iuſidens
Nunc coruſcus emica.

2 *Nunc adeſto vt Ephraim*
Vt Manaſſem, vt Beniamin,
Denique vt nos cæteros
Viribus ſeruos tuis.

3 *Redde vitæ mortuos*
Et benignus limpidi
Splendida vultus face
Perditos nos recrea.

4 *Nam, potens belli Deus,*
Quandiu tuæ preces,

Totus

Totus ira percitus,
Gentis, oro, respues?

5 *Tu cibas nos fletibus,*
Tu siti nos aridos
Copiosè præbitis
Irrigasti lacrymis.

6 *Ecce nostro de solo*
Perfidi hostes plurimi
Mille cum ludibrijs
Dividendo litigant.

7 *O potens belli Deus,*
Redde vitæ mortuos,
Et tui nos splendida
Luce vultus recrea.

8 *Vitis hæc est ultimo*
Littore ex Aegyptio,
Quam tulisti hæc in sola,
Hinc abactis incolis.

9 *Hanc putasti vinitor,*
Hanc rigasti cœlitus,
Hinc & inde palmites
Læta mox ut funderet.

10 *Alta sic olim iuga,*
Pampinis prætexuit,
Arborum verticibus
Aequa fundens brachia.

11 *Aequor hinc ad cærulum*
Vſque ſeſe proferens,
Inde ad Euphratis vada
Porrigens propagines.

12 *Sepe cur hanc dirutam,*
Vah, Deus mi, negligis?
Cur quibuſuis obuijs
Nunc apertam deſeris?

13 *Ecce ſæuus hanc aper*
Roſtro adunco ſubruit,
Ecce quæuis hanc fera
Irruens depaſcitur.

14 *O potens belli Deus*
Nos reuerſus reſpice,
Hancq́, vitem cælitus
Intuêre dirutam.

15 *Pergulam, inquam, reſpice,*
Dextra quam ſeuit tua,
Viq́, adultas hinc tua
Solius propagines.

16 *Cerne vt ignis hanc voret,*
Cerne tota vt concidat,
Ferre vultum numinis
Increpantis impotens.

17 *Tu tua regas manu,*
Quam tua vnius manus,

(*Vilis*

(Vilis ipſa quum foret)
Irrigauit cœlitus.

18 *Sic adhærentes tibi*
Te colemus vnicum,
Vitæ nempe perditis
Reſtituto munere

19 *O potens belli Deus,*
Vitæ redde mortuos,
Et tui nos ſplendida
Luce vultus recrea,

Pſalmus octuageſimus primus εὐχαριστικός.

Argumentum & vſus Pſalmi octuageſimi primi.

Amplector eorum opinionem qui hunc Pſalmum vt octauum & octuageſimum quartum, cenſent vindemiarum id eſt tabernaculorum feſto fuiſſe attributum, quod nomine GITTBIT in hæbraica inſcriptione ſignificatur: & mihi videntur verſiculo huius Pſalmi tertio, tria ſeptimi menſis feſta diſertè & diſtinctè notari. Continet autem ſolennem gratiarum actionem, cuius etiam cauſa feſtum iſtud erat inſtitutum, tanto cum gaudio vt Plutarchus in ſympoſiacis occaſionem inde arripuerit falſo ſcribendi Iudæos ὠσχοφόρια Baccho celebraſſe. Sed admixta eſt gratiarum actioni increpatio grauiſſima, & huius feſti temporibus valde conueniens: nimirum vt ſi ferax fuiſſet annus, intelligerent Iſraelitæ id omne eſſe diuinæ Clementiæ tribuendum: ſin minus, non Deum ſed ſeipſos accuſarent.

Eiuſdem Pſalmi.

PARAPHRASIS.

1 *AGite, gaudium cantu accendite, minimè tamẽ laſciuia pleno, ſed qui Dei, roboris vnici veſtri, glo-*

INTERPRETATIO.

1 EXultantes canite Deo robori noſtro, iubilate Deo Iacob.

riæ cedat Deum, inquam, veſtrum tubis celebrate.

2 *Pſalterium, tympanum, citharam ſuauitatem, nablia denique cantibus adycite.*

3 *Nouilunij feſtum clangore tubarum indicite: diem illum operiendis & expiandis peccatis noſtris conſtitutum, noſtros denique feſtiuos dies iſtos annuntiate.*

4 *Hoc enim Iſraeli mandauit, & huiuſmodi ritum in ſui gratiam Deus Iacobi præcepit ſit.*

5 *Hoc, inquam, ille, ſubiectionis teſtimonium, Ioſephi poſteris indixit, quũ in Ægyptios illorum gratia inſurrexiſſet: quo etiam tempore ſumus ab eo mandata prius à nobis voce, verbis iſtis compellati.*

6 *Onus humeru tuũ impoſitum excuſſi, & manus tuas à fictilibus, quibus fingendis occupabantur ſemoui.*

7 *Inclamaſti me iſtis anguſtijs oppreſſus, & ego te vicißim procul ex nubium caligine tonans exaudiui: ſed poſtea quod tuum eſſet ingenium apud aquas Meriba ſum expertus.*

8 *Deinde ſic te ſum allocutus. Auſcultа mi populе: nunc enim te compellabo Iſrael: Si me audias.*

9 *Non erit penes te Deus aliquis extraneus: neque coram Deo adulterino procumbes.*

10 *Sum enim ego Iehoua, Deus ille tuus, qui te ex Ægypto*

2 Aſſumite Pſalterium & date Tympanum · citharam iucundam cum nablio.

3 Clangite in nouilunio tuba: in operimento, in die feſtiuitatis noſtræ.

4 Quia ſtatutum hoc eſt Iſraeli: præceptum Deo Iacob.

5 Teſtimonium iſtud in Ioſeph poſuit quum egrederetur aduerſus terram Aegypti: & ſermonem quem non noueram audiui.

6 Amoui ab onere humerũ tuum: manus tuas à fictilibus.

7 In anguſtia clamaſti, & reſpondi in abſcondito tonitru: probaui te apud aquas Meribæ.

8 Audi populе mi, & conteſtabor te. Iſrael ſi audias me.

9 Non erit penes te Deus extraneus: neque te incuruabis Deo adulterino.

10 Ego ſum Iehoua Deus tuus, qui eduxi te ex terra

Aegy-

eduxi. Agedum teipsum ad recipienda mea beneficia accingito, & os tuum quàm amplissimè diducito, vt illud impleam.

Aegypti: dilata os tuum, & implebo illud.

11 *Sed mihi quantumuis clementer sic loquenti, & cuncta tam benignè pollicenti populus meus minimè obtemperauit: meos sermones Israel est aspernatus.*

11 Sed non audiuit populus vocem meam: & Israel abiecit me.

12 *Itaque prauitati cordis eorũ ipsos à me derelictos tradidi regendos, vnde illud consequutum est, vt pro arbitrio suo vixerint.*

12 Itaque dimisi eos prauitati cordis eorum: ambulauerunt in consiliis suis.

13 *O si potius obsequutus esset mihi populus meus, & Israel viam a me præscriptam institisset!*

13 Si populus meus audiuisset me: & Israel in viis meis ambulasset.

14 *Statim ipsius hostes & oppressores versa in eos manu deleuissem.*

14 Mox inimicos eorum humiliassem: & aduersus eos vertissem manum meam.

15 *Hostes mihi cum ipso communes inuitos ei subiecissem, nec vllis aduersis rebus fuisset ipsius tranquillitas interrupta.*

15 Inimici Iehouæ mentiti fuissẽt illi: & fuisset tempus eorum tanquam in seculũ.

16 *Selectissimo tritico pauissem illum, & potius quàm vlla re indigerent, mella ex ipsis rupibus copiosissimè suppeditassem.*

16 Et cibassem eos adipe frumenti: & ex petra *profluente* & melle satiassem.

Psalmus octuagesimus primus, monocolos, carmine Choriambico tetrametro, vt vicesimus octauus.

1 *NOstrum carminibus dicite principem,*
Cantate Isacidúm carmina numini,

2 *Hunc percussa sonet garrula barbitos,*
Hunc pulsata procul tympana detonent.

Huic dulces modulos fistula sibilet,
Isti iussa canant pollice nablia,
3 *Hunc clangat sonitu rauciſono tuba,*
Mensis festa noui menstrua nuntians.

4 *Sic auctore Deo lex data flagitat,*
5 *Sic, inquam, Isacidûm constituit Deus,*
Aegypti gradiens per mediæ solum
Subductos rigido quum traheret iugo.

Nobisq́; insolita voce prius loquens,
6 *Vestris en humeris, inquit, onus graue*
Exemi, atque luti turpiter obsitas
Abstersi penitus spurcitie manus.

7 *Clamantes miseros millies audij,*
Seruauiq́; procul cœlitus intonans,
Fontes ad Meribæ mox licet ingenì
Expertus rigidam duritiem tui.

8 *Ah præbe mea gens te docilem mihi,*
Voces, Israel, ô percipito meas,
9 *Nec falsos stolidus finge Deos tibi,*
Neu summitte nothis numinibus genu.

10 *Is sum vester ego qui Deus irruens*
Vos Aegyptiaco deripui iugo.
Duntaxat pateant fac mihi guttura,
Effusa, subitò quæ repleam, dape.

11 *Dixi,*

11 *Dixi, nec populus me meus audyit,*
Me me, inquam, Israël hic respuit amplius,
12 *Illos iure igitur deserui malos,*
Prava vt mente sibi carnifices forent.

13 *Heu cur non potius me meus audiens*
Mandatis populus paruit hic meis!
14 *Hostes sub pedibus nunc tererent feros,*
Quos conuersa manus hæc mea sterneret.

15 *Hostes ipse meos nunc ego perfidos*
Illorum attonitos sub iuga cogerem,
Securiq, mei robore numinis,
Veris affluerent assiduè bonis.

16 *Omni nunc hilares seposito metu*
Inculto segetes demeterent solo,
Vltro illis vigido saxa cacumine
Nunc mellis subitò flumina funderent.

Psalmus octuagesimus secundus

εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi octuagesimi secundi.

Viua diuinæ illius in homines maiestatis imago in magistratibus est expressa, quibus propterea Deus nomen illud non essentiæ sibi propriæ, sed eius quam in omnia obtinet potestatis σημαντικόν, iis attribuit. Sed hac in re, sicut in cæteris, multipliciter peccatur, tum ab iis quibus attributa est imperandi potestas, tum ab iis qui sunt ipsis subiecti. Disserit autem hic Psalmus de ipsorum magistratuum erratis quæ sunt etiam longè grauissima, quoniam fieri vix potest quin, vbi magistratus officium non facit, populus quoque neque coercitis malis, neque confirmatis bonis, in exitium ruat. Aperit igitur initio Propheta simulque obstruit, inducta

ipsius Dei loquentis persona, fontem ex quo maxima quæque à magistratibus commissa mala scaturiunt, nempe quòd in eos duntaxat intenti quos sibi subiectos vident eius obliuiscuntur qui ipsorum caput supereminet, & hac conditione non in suo ipsius solio sed supra certos homines duntaxat eos collocauit, non vt infinitam, sed certis legibus, atque etiam temporibus circumscriptam potestatem eis attribuerit: neque vicaria ipsorum opera sic vtitur, vt presens tantum interesse sed vt etiam præsit eorum iudicijs: & exacto illorum tempore, siue morte siue alia ratione finiatur, sit ab ijs sicut à ceteris mortalibus rationem omnium dictorum ac factorum exacturus. Damnat aliud postea in quo etiam frequentissimè peccatur. προσωποληψίαν videlicet: ac tandem, quoniam frustra plerunque Prophetæ surdis istud canebant, precatur Propheta vt Rex ille iustus aduenial: isti ἀταξία finem impositurus, quod etiam abolita Iudaica policia uidemus euenisse. Nostris autem temporibus, ac presertim post instauratam Euangelij promulgationem, quum hæc eadem mala videamus in immensum aucta, vsque adeo vt neque humani neque diuini iuris vlla iam ratio pleriſque locis habeatur, quid potius nunc postulemus, quàm vt vltimus ille dies aduenial, in quo Dominus omnia instauret, sicut ore Petri nobis promittitur. Act. 3. 11.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *SEdetis quidem fateor eminentiore supra cæteros vobis subiectos mortales loco sed adsum ego in ipso vestro cœtu summus ille Deus, qui meo in vos quoque imperio nequaquam memet abdicaui, neque vt spectator duntaxat, sed vt vester quoque iudex adsum.*

2 *Cedò igitur quandiu vos feram ista potestate certis legibus vobis à me attributa sic abutentes, neque ex iure, sed*

INTERPRETATIO.

1 DEus stat in cœtu Dei *deest sito, &* in medio deorum iudicat.

2 Vsque quo iudicatis iniq; & personam, improborum accipietis?

3 Ius

prout ſceleratis fanctis, iudicia exercentes?

3 Atqui in iſto ſolio vos ea cõditione eóque addito mandato collocauit, vt per vim ſpoliatos reſtitueretis, vt pupillis adeſſetis, vt inopes aduerſus diuitum iniurias tueremini.

3 Ius dicite ſpoliatis, & pupillos oppreſſos & inopes iuſtificate.

4 Vt, inquam, miſeros & egenos ex ſceleratorum manibus eriueretis.

4 Eripite exhauſtos egenos & ex manu impiorum liberate eos.

5 Sed quid iſta prefiuit vobis edixiſſe? Video enim vos nihil minus curare quàm vt quæ ſunt veſtræ partes noueritis, nedum vt veſtro munere defungamini. Itaque labefactata ſunt omnia, nec aliter confuſa quam ſi in profundiſſimis tenebris omnes verſarentur: atque adeò emota ſunt ipſa terræ fundamenta. Quid enim ſublato iuris & iniuriæ diſcrimine ſalua inter homines ſupereſt?

5 Ignota ſunt iſta nec intellecta: in tenebris ambulãtur mouentur omnia fundamenta terræ,

6 Audite igitur Reges & magnates vſque adeo negligentes quid ſit de vobis decretum. Eſtis quidem vos nomine illo quo meã in omnes imperium declaratur, cohoneſtati, & peculiari fauore, tanquam filios pater, ſum vos amplexus.

6 Ego dixi, Dij eſtis: & filij *Dei* excelſi vos omnes.

7 Sed nequaquam vos poteſtatis meæ exemi. Itaque Reges quidem eſtis, ſed mortales, vt & cæteri homines, morieminí, principes, & ad tribunal meum perinde vt viliſſimus quiſque ſtabitis, omnia ra-

7 Sed ſicut homines moriemini: & ſicut quilibet, principes, cadetis

tionem mihi reddituri.

8 *Deus, surge, &, quum omnium populorũ sis vnicus pleno iure Dominus, tu ipse habenas imperij moderator.*

8 Exurge Deus esto iudex terræ, vt qui possideas cunctas gentes.

Idem Psalmus octuagesimus secundus, dicolos distrophos, vt primus.

1 *Audite iudices, sedere qui dedit,*
Sedet ipse iudex iudicum.
2 *Ergo quousq; iniquè iudicabitis,*
Et impijs fauebitis?
3.4 *Ah ah pupillis ius potius ac inopibus,*
Profligatisque miseris dicite.
Et à potentum impotente pauperes
Asserite vindice dextera.
5 *Sed ista quorsum mentibus vaecordibus,*
Planeq; cæcis dixero?
Vah ecce ab imis mundus vsque sedibus
Reuulsus omnis corruit.
6 *Estis Deorum, fateor, instar, Iudices,*
Velutique cœlitus sati.
7 *Sed plebe tamen vt hic vel ille ex infima,*
Tandem cadetis, principes.
8 *At tu Deus Dominator vnus omnium,*
Surge dominerus vt omnibus.

Psalmus octuagesimus tertius

ἐυκτικὸς.

Hic Psalmus, tunc, vt mihi videtur, editus quum Dauid paulo post quàm Regnum iniuisset aduersus multas gentes bella gessit, quorum fit mentio 2 1.Sam. 8. & 1. Paralip. 18. declarat neque exteros neque domesticos hostes vnquam defuturos Ecclesiæ, & quibus armis præcipuè debellentur: quæ

doctrina

doctrina quam sit nostris præsertim temporibus necessaria, vtinam omnes quorum id interest animaduertant.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.

1 AGedũ prodi nunc, Deus: ne te nunc, ô Deus, quietum contine.

2 Nam ecce, hostes tui potius quam nostri conspirantes, nũquam magis sunt tumultuati, neque maiore ferocia insurrexerunt.

3 Nunquam callidiora consilia ceperunt, idque aduersus populum tuum: aduersus, inquã, illos quos in tuas vnius latebras sese recipientes protegendos suscepisti.

4 Neque verò de leui quopiam in nos insultu cogitant, sed multò sese cohortantes, adeste inquiunt, & istos semel excindamus, vt gentes Israelitica nomen memoriá-nque omnem aboleamus.

5 Sic igitur illi concordibus animis solenne fœdus contra te inierunt.

6 Prodeuntes videlicet ex suis tabernaculis Idumæi, Ismaelitæ, Moabitæ, Agareni.

7 Gebalitæ, Ammonitæ, Amalekitæ, Palestini, Tyrij.

8 Ipsique adeò Assyrij, filiis Loth consociati.

9 At tu, Deus, sic age cum istis vt egisti quondam cum Midi-

INTERPRETATIO.

1 DEus, ne sileto, ne sileto, nec quiesce, ô Deus.

2 Nam ecce inimici tui tumultuantur: & qui te oderunt, attollunt caput.

3 Còtra populum tuum callide excogitant consilia: & consultant aduersus abscõditos tuos.

4 Dixerunt, venite, & excindamus eos ne sint gens: & ne memoretur nomen Israelis amplius.

5 Certè consultarunt cordè simul: aduersus te fœdus pepigerunt.

6 Tabernacula Edom, & Ismaelitæ: Moab & Hagareni.

7 Gebal, & Ammon, & Amalec, Palestina, cum incolis Tiri.

8 Etiam Assur associatus est illis: & sunt brachium filiis Loth.

9 Fac illis sicut Midianitis, sicut Sisara, sicut Iabin a-

anitis: itemq; cum Sisara, & Iabino apud Kisonis torrentē.

pud torrentem Kison.

10 *Quos apud Endoris oppidum deleuisti, & terris illos stercoris loco futuros prostrauisti.*

10 Extirpati sunt in Endor: facti sunt stercus terræ.

11 *Sic facito istorum principibus, vt olim Orebe & Zeebo, itēq; Zebaho & Salmuna, tuorum quoque hostium ductoribus fecisti.*

11 Pone eos principes eorum sicut Oreb, & sicut Zeeb: & sicut Zeba, & sicut Salmuna, omnes principes eorū.

12 *Quibus & ipsis idem atq; istis propositum fuerat, te nimirum deturbato, sedes tuas occupare.*

12 Qui dixerunt, hæreditate possideamus nobis habitacula Dei.

13 *Prouolue igitur illos tāquam pilam, & veluti solent stipulæ ventis agitari.*

13 Mi Deus pone eos pilam, & tāquam stipulam coram vento.

14 *Et sicut ignis ingētem aliquā syluam inuadens, & flamma montium vertices enflamans.*

14 Sicut ignis inflammat syluam: & sicut flamma incendit montes.

15 *Talis in illos ingenti cū tempestate irrue, turbineq; tuo territos persequere.*

15 Sic prosequaris eos tempestate tua: & turbine tuo terre ipsos.

16 *Obrue illos infamia, vt inuiti cogantur quis sit iste tā potens Iehoua rogitare.*

16 Imple facies eorum ignominia: vt quærant nomen tuum Iehoua.

17 *Fac vt magis ac magis irritis conatibus pudefacti cohorrescant, atque adeò tandem miserè pereant.*

17 Pudefiant & terreātur vsque: & vsq; & confundantur & pereant.

18 *Vt te nomine & re vnicum esse Iehouam, longè lateq; terris cunctis cœlitus dominantem omnes intelligant.*

18 Et sciant tunc quòd tuum vnius nomen est Iehoua, *sis* vnicus excelsus super omnem terram.

Psalmus octuagesimus tertius, dicolos distrophos vt primus.

1 *TE nunc tacere, te silere nunc Deus,*
Te nunc quescere, ô Deus,

2.3 *Tanto*

2.3 *Tanto tumultu numinis tui hostibus*
Altum efferentibus caput:
Tuisq; mortem quos sinu abdito foues
Sic callidè struentibus?
4 *Adeste, clamant, Israëlem vt hunc semel*
Nos eruamus funditus.
5 *Hæc vna vox est omnium, hoc in te Deus*
Pepigere fœdus improbi:
6 *Vagans Idume, & Ismaël latrocinans,*
Et ille probrosus Moab,
Agarisq; proles illa tota degener,
7 *Ammon, Gebal, Amalec ferus,*
Et iuncta dires, cum Philistæis Tyros,
8 *Et Assur orbe ab vltimo,*
Incessuosæ qui Lothi propagini
Armata brachia commodat.
9 *At tu, Deus, Sisæra quod olim & Iabinus*
Sensit Cisonis ad vada,
10 *Quod Midian ipse viribus cadens suis,*
Quondam Endoris apud mœnia.
11 *Quod Zebus, Orebus, Zebaq;, atque Salmuna,*
Duces feroces hostium,
12 *Abs te minati traditas tuis domos*
Fore vt suis adiungerent
Iacuêre quorum fœda post cadauera
Futura campis stercora,
Hoc fac vt isti pariter in se sentiant
Haud imparis scelerisrei.
13 *Deus, rotante differ illos turbine,*
Stipulas vt aura dissipat.
14 *Et quale summis montibus stridens procul*
Concrepitat incensum nemus.

15 *Tu talis illos dissice, horrifico ruens*
Sternensq; cunctos impetu.
16 *Fac ora tincti infamiæ turpis nota,*
Quis tu sies, Deus, rogent.
17 *Terror, pudorq; & hinc & inde hos vrgeat,*
Tandemq; perdat funditus,
18 *Vt te illud esse æternum, & vnicum sciant*
Dominansq; Numen omnibus.

Psalmus octuagesimus quartus

ἐυκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi octuagesimi quarti.

Idem est argumentum & idem vsus huius insignis Psalmi atque quadragesimi secundi. Eiulat enim Propheta miseram suam conditionem deplorans, quòd ipsi per hostes non liceret cum aliis ad ædē Domini pergere, & ibi externi sacri ministerij bonis potiri: id quod cæteris quantumlibet ingentibus bonis sibi charius futurum testatur, nedum vt eorum exemplum imitari vellet qui quum in ipso Ecclesiæ sinu versentur, sacros cætus & sacramētorum vsum negligunt: aut etiam vltrò in ea loca secedunt vbi ne conuenire quidem ad verum Dei cultum licet. Est autem meo iudicio scriptus Psalmus aut ab ipso Dauide exulante, & postea Coritis traditus decantandus in solemni præsertim Tabernaculorum festo, vt studium accurrentis populi hoc tam insigni proposito ac subinde repetito exemplo, acueretur: aut ab ipsis Coritis scriptus, quorū nonnullos etiam probabile est post interfectos à Saule sacerdotes, sese Dauidi adiūxisse, & eius calamitatum participes fuisse, vt Nathanem & Asaphum, & alios.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 O *Deus omnipotens quàm amabilia sunt tabernacula tua.*

INTERPRETATIO.

1 QVàm amabilia *sint* tabernacula tua, armipotens Iehoua.

2 Concupiscens

2 *Itaque præ deſiderio inuiſendi atria tua, Iehoua, quod mihi negatum video, contabeſco totus ad te Deum vitæ auctorem, corpore & animo geſtiẽs ventitare.*

2 Concupiſcens deficit anima mea in atria Iehouæ: cor meum & caro mea geſtiunt ad Deum viuum.

3 *Eheu meámne conditionẽ deteriorem eſſe quàm paſſerum & hirundinum, quibus ſedem aliquam inuenire, & nidum alicubi figere cõceditur? ô altaria tua, ô elipotens Iehoua, mi Rex, mi Deus.*

3 Etiam paſſer inuenit domum, & hirundo nidum ſibi in quo reponat pullos ſuos: ô altaria tua, armipotens, Iehoua, rex mi & Deus mi.

4 *O beatos quibus apud te habitare datũ eſt, & aſſiduis laudibus te celebrare.*

4 O beatos qui habitãt in domo tua, & aſſiduè te laudant.

5 *O beatum hominem quẽ tuis illis ad fidem obfirmãdam deſignatis ſymbolis dignaris: & qui ſicut corpore ad ſacrarium tuum accedit, vias tuas cordi inſculptas gerit.*

5 O beatum illum cui robur eſt in te: quorum corde *ſemita tua ſunt.*

6 *Ergo iam mihi videre videor turmas ad te accedẽtium, per arida quoque moreta nullis viæ moleſtijs deterritas pergere: & potius quàm iter incæptum relinquant, partim puteos captandis perennibus aquis certatim excauare, partim excipiendis pluuijs ciſternas maximis laboribus effodere.*

6 Tranſeũtes per valles moretorum in fontes redigũt eas, etiam in ciſternas quas cooperiat pluuia.

7 *Nec prius quieſcere quam conſtantia creſcente, & turma turmæ ſubinde ſeſe adiũgente, ad Sionem uſq; ad te, ſumme Deus, conſpiciendum peruenerint.*

7 Pergunt turmatim, *donec* videatur Deus deorum in Sion.

8 *Armipotens Iehoua exaudi*

8 Iehoua Deus exercituum,

preces meas: attende mihi misero, Deus Iacob.

9 *Deus propugnator noster, habe mei rationem, & regem tuum te vnctum respice.*

10 *Quàm enim præstat vel vnicum diem in aede tua quàm mille alibi vspiam transigere? quòd vtinam mihi potius ædituo tuæ, mi Deus, ianitor esse liceat, quàm inter prophanos & peccatis cõtaminatos qualicunque conditione degere.*

11 *Nam alibi sunt perpetuæ & horribiles tenebræ, apud te verò vnum lux est, vt qui sis ipsemet Sol verus, Iehoua: & alibi tuti prorsus nihil, in te verò Deus, tuorum defensore certissima securitas, & inexhausta est bonorũ copia, ijs qui verè ac syncerè te colunt, destinata.*

12 *O beatum illum, armipotens Iehoua, qui in te vno fiduciã omnem suam collocauit.*

audi precationem meam: auscultа Deus Iacob.

9 *Tu* clypeus noster Deus, aspice: & respice faciem vncti tui.

10 Nam melior dies *vnus* in atriis tuis, quam *alibi* mille: malim limen tenere in domo Dei mei potius, quam habitare in tabernaculis sceleratorum.

11 Quia Sol *est* & clypeus Iehoua Deus: gratiam & gloriam dat Iehoua: non recusat bonum ambulantibus in integritate.

12 Iehoua *Deus* armipotens: beatus homo, qui confidit in te.

Idẽ Psalmus octuagesimus quartus dicolos tetrastrophos. Primus & tertius versus est Anapæsticus tetrameter acatalecticus, secundus & quartus sunt heroïci.

⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑–
–⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑
–– –– –– ––

1 DEus Armipotens, ô amabilia
2 Quàm tua sunt meritò sacraria? quã tua feruens,

Auido

Auido atria pectore desidero,
Quàm feror huc animo, feror ipso corpore totus.

3 *Reperit sibi nidum passerculus,*
Ipsa domos sub trabe sibi compingit hirundo,
Ast ego Rex mi, armipotens mi Deus,
Siccine perpetuò sacris arcebor ab aris?

4 *Nimirum ô felicem hominem, sacra*
Perpetuò qui te celebrans versatur in æde,
5 *Felicem itidem tuo ab vnius*
Robore qui pendens te corde & corpore visit

6 *Quem moreta per arida terret*
Nulla sitis, sicca fontes dum captat arena,
Immensoq; labore cauatis
Deciduos fossis collectos ebibit imbres.

7 *Quin seipso constantior vsque*
Enadens, ipsisque aucta virtute periclis,
Adproperat te donec in arce,
O Deus, aspiciat summa, Supreme, Siônis.

8 *Deus AEterne, armipotens audi,*
Audi quæ rogito, Deus ô mi Sancte Iacobi,
9 *Tu, præsidium nostrum, respice,*
Respice quem regni tanto dignaris honore.

10 *Nanq; diem tecum esse vel vnum*
Prestiterit, multis alibi quàm viuere sæclis:
Et stare tuæ ianitor ædis,
Quàm sceleratorum longè tentoria malim.

11 *Tu ſol animis tenebras abigens,*
Tu clypeus ſæuo qui nos defendis ab hoſte,
Tu verè viuificum numen,
Tu decoris quoſcunq; libet ſplendore coronas.

Supereſt tibi ſemper quod tribuas.
Integritas quibus eſt ſinceri cordis amica.
12 *Deus Armipotens, ô felicem*
Te quicunque, Deus, ſecurus nititur vno.

Pſalmus octuageſimus quintus
εὐλογικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi octuageſimi quinti.

Hunc Pſalmum Koritas auctores præferentem pleriq; referunt ad tempus quod reditum ex captiuitate Babylonis eſt conſecutum, quũ tamen à vicinis gentibus impediretur templi & vrbis ſtructura. Ego coniiciendum relinquo an non potius ſit referendum ad Dauidici regni primordia vt captiuitatis nomine intelligatur non μετοικισια, ſed miſera ſeruitus populi ſub victoribus Paleſtinis poſt Saulis interitum, vtcunque ſit, ex hoc Pſalmo intelligimus ſic Eccleſiã premi (etiam quum iratus eſt optimo iure Dominus) vt tamen non opprimatur. Deinde, quibus armis potiſſimum victores etiam hoſtes repellãtur, reſipiſcentia videlicet ac precibus à fide profectis, quarum pulcherrimum exemplar nobis hic Pſalmus ſuggerit. Adiicitur denique luculenta Prophetia de Meſſiæ exhibitione, in quo, ſicut ait Paulus, omnes benedictiones ſunt ratæ, vt diſcamus quæ ſint propria Eccleſiæ & ſpiritualis regni Chriſti bona, & quò referendum ſit tranquillitatis publicæ beneficium, quum à Deo nobis tribuitur.

Eiuſdem Pſalmi.

PARAPHRASIS.

1 *Benevolam te Iehoua, non ſemel terræ tuæ incolis præbuiſti, & Iacobi po-*

INTERPRETATIO.

1 Benevolus fuiſti Iehoua erga terram tuam: reduxiſti captiuitatem Iacob.

ſteros ex miſerrima captiuitate libertati reſtituiſti.

2 *Suſtuliſti potuli tui iniquitatem, operuiſti omnia ipſorum peccata.*

3 *Omnem iram tuam amouiſti, iram, inquam, tuam quominus penitus inflammaretur, repreſſiſti.*

4 *Verge nunc igitur, Deus liberator noſter, miſeram noſtram cõditionem immutare, & in bi iram tuam prorſus contidere.*

5 *Num enim, quaſo, nobis perpetuò irafcêris, & iram tuam in omnes ætates producis?*

6 *An non potius iterum nos vitam reſtituis; tuique maxima cum lætitia collaudandi occaſionem rurſum nobis præbebis?*

7 *Ebeu, Iehoua, fac vt miſericordia tua nobis appareat, & tuam benignitatem ſummam liberati experiamur.*

8 *Sed quorſum pluribus apud Deum agerem? præſtat certè quid Deus ille noſter Iehoua mihi reſpondeat attentè audire. Nec enim dubito quin populo illi ſuo quem tanta beneficẽtia ſemper dignatus eſt, proſpera omnia, benigniſſimè illi reſpondens, polliceatur, vt illi ſapiant.*

9 *Nempe quantumuis omnia deplorata videantur, non procul abeſt ab ipſius cultoribus*

Iacob.

2 Suſtuliſti iniquitatem populi tui: operuiſti omnia peccata eorum.

3 Abſtuliſti omnẽ iram tuã: auertiſti à furore irã tuam.

4 Conuerte nos Deus ſalutis noſtræ: fac cadere iram tuam erga nos.

5 Nũ perpetuò irafcêris erga nos? & protrahes iram tuam in ſeculum & ſeculum?

6 Nonne tu rurſum viuificabis nos, vt populus lætetur in te?

7 Oſtende nobis, Iehoua, miſericordiam tuam & ſalutem tuam da nobis.

8 Audiã quid loquatur Deus Iehoua, certè loquetur pacem ad populum ſuum & ad benefico ſuos, vt non redeant ad ſtultitiam.

9 Vtique propinqua eſt timentibus eum ſalus eius: vt inhabitet gloria in terra

liberatio, & tempus illud quo terra nostra nunc in squalore iacens, splendorem illum suum obtineat.

10 Illucesceret enim nobis Dei misericordia, cui sese sociam veritas eiusdem adiunget. Iustitia deinde & pax, nobile per alterum, sibi occurrentes, mutuis sese osculis excipient.

11 Animis autē hominum vniuersim à perfidia ad colendā fidē cōuersis, veritas cælitus sata è terris emerget, quàm iustitia spiritus cælitus fœcundabit.

12 Sic fiet vt Iehoua genus omne boni in nos effundat, terra fruges suas cumulatè proferente.

13 Omnia denique rite & ordine optimo gerentur, & vnusquisque mores suos ad normam à Deo præscriptam cōponet.

nostra.

10 Misericordia & veritas occurrent sibi: iustitia & pax sese osculabuntur.

11 Veritas è terra germinabit & iustitia è cœlo prospiciet.

12 Etiam Iehoua dabit bonum: & terra nostra dabit proueutum suum.

13 Iustitia coram eo ambulabit: & ponet in via gressus suos.

Idem Psalmus octuagesimus quintus, monocolos, carmine Iambico dimetro acatalectico, vt decimus.

1 *Vi misertus ô soli tandem Deus,*
E carcere Iacobi liberasti posteros:
2.3 *Tu sustulisti, tu operuisti horum scelus,*
Iræ cohibito pertinacis impetu.
4 *Seruator ades, & deditos serua tibi,*
Et omnis iste facito concidat furor.
5 *Nam tu ne, quæso, irascier non desines?*
Tune vsque & vsque accensus indignabere?
6 *Nec potius animam rursus indes mortuis,*

7 Nonum-

7 *Nouumq; genti gaudium afferes tuæ*
Ergo salute cœlitus nobis data,
Fac abs te amari nos sciamus, ô Deus.
8 *Attentus ecce expecto rogitanti mihi*
Quid summus ille sit locuturus pater.
Certè is loquetur prospera suis omnia.
Vt sapere discant quos benignus diligit.
9 *Sui aderit, inquam, promptus hic timentibus,*
Vt nostra priscum patria recipiat decus.
10.11. *Occurret obuiam Fidei Clementia,*
Pax iustitiaq; mutua dabunt oscula.
Vt alma rursum germinabit veritas,
Iustitia terras sic reuiset cælitus.
12 *Effusa ab alto bona profecto depluent,*
Frugumq; tellus nos beabit copia.
13 *Ius fasq; tunc sequuta gens mortalium,*
Secura pergit approbante numine.

Psalmus octuagesimus sextus εὐκτικός.

Argumentum & vsus Psalmi octuagesimi sexti.

Continet etiam hic Dauidis Psalmus valde insigne ardentissimarum precum exemplum, admixtis verè pretiosis sententiis, partim ab ipsa patefacta nobis & sæpe perspecta Dei in nos volũtate, partim ab eiusdem infinita potentia de sumptis, quibus in maximis etiam calamitatibus ac desperatis rebus erigi nos oporteat. Duplex autem est Dauidis petitio, vna vt aduersus hostes sæuissimos & potentissimos conseruetur in hac vita, idque vt Dei nomen ad vltimos terrarum fines propagetur, aduentu videlicet Messiæ ex ipso nascituri, quam promissionẽ euanescere oporteret, nisi Deus hostium furorem ac rabiem compesceret: altera, eaque præcipua & quasi alterius fulcrum, ne Deus ipsum sinat periculorum magnitudine fractum excidere, vt fortissimis etiam interdum accidit, nisi Deus sui spiritus robore fidem in nobis nutantem habiliat.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.

1 PRæbe mihi aurem, Iehoua, & me oppressum ac inopem exaudi.

2 Serua vitam beneficiarij tui: serua, inquam, mi Deus, seruum tuum ad te confugientem.

3 Miserêre mei, Iehoua: quotidie te inclamantis.

4 Recrea mentem serui tui: nam in te vnum, Domine, animus meus seipsum attollit.

5 Nam tu, Iehoua, verè bonus es & mitis, & in eos qui spem tuam implorant longè maxima clementia vti consueuisti.

6 Attende igitur precibus meis, Iehoua, & deprecantis voces percipe.

7 Nec enim temere sed in maximis angustiis positus ad te clamo. Itaque tu me exaudies.

8 Enimuero inter omnes etiam illos commentitios Deos quibus homines insani tantum tribuunt, quis est tecum conferendus, Domine, & quis paria tecum fecerit?

9 Itaque omnes tandem gentes, falsis illis numinibus abdicatis, conditorem te suum agnoscent, tèque reuerita, omnem tibi laudem tribuent.

10 Nam tu verè magnus es: tu solus es Deus, mirificorum o-

INTERPRETATIO

1 INclina, Iehoua, aurem tuam, exaudi me: nam oppressus & inops ego sum

2 Serua vitã meam nam tuus beneficiarius sum ego: serua seruum tuum tu, Deus mi, sperantem in te.

3 Miserere mei Iehoua nam ad te clamo quotidie.

4 Exhilara animã serui tui: nam ad te, Domine, animam meam attollo.

5 Quoniam tu, Iehoua, bonus es ac mitis: & multus clementia erga omnes qui te inuocant.

6 Attende, Iehoua, precationi meæ: & attende ad vocẽ deprecationum mearũ.

7 In die angustiæ meæ inuoco te: itaque exaudies me.

8 Non est quisquam sicut tu inter Deos, Domine: nec vllus secundum opera tua.

9 Omnes gentes, quas fecisti, venient, & adorabunt corã facie tua Domine: & gloriã dabunt nomini tuo.

10 Quia magnus tu: & facis mirabilia tu Deus solus.

11 Ostende

perum auctor & effector.

11 *Doce me, Iehoua, iter à te præscriptum, vt me fidum & verè tibi obsequentem præbeam, tibiq; penitus adhærens animum ad te colendum adiciã.*

12 *Domine mi Deus, toto corde te celebrabo, & tuum nomen perpetuò collaudabo.*

13 *Immensam nimirum bonitatem tuam in meipso expertus, & ex infimo sepulcri specu abs te liberatus.*

14 *Vides profectò quàm feroces ac fastuosi in me insurgant, & quibus quantisq; viribus vitam eripere mihi conentur qui de nulla re minus quàm de te cogitant.*

15 *Sed tu, Domine Deus à quo totus pendeo, verè es misericors, mitis, nec ad iram præceps, clementissimus idem ac veracissimus.*

16 *Suscipe igitur mei curam pro immensa misericordia tua, & verna tuo succurre.*

17 *Fac denique vt te mihi bene velle manifestè cognoscant, vt sui pudeat hostes meos, quum te mihi opem tulisse: meq; abs te recreatum viderint.*

11 Ostende mihi, Iehoua, viam tuam: ambulabo in veritate tua: vnias cor meum ad timendum nomen tuũ.

12 Celebrabo te, Dominè Deus mi, toto corde meo: & glorificabo nomen tuũ perpetuò.

13 Quia bonitas tua magna super me · & liberasti animam meam è sepulcro inferiore.

14 Deus, superbi insurrexerunt in me & turba potentum quærunt animam meam: neque statuerunt te in conspectu suo.

15 Sed tu, Domine Deus, misericors & propensus *es* ad gratiam, tardus ad iram, multus clementia & veritate.

16 Respice ad me & miserere mei · da robur meum seruo tuo: & salutem adfer filio ancillæ tuæ.

17 Fac meum signum ad beneficentiam, vt videant inimici mei & pudefiant: quoniam tu, Iehoua, auxiliatus fueris mihi, & me fueris consolatus.

Idem Psalmus octuagesimus sextus dicolos distrophos: Priores versus quinque sunt Iãbici dimetri catalectici: postremus est

trochaicus dimeter hypercatalecticus,

1 AVrem, Deus, prabe roganti,
Audi miserum & inopem precantem,
2 Hanc animulam Deus, tuêre,
Meritis tibi tuis sacratam,
Seruato seruulum hunc tuum, vne
Prorsus abs te pendulum.

3 Tu me, Deus miserare totas
Noctes, diesq́, clamitantem.
4 Solare seruulum, repandis
Cum corde manibus eiulantem,
5 Tibiq́, in tuos, Deus, benigno,
Mente tota supplicem.

6 Deus ô tuum numen colentes
Respicere clemens assuete,
Audi rogantem, audi precantem,
7 Nam quem miser alium inuocarim?
Ergo clamantem audias.

8 Deos vt esse demus illa
Quæ numina fabricant prophani,
Quis se parem tibi iactitabit?
Quis illa tibi potente gestu
Assequetur dextera?

9 Ergo vniuersi quotquot orbis
Colunt spatia populi potente
Quos tu Deus, manu creasti,
Te reueriti colent, tibiq́,

Glori

Gloriam canent, Deus.

10 *O magne magnorum patrone!*
11 *Operum vne, fac ipse vt viarum*
Peritus incedam tuarum,
Tenax q; recti, corde nusquam
Fluctuante te colam.

12 *Te corde tunc celebrabo toto,*
Domine Deus mi: & vsque sanctum
Tuum canam nomen beatus,
13 *Bonitate nempe tua sepulchri*
Ex specu infimo erutus.

14 *En mi Deus, vt in me superbi,*
Confisa robore turba multo,
Necii auidi meæ feruntur,
Tui, quòd omnes intuentur,
Negligentes numinis.

15 *At tu Domine, Deus es benignus,*
Parentium haud asper reorum
Iudex, ad acres tardus iras,
Clementiæ plenus, datæq;
Vel semel fidei tenax.

16 *Tu me ergò clemens intuêre,*
Tu seruulum fulci ruentem,
Tu vernulæ fer opem roganti,
17 *Tu benenoli mihi fauoris*
Ede signa cœlitus.

Infestus vt qui me lacessit
Meum in caput iuratus hostis,
Fauere te mihi conspicatus,
Infamis abscedat, rubore
Tinctus ora luridо.

Psalmus octuagesimus septimus

Argumentum & vsus Psalmi octuagesimi septimi.

Hunc Psalmum plerique ad posterioris templi tempora re-
ferunt, ego ad Dauidici regni tempus illud accommoda-
malim, quo tabernaculum tetendit arcæ Domini in ciuita-
parte à se cognominata, monte videlicet Sionis, tantisper du-
templum extrueretur. Vtcunque sit, (præter perspicuam pr-
dictionem de Ecclesiæ Dei per vniuersum orbem propaga-
one,) docet nos Psalmus iste admirabili ac verè diuina be-
uitate, sub Typo terreni illius siue tabernaculi siue templi v-
prioris vel posterioris, opus spiritualis templi Dei ex viuis l-
pidibus extructi, id est Ecclesiæ, esse prorsus diuinum.

Eiusdem fundamentum esse vnius Dei *ἐυδοκίαν*.
Non esse certo loco alligatam ecclesiam.
Nihil esse illa firmius.

Ibi demum verum perpetuumque gaudium regnare, vtpo-
te quæ habeat vtriusque vitæ promissiones.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *IEhoua firmum ac stabile sibi domicilium extructurus istos montes delegit quos sibi consecraret.*

2 *Et Sionis portas, quoniam sic illi visum est, omnibus Iacobi tabernaculis antepositit.*

3 *Itaque præclara de te decretа sunt, ciuitas Dei.*

4 *Nam ecce, inquit Iehoua, Ægyptum ipsam & Babilonem accensebo inter meos, ne-*

INTERPRETATIO.

1 FVndamentum eius
est Iehoua suum es
montibus sanctis.

2 Diligit Iehoua portas S
on præ omnibus taber
culis Iacob.

3 Præclara dicta sunt in
ciuitas Dei.

4 Memorabo Rahab & B
bel inter eos qui me
runt, Ecce Philistini &

dum vt tibi sint amplius infesta. Ipsi quoque Palestini, Tyrij, & Arabes in ciuium tuorum album referentur.

Omnium denique gentium homines non iam alienigenæ vel tantum ascitiij, sed indigenæ Sionis ciues fient, quam Deus ex alto stabiliet.

Populos enim Iehoua recensens, singulos illorum libro suo inscribet.

Ibi cantoribus ac tibicinibus omnia personabunt, ibi (inquit Iehoua) omnium bonorum meorum fontes scaturient.

rus cum Aethiopia: hic natus est ibi.

5 Et de Sion dicetur, vir & vir natus est in ea: & excelsus ipse stabiliet eam.

6 Iehoua recensebit scribēdo populos, *inscribens* hic natus est ibi.

7 Et cantores *ibi erunt* vt & tibicines: omnes scaturigines meæ *erunt* in te.

Psalmus octuagesimus septimus, dicolos distrophos, primi duo versus sunt heroïci, tertius est Iambicus trimeter acatalecticus.

HAnc Deus ipse sibi sanctis in montibus vrbem
Delegit sacro fundatam colle Sionis,
Cunctis Iacobi antepositæ tentoriis.
Vrbs dilecta Deo, quam de te grandia vates
Prædixêre tuos siquidem censebitur inter
Aegyptus ipsa, & ipsa Babylon incolas.
Ipsi te Tyrij dites, Arabesq; beati,
Ipsa exosa diu, supplex rogitabit Idume,
Albo tuorum gesticnter inseri.
Denique tu cunctas inter memoraberis vrbes,
Certatim adscriptis illoq; istoq; colonis,
Potente summi tuta numinis manu:
Ipse suæ populos numerabit conditor vrbis,
Hunc illum q; sui plena iam margine libri

Censens notorum longo in albo ciuium.
7 Hic melos, hic bifori resonabit tibia cantu,
Vndantesq; ipsis cœlorum ex fontibus amnes,
Omni bonorum te beabunt copia.

Psalmus octuagesimus octauus

Argumentum & vsus Psalmi octuagesimi octaui.

Inscriptio Hebraica testatur scriptorem huius Psalmi fuisse Hemanem Ezraitam à patria cognominatum, Asaphi cognatum ac collegam, cuius honorificentissima fit mentio 1. Paralip. 6. 33. item 15. 4. vbi dicitur fuisse regi à Prophetia & insignis cantor, & cuius singularis sapientia celebratur. 2. Re. 4. 31. vt eos falli existimem, qui ad Ioakimi antepenultimi Regis Iuda apud Babylonem captiui tempora hunc Psalmum referunt. Continet autem lamentationem qua nulla extat in his libris tristior ac miserabilior, qua nimirum tum Ecclesia tota, tum familiæ, tum etiam vnusquisque in publicis ac priuatis miseriis vteretur: ideoque fuit olim hic Psalmus inter pœnitentiales quos vocabant in publica videlicet excommunicatorum exomologesi decantatus, quos ineptè & absurdè posteà, citra vllum temporum aut personarum discrimen, ad quotidianam & priuatam demurmurationem videmus fuisse accommodatos.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS	INTERPRETATIO.
1 *IEhoua, Deus à quo liberationem expecto, dies ac noctes opem tuam vociferans imploro.*	1 IEhoua Deus salutis meę die clamo & nocte coram tę,
2 *Preces meæ, quæso, ad te perueniant, & aurem prabe clamoribus meis.*	2 Veniat in conspectum tuũ oratio mea: inclina aurem tuam ad clamorem meum.
3 *Anima mea redundat malis, nec procul abest à sepulchro vita mea.*	3 Quia saturata est malis anima mea: & vita mea sepulchro appropinquauit.
4 *Sum enim omnium iudicio qui me intuentur, mortuo &*	4 Reputatus sum cum descendẽtibus in foueam: fui tanquam

prorſus exanimi ſimilior quã viuo.

7 *Quaſi denique nihil mihi iam ſit cum viuis negotij, iam inter mortuos cenſeor, & inter ſtrictos in ſepulchris ſitus, & de quorum vita iam actum eſt: vtpote quos manus tua ſemel abſcidit.*

6 *Et velut in foueam intimam, tenebroſam & profundam ſum abs te proiectus.*

7 *Incubuit in me ira tua, & fluctibus tuis omnibus tu me obruiſti.*

8 *Omnes familiares meos procul à me ſummouiſti, quibus etiam non niſi te conſcio, abominabilis euaſi, vſque adeò vt domi quaſi in carcere, nuſquã inde pedem audens mouere, me ipſum contineam.*

9 *Contabuerunt oculi pra mœrore: & tamen quotidie te, Iehoua, manibus expanſis appello.*

10 *Num verò tempus erit admirabilis illius exercendæ tua virtutis, poſtquam mortui fuerint homines? num eos rurſum in præſentem vitam reſtituet, vt tibi laudem tribuant?*

11 *Num qui iacent in ſepulcro clementiam tuam ibi prædicabunt: & qui interierunt veritatem tuam rurſus hic annuntiabunt?*

12 *Num mirifica opera tua cognoſcent in mortu tenebru ſe-*

tanquam vir cui nulla virtus.

5 *Tanquam* inter mortuos, liber: tanquam occiſi iacentes in ſepulchro: quorum non es memor amplius: & qui à manu tua abſciſſi ſũt.

6 Poſuiſti me in fouea infima: in tenebroſis *locis*, in profunditatibus.

7 Super me incubuit indignatio tua: & omnibus fluctibus tuis afflixiſti *me*.

8 Summouiſti notos meos à me: poſuiſti me abominationes iſtis: concluſus ſum vt non egrediar.

9 Oculus meus contabuit propter afflictionem: inuoco te quotidie Iehoua, expãdo ad te manus meas.

10 Num mortuis facies miraculum? num mortui reſurgent, & confitebuntur tibi?

11 An narrabitur in ſepulchro elementia tua: & veritas tua in interitu?

12 Num cognoſcẽtur in tenebris mirabilia tua? & iuſti-

pulit: & iustitiam tuã y quorum memoriam inter viuos ipsa mors obliterauit?

13 Itaque te inclamare, Iehoua non desino, & lucem ipsam precibus ad te profusis anteuerto.

14 Quaeso, Iehoua, cur oppressam animam meam repellis? cur à me faciem tuam auertis?

15 Eheu miser ego & moribundus, quoties ab ipsa mea pueritia terroribus mihi ab te immissis fui perculsus? quoties attonitus steti?

16 Acerbissima ira tua me obruit, terrores tui me undiq; concluserunt.

17 Obsident enim me tanquam omnium exundantium & me circuncingentium aquarum diluuium.

18 Omnes amicos & sodales meos procul à me summouisti, vt mihi nusquam magis quàm ipsa tenebra appareat.

tia tua in terra obliuionis?

13 Ego ad te Iehoua clamo & mane oratio mea preuenit te.

14 Quare Iehoua repellis animam meam, & abscondis faciem tuam à me?

15 Afflictus ego & expirans à pueritia tuli terrores tuos & hæsitaui.

16 Super me transierunt furores tui: & terrores tui constrinxerunt me.

17 Circumdederunt me sicut aqua, quotidie circumdederunt me simul.

18 Semouisti procul à me amicum & socium: & noti mei sunt tenebræ.

Idē Psalmus octuagesimus octauus, dicolos distrophos carmine elegiaco, vt nonus.

1 *AVdi seruator, te luce & nocte vocantem,*
2 *Audi, & pacata respice mente preces,*
3 *Oppressus siquidem sic langueo totus anhelans,*
Vt iacet effossa vir tumulatus humo.
4 *Méque adeo quicunque vides, putat esse cadauer.*
Cui sensus toto corpore nullus inest:
5 *Corporis atq; animæ qualis qui compede rupto,*
In cinerem vitæ lege solutus abit.

Et

Et tua què numero ex hominũ manus abſcidit vltrix,
Nec cura dignum iam putat eſſe ſua.
6 *Tu me eheu cæco clauſiſti carceris antro,*
Et pereo fœdæ gurgite merſus aquæ.
7 *Quinetiam ingeminas collectam feruidus iram,*
Tundere nec miſeri deſinit vnda caput.
8 *Tu facis vt miſerum me dedignentur amici,*
Vt tibi ſit carcer quæ fuit ante domus.
9 *Abſumpti mœrore oculi periêre precantis,*
Et tibi quas tollo diriguêre manus.
10 *Num vtrò monſtrare tuas, ter Maxime, vires,*
Vitæ vbi deſierint tempora, tempus erit?
11 *Tu ne iterum mundo proſtrata cadauera reddes,*
Vt celebrent laudes hîc rediuiua tuas?
Num, quæ te facilem, canent fideique tenacem,
Ora gerunt tumuli quos ſpecus alta tegat?
12 *Num tua ſpargere vident toto miracula mundo,*
Mors quibus atra ſua lumina nocte premit?
Num quæ oblita iacent iſtius corpora vitæ,
Cuncta vident iuſta quàm ratione regas?
13 *Et tamen haud ſegni effudi clamore querelas,*
Præueniens iuſta ſæpe pericla prece.
14 *Cur iuſta optantem, Deus ô Aeterne, repellis,*
Vultus quæ tenti cur tegis ipſe tuos?
15 *En animum exhalo moribundus: quod mihi vitæ,*
Fons mihi terrorum principiumque fuit.
16 *Obſtupeo tanto conſtrictus membra pauore,*
In miſerum totus dum furor iſte ruit.
17 *Quotidie tuæ obſideor torrentibus iræ,*
Collectis rapidus fertur vt amnis aquis.
18 *Me quaſi ſic iubeas, fugiunt noti atque ſodales,*
Nec magis apparent hi mihi quàm tenebræ.

Psalmus octuagesimus nonus εὐκτικος.

Argumentum & vsus Psalmi octuagesimi noni.

Ethan Esraites, vt etiam Heman, à patria, meo iudicio, cognominatus, cui Psalmus hic pulcherimus inscribitur, is ipse est cuius genus ex Merari deducitur 1. Paralipo. 6. 44. sapientia singulari celebris, 1. Reg. 4. 31. & iis assentior qui superiorem illum fuisse volunt Solomoni, & hoc Psalmo lamentatum fuisse tum decem tribuum defectionem à domo Dauidis, tum horribilem illam vastationem vniuerso regno Iuda, ac ipse etiam ædi Domini & regiæ domui à Sesaco Aegypti rege illatam, vt refertur 2. Paralipo. 22. Continet autem grauissimam ac miserimam deplorationem, in qua tamen animum minimè despondet, sed ab ipso statim initio fide eluctante fortiter sese suprà diffidentiam attollit, & qua iuris inter certandum interdum elanguescere videatur, tandē tamen victor triumphū reportat. Prodit igitur vt decertator strenuus, armatus fide & spe vtraque certissimis ac prorsus fixis fundamentis innixa, nempe,

Diuinorum decretorum immota firmitate: generaliter primùm id est in seminis Abrahami adoptione considerata, deinde in promissione peculiari cum Dauide sancita. Et illius quidem duo profert certssiima testimonia, nempe innumerabilia beneficia (ver. 1.) & ipsam cælorum machinam (ver. 2.) in quibus dicitur illam suam veritatem Deus insculpisse, non tantùm propter cœlorum firmissimam materiem ac etiam motum certissimum, sed multò magis, vt arbitror, quoniam paciscens cum Abrahamo Dominus, cœlos in quos iussit eum suspicere, qnasi sacramentum sui fœderis esse voluerat, In altero autem capite id est in pacto Dauidis de regni ipsius æternitate sancito præcipuè insistit (ver. 4. & 5.) idque meritò, quoniam in hunc filium Dauidis, æternum regem, tota fidei sanctorum basis recumbit. Nam si æternus iste Rex est, æterna quoque sit Ecclesia (id est regnū cœlorum) oportet, ac proinde extra ruinæ periculum.

Alterum fidei speique istius fulcrum est immensa Dei potentia, cuius similiter prorsus duplex testimonium profert, vnum elucens in rerum superiorum & inferiorum gubernatione, alterum in varijs Ecclesiæ liberationibus, à vers. 6. ad 15.

Tertium

Tertium earundem sustentaculum est ipsius Dei natura, quem simul & clementem in suos ex promissionis gratuitæ pacto, & iustum hostium vltorem esse oporteat, quem locum illustrat poetica excellente fictione à soliis regum desumpta, vers. 15.

His igitur positis, quasi certamine confecto, vers. 16. & tribus proximè sequentibus, triumphum canit.

Hic verò contrà insurgit hostis qui debellatus videbatur, & quidem (quod mirum est) iisdem illis armis vtens quibus potissimum fuerat superatus. Concedit enim fœdus cum Davide sancitum, & ita quidē vt ipsas illius fœderis tabulas proferat, & singula illius verba postulet expendi: vt inde colligat ex præsenti experientia, irritum esse illud fœdus quod videlicet à posteris Davidis esset violatum, ac proinde vanam eorum esse expectationem qui ratum illud fore sperarent & hæc est præcipua fidei lucta vbi videlicet conceduntur promissiones in genere: sed de particulari applicatione controvertitur: quæ hostilis impressio continetur vers. 20. & deinceps vsque ad versiculum ipsum 46.

Sequitur denique ardentissima precatio, in qua consurgēs qui prostratus videbatur, illis tribus de quibus diximus nihilominus innixus, statuit nimis absurdum esse & à Dei voluntate patefacta prorsus alienum, vt suis perpetuò indigneturque (vers. 47.) Deinde miserias humani generis sua etiā sponte intereuntis deplorat (vers. 48. & 49.) & tandem rursum illo cum Davide inito fœdere prolato, & hinc quidem magnitudine præsentis calamitatis expositā, inde verò admonito Deo non tam hic agi de miserorum salute quàm de ipsius gloria fortiter asserenda, psalmum pulcherrimo triumpho concludit.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

ETsi tantis vndiq; calamitatibus affligimur quanta nobis videntur enenire posse, absit tamen vt cum Deo expostulem. Immo potius perpetuo cantu celebrabo quos quantaq; ipsius erga nos

INTERPRETATIO.

1 MIsericordias Iehouæ in æternum cantabo: in æratem & æratem celebrabo veritatem tuam ore meo.

extent beneficia, nec vnquam desinam perpetuam ipsius in præstando promissis constantiam prædicare.

2 *Nam vt interdum id quod cœpit interrumpatur, statuendũ est tamen omnino immotum perstiturum quod pro sua benignitate promisserim, cælis ipsis testibus adhibitis, perenne futurum dixit.*

3 *Huius autem fœderis effectũ pendet prorsus ab eo quod ipsiusmet Iehouæ voce exponere me non pigebit. Sic igitur ille, Ecce, inquit, fœdus illud meum cum patribus initum, iuro me homini selecto, Dauidi, inquam, isti seruo meo præstiturum.*

4 *Id est nasciturum ex eo prolem quam æternitate donabo, & sempiternum ipsius regnũ futurum.*

5 *Iehouam autem istud effecturum quod humani generis & regnorum omnium conditionem trãscendit, vel illa cælorum tot seculis perstans machina demonstrat: ac multò etiam magis ille sanctorũ spirituum cœtus veritatem Dei celebrantium.*

6 *Nã quis in illis supra nos sitis regionibus cum Iehoua conditore possit comparari? ecquem ex ipsis potentissimis spiritibus Iehouæ similem dixerimus?*

7 *Istorum certè omnium ipsum circunstantium nemo est qui*

2 Nam dixi, perpetuò clementia perget, in cælis stabiliuit veritatem tuam dicens,

3 Pepigi fœdus cum electo meo: & iuraui Dauidi seruo meo.

4 Vsque in æternum stabiliam sobolem tuam: & extruam in ætatem & ætatem solium tuum.

5 Celebrabunt autem cæli miraculum tuum Iehoua: etiam veritatem tuã in cœtu sanctorum.

6 Quis in nubibus comparabitur Iehouæ? *quis* similis Iehouæ inter filios deorũ?

7 Deus terribilis *est* in cœtu sanctorum valde: & metuendus

ad Dei conſpectum non expauſcat, & eum ſupra omnia metuendum non fateatur.

1 Iehoua Deus, cæleſtium ipſorum exercituum imperator, quiſnam ſe tibi viribus parem fecerit? regni non minus eſt firma tua veritas, quàm valida tua poteſtas.

9 Et te velle tuorum cauſa quod poſſis, iam pridem es teſtatus, quum elatum mare tua poteſtate frenaſti, & altiſſimos etiam fluctus ipſius compeſcuiſti, vt tuis tranſitus præeret.

10 Et eodē tuo verè robuſto brachio Ægyptum vulneribus cōtuſam, hoſtes videlicet tuos diſieciſti.

11 Quidni enim id poſſes cui cælum & terra vt vnico ſuo cōditori ſubſunt?

12 Et qui peculiari quadam vi terram tuis abs te conceſſam tibiq; ſelectam communieris? Nam tu certè Aquilonarem & Auſtralem ipſius terminum, & ab Occidente quidem Taborem, ob Oriente Hermonem montes fixiſti.

13 Itaque quum tibi ſit brachiū minimè ignauū ac remiſſum, vires minuum tuas exeres, & dextram attolles.

14 Te demque Regem eſſe reipſa demonſtrabis, cuius ſolii ſulcri vice ſuſtentant Æquitas illa temperatiſſima quatuorum cœtum regis, & illa iudicij ſeueritas quæ in tuos & tuendus ſupra omnes, qui in circuitu eius ſunt.

8 Iehoua Deus exercituum, quis ſicut tu fortis Deus? & veritas tua eſt per circuitus tuos.

9 Tu dominaris ſuperbiæ maris, dum attolluntur fluctus eius, tu compeſcis eos.

10 Tu ſicut vulneratum contudiſti Rahab id eſt Ægyptū & brachio roboris tui diſieciſti inimicos tuos.

11 Tui ſunt cæli, etiam tua eſt terra: orbem & complexum eius tu fundaſti.

12 Aquilonem & meridiem tu creaſti Thabor & Hermon in nomine tuo exultant.

13 Tibi brachium cum potētia: roborabis manum tuā, attolles dextram tuam.

14 Iuſtitia & iudicium locus eſt ſolii tui: Clementia & Veritas præcedunt faciem tuam.

tuorum hostes animaduertis: cui etiam in hoc throno considenti apparent antegredientes Clementia & Veritas.

15 O beatam gẽtem quæ tuarum tubarum clangore excitata, Iehoua, te sibi tui vultus lumine iter signante incedit.

15 Beatus populus qui nouit iubilationẽ: Iehoua, in lumine vultus tui ambulabunt.

16 Et quotidie te celebrans, iustitiaq; tua freta exultat.

16 In nomine tuo exultabunt quotidie: in iustitia tua extollentur.

17 Tu enim es illorum, id est nostrum, & decus simul & robur. & ipsi tua benignissima liberalitate freti caput attollimus:

17 Quia decus roboris eorũ tu es: & in beneuolentia tua attolletur cornu nostrum.

18 Noster enim defensor, Rex, inquam, noster in quem oculos conuertimus, & à te Iehoua, qui tuum Israelem ex omnibus populis segregatum tibi consecrasti, nobis constitutus, tua potentia fulcitur.

18 Quia Iehoua est clypeus noster, & sancti Israelis Rex noster.

19 Namtu, quo tempore tibi visum est tanto isto beneficio nos afficere, hominibus tibi charissimis apparuisti, & verbis illis eos compellasti. Ego fortissimum illum ex vniuerso populo selectum extuli, cuius robore gens mea protegatur.

19 Tunc alloquutus es in visione beneficiarios tuos. & dixisti, posui adiutoriũ supra fortem: extuli electum è populo.

20 Dauidem, inquam, vnum ex omnibus mihi visum est nanciscì, cuius in ea re opera vterer, ideoque oleo meo sancto ipsum regem consecraui.

20 Inueni Dauid seruũ meũ oleo sancto meo vnxi eũ.

21 Itaque manus mea ipsum fulciet, ipsum inquam brachio meo corroborabo.

21 Ideo manus mea stabilietur cum ipso, vtique brachium meum corroborabit eum.

22 Non

22 Nullus enim hostis per insidias obruet, nec vlla vi quisquam sceleratus ipsum opprimet.

22 Non obruent eum inimici superuenientes, nec scelerati oppriment eum.

23 Conteram enim coram eo cunctos qui opprimere ipsum volent, & odientes ipsum inimicos cædam.

23 Nam conteram à facie eius oppressores eius: & eos qui oderunt eum percutiam.

24 Nunquam illum clementia mea, nunquam veritas mea deseret, & me fautore fretus altissimè caput eminens attollet.

24 Et veritas mea & clementia mea *erunt* cum eo: & in nomine meo attolletur cornu eius.

25 Faciam vt vnam quidē manum mari, alteram verò fluminibus imperitet.

25 Et statuam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.

26 Ipse me patrem suum, Deum suum, & arcem suam securam cognominabit.

26 Ipse clamabit ad me, pater meus es: Deus meus, & rupes salutis meæ.

27 Et ego vicissim eū quasi primogenitum in tota regum totius orbis familia, eminentissimo supra cæteros solio collocabo.

27 Ego etiam primogenitum ponam eum, & excelsum præ regibus terræ.

28 Sempiterna misericordia ipsum tuebor, eritq; meum cū ipso initum fœdus perpetuò firmum.

28 In seculum seruabo illi misericordiam meam: & fœdus meum firmum erit ei.

29 Faciam vt æternum sit ipsius genus, eiusque solium tam firmum & perenne quàm cælum ipsum perseueret.

29 Et statuam in perpetuum genus eius: & solium eius quasi solium cœlorum.

30 Nam etiamsi à lege mea defecerint eius posteri, neque ex præscripta sibi iuris regula sese gesserint:

30 Si deseruerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambularint.

31 Sed à me cōstitutos ritus violarint, neque mādata mea custodierint:

31 Si statuta mea violarint & præcepta mea non custodierint.

32 Correpta quidem virga in i-

32 Tunc visitabo virga trans-

ipſorum delictum animaduertam, & de ſceleribus ipſorum pœnas ſumam.

33 *Sed clementia tamen tua penitus expertem eſſe non ſinã, neq; propterea fidem fallam.*

34 *Neque pactum meum violabo, aut in iis quæ ſum loquutus quicquam immutabo.*

35 *Semel enim ſanctus ego per memetipſum iuraui, Si vnquam Dauidi mentiar.*

36 *Stabit ipſius genus in æternũ, eritq; Sol alter corã me, ipſius thronus.*

37 *Et haud ſecus quam Luna in omnes ætates perſtabit, fidelis vterq; in cælo firmiſſimæ huius promiſſionis meæ teſtis.*

38 *Et hæc quidem olim pollicitus es, Iehoua. Quinam igitur factum nunc eſſe dixero, vt Regem nunc illum tuum iratus repulſum abiecerit?*

39 *Quinam, obſecro, fœdus cum ſeruo tuo ſanctum abrogaſti? quinam ipſius coronam humi proiectam omnium contumelijs expoſuiſti?*

40 *Omnibus ipſius mœnibus diruta, omnibus ipſius propugnaculis euerſis,*

41 *Quorumuis iter facientium præ libidine deuaſtãdum, vicinisque omnibus populis deridendum ipſum expoſuiſti?*

42 *Aduerſarios ipſius omnibus vires & lætitia argumentum ſubminiſtraſti?*

43 *Aciem enſis ipſius hebetaſti?*

greſſiones eorum & plagis iniquitates eorum.

33 Sed clementiam meam nõ auferam ab eo: neque mẽtiar in veritate mea.

34 Non violabo pactum meũ & quod egreſſum eſt e labiis meis non mutabo.

35 Semel iuraui per ſanctitatem meam, ſi Dauidi mentiar.

36 Genus eius in æternũ ſtabit: & ſolium eius quaſi Sol coram me.

37 Sicut Luna ſtabilietur in ſeculum: & ipſa teſtis eſt in cælo fidelis.

38 Tu tamen *eum* repuliſti & reprobaſti: & iratus es vncto tuo.

39 Irritum feciſti fœdus ſerui tui: profanaſti ad terram diadema eius.

40 Diruiſti omnes muros eius: redegiſti omnes munitiones eius in ruinam.

41 Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam: fuit opprobrium vicinis ſuis.

42 Exaltaſti dextram aduerſariorũ eius: & exhilaraſti omnes inimicos eius.

43 Etiam retudiſti aciem gla-

dij

omne animi robur ad hostis impetum fortiter sustinendum ipsi ademisti?

dii eius: & non fecisti stare eum in bello.

44 *Omnem denique splendorem eius deleuisti? solium eius ad terram vsque abiecisti?*

44 Deleuisti mundiciem eius & solium eius in terrã detraxisti.

45 *In ipso iuuentutis flore vigorẽ eius succidisti, omniq́ dedecore ipsum operuisti?*

45 Præcidisti dies iuuentutis eius: operuisti eum ignominia.

46 *Eheu, Iehoua, túne à nobis te ipsum perpetuò subduces? siccine tua indignatio quasi ardentissima quædam flamma in nos desæuiet?*

46 Vsquequò Iehoua abscõdêris perpetuò? ardebit tanquam ignis indignatio tua?

47 *Memineris, quaso, quãtulum sit humana vita spatiũ, etiam si totũ decurratur. Num verò temere & vt statim eos tolleres, homines abs te creatos arbitrabimur?*

47 Recordare cuius ego sum æui: quorsum frustra creaueris omnes hominibus satos?

48 *Quorsum, obsecro, violentia perdendis nobis opus est, quum nemo sit hominum qui non sponte sua sit interiturus, nec quisquam sese eximere sepulchro possit?*

48 Quis vir viuet & non videbit mortem? *quis* eruet animam suam è manu sepulchri?

49 *Vbi nunc pristina illa tua beneficia quæ perpetuò mansura tu ipse, Domine, Dauidi iurasti?*

49 Vbi misericordiæ tuæ priores Domine *quas* iurasti Dauidi in veritate tua?

50 *Sed quorsum istas ego quereras effundo? Tibi certè tuorum consilium rationes optimè cõstant, & absit vt de tua fide quidquam ambigam. Tantum obsecro, Domine, consideres apud te quibus contumelijs afficiãtur serui tui: & præsertim quot opprobria quã multi populi in sinũ meũ euomuerint.*

50 Memẽto, Domine, opprobrii seruorum tuorum: sustinui in sinu meo omnia multorum populorum.

51 Quid, inquam, isti, tui potius quam nostri hostes, tibi exprobrarint, Iehoua: & quibus ludibrijs exerpiant quæ de Rege & regno abste stabilito à nobis commemorantur.

51 Quæ tibi exprobrarunt inimici tui Iehoua: quæ exprobrarunt plantis vnctii tui.

52 At te Iehoua, quicquid isti delirent, & quæqua nos circumlucas, laus omnis & gloria sempiterna decet. Et ita certè certè est futurum.

52 Benedictus esto Iehoua in æternum: amen & amen.

Idem Psalmus octuagesimus nonus, monocolos, carmine heroico, vt octauus.

1 IMmensæ benefactæ tuæ benitatis, & illam
Constantem cantabo fidem, Deus almæ, perenni
Carmine, quod seri possint audire nepotes.
2 Firma meo siquidem hæc animo sententia sedit,
Quæ diuina semel statuit clementia, cursu
Pergere perpetuo, quales seruare videmus
Illa rotata suos constanter sydera motus.
3 Nam te sic memini quondam exaudire loquentem,
Hic meus est Dauid quem seruum ex omnibus vnum
Selegi, quicum iurata hæc fœdera pango,
4 Te te, inquam, sobolemq; tuam complectar amicus,
Perpetuiq; tuos donabo munere regni.
5 Verè ergo te mirandum fideiq; tenacem
Et cæli, & superûm te turma fatebitur omnis.
6 Ecquis enim Deus est celsis in nubibus alter?
Ecquis se tecum ex illis conferre beatis
7 Spiritibus possit, quorum te densa fatentur
Agmina terribilem, & circum paucta verentur?
8 Quis, Deus ermipotens, tecum se viribus æquet,
Cana fides cuius gressus comitatur euntis?

9 Tu

9 Tu maris elatas compescis voce procellas:
10 Strauisti Aegyptum, cæsum vetus ense cadauer,
Disiectas quatiens ingenti robore turmas.
11 Tu cœliq; soliq; potens dominator, & idem
Immensis totum firmasti viribus ingens
12 Hinc Boreæ, inde Noti suspensum cardine mundum.
Te Thabor occidua laudat fœcundus ab ora,
Et radiis Hermon roseus iuga matutinis.
13 Fortia nanq; tibi verè sunt brachia, fortis
Illa exerta manus, mundi qua flectis habenas.
14 Fas Rectumq; throni duo sunt tibi fulcra potentis:
Certa Fides, prompta in veniam Clementia, Regi
Apparent, æquis moderanti legibus orbem.
15 Felicem ô populum litui clangore vocantem
Qui sequitur, fretusq; tui duce lumine vultus,
Aeui per tenebras incedit tutus opacas.
16 Scilicet assiduis hilarabis honoribus illum,
Iustitiæq; tuæ extolles munimine tectum.
17 Tu siquidem nobis decus atque potentia solus,
Tu (tua quæ bonitas) vires animumq; ministras.
18 Hunc tibi nos clypeum debemus: tute dedisti
Hunc Deus Isacidis æterna in secula Regem,
19 Vatibus apparens, sanctaq; hæc voce loquutus.
20 Est mihi, cuius ego præstem vos robore tutos
Selectus plebe è media fortissimus heros,
Dauid, quem multis seruum de millibus vnum
Inueni, niteat cuius sacro vnguine vertex:
21 Hunc virtus nunquam mea deseret, hunc ego forti
22 Perpetuò seruabo manu: non improbus illum
Obruet insidiis, non vi ferus obteret hostis.
23 Quin potius quicunq; ferox hunc impetet, illum
Præcipitem ingenti prosternam vulnere cæsum.

24 *Hunc mea certa fides nunquam, Clementia nunquam*
Deſtituet, longè caput inter celſa ferentem
25 *Nubila, & occidui dominantem à littore ponti,*
Aſſyrij latè rapidas Euphratis ad vndas.
26 *Ille patrem, ille Deum, ille ſuum me voce vocabit*
27 *Præſidium, ille mihi contra chariſſimus vnus,*
Et cunctos inter primus, regumq; ſupremus.
28 *Me ſibi perpetuo verè experietur amicum,*
Immotoq; ſibi conſtanter fœdere iunctum.
29 *Quinctiam ipſius ſeclorum in ſecula prolem*
Firmabo ſolio ſtabili, ceu fixa perennis
Cælorum moles noctemq; diemq; reducit.
30 *Quod ſi fortè meo neglecto fœdere, recti*
Linquat iter cœptum ipſius malè ſana propago,
31 *Ritusq; aſpernata meos, mea temnere iuſſa*
32 *Cœperit, arrepto ſtultam multabo flagello,*
33 *Vulneraq; infligam: clemens tamen vſque, meæq;*
34 *Oblitus nunquam fidei, mea fœdera nunquam*
Rupero, nec verbo inueniar mentitus in vllo,
35 *Hoc etenim iuratus ego, meaq; ipſius olim*
Numina teſtatas, dixi irreuocabile verbum,
36 *Imperium fore Dauidis ſemenq; perenne,*
Aurea dum Solis radiabit in æthere lampas,
37 *Et noctis tenebras lunæ moderabitur orbis,*
Iuratæ teſtis fidei cœleſtis vterque.
38 *Et tamen ecce, tuum hunc Regem, tibi cœlitus vnctum*
Abÿcis iratus, mutata mente, repulſum.
39 *Tu velus iſtius iam fœderis immemor, heu*
Illius ad terram verſum diadêma dediſti:
40 *Mœnia tu illius, tu celſas illius arces*
41 *Vertiſti, ad prædam miſer vt cuicunq; pateret,*
Vicinisq; foret ludus q; iocusq; prophanis.

Tu dextram ſæuis armaſti in prælia noſtris
Hoſtibus, atque tua tribuiſti ex gente triumphos.
Tu noſtras gladios hebetaſti, & corda pauore
Impleſti, abiectis fugerent vt turpiter armis,
Indecores, regnique exuto prorſus honore.
Tu vitæ nobis, ceu primæ in flore iuuentæ,
Stamina rupiſti, ſola vt iam probra ſuperſint.
Ah, bone, túne tuos ſic auerſabere ſemper,
Ardebit quis tui æternùm vis tanta furoris?
Ah potius reputa humanæ ſint quantula vitæ
Tempora! fruſtra homines verò non tute creauis!
Et quorſum mors hæc properata, ex omnibus vnus
Mortalis nemo quum mortem effugerit vnquam,
Inuitos etiam quoſuis rapiente ſepulchro?
Illa vti iam bonitas toties quam ſenſimus olim?
Illa tuo iurata fides vbi firma Dauidi?
Cerne, Deus, quibus iſta tibi gens dedita probris
Vexetur, quam multorum conuitia portem
Multa ſinu, maledicta tibi quæ ingeſſerit hoſtis:
Atque tuo quoties firmatum numine Regem
Iactamus, quanto ſpernant hæc omnia faſtu.
At potius tua laus æterna, Aeterne, maneto,
Et vota ſint facito, facito rata vota precantis.

QVARTVS PSALMORVM LIBER.

Pſalmus nonageſimus Διδακτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi nonageſimi.

Moſes ex Pſalmo de humani generis miſeriis ac præſertim e morte concionatur, qua de re multa quoque Philoſophi d falſa & inepta diſſerunt. Nec enim quicquam de homi- is creatione, neque de eiuſdem lapſu, ac multò etiam mi- us de veris aduerſus omnes huius vitæ miſerias conſolatio-

nibus intellexerunt. Hinc illæ impiæ voces, Optimum non nasci, vel statim mori, Nouercam esse naturam, & similes aliæ. Hinc innumeræ blasphemæ querelæ in lamentandis mortuis effusæ: Et qui aduersus ista remedium vel ab animarum immortalitate petierũt, Platonici videlicet (vt μετεμψυχώσεως delirium omittam) præterquam quòd infirmis admodum argumentis illam confirmant, primùm extingui morte alteram hominis partem crediderunt, quod irridendi Pauli occasionem præbuit Athenis Act. 17. 32. & apud Festi tribunal Act. 26. 24. deinde causam beatæ immortalitatis ipsis virtutibus ponentes quarum præcipuas ne de nomine quidem cognouerunt, & earum quoque in quibus nonnihil viderunt, tum veras causas tum effecta ignorantes, dici non potest quam procul à scopo aberrarint. At Moses ab initio statim huius concionis (nempe vers. 1.) homines aduersus omnia hæc mala præmuniens, docet, vt homines sint mortales, nihilominus in hac vita certum semper cætum extitisse quem protexerit in omnibus miseriis Dominus: vnde consequitur in Ecclesia certum extare aduersus omnes calamitates remedium, vtpote quæ fuerit à mundi principio conseruata. Fatetur tamen vers. 2. 3. 4.) hunc quoque cætum esse eâdem atque cæteros mortales conditione, idest plurimis ærumnis ipsique adeo corporis per mortem dissolutioni obnoxios: idque non casu, vt impii Epicurei opinati sunt, neque ex illo Physicorum principio omnia composita necessariò resolui, (quòd non esse per se neque vniuersaliter verum, & ex hominibus ante lapsum conditione, & ex doctrina de corporum post resurrectionem perpetuitate futura contra Pelagianos etiam liquet) sed ex diuino decreto, cuius postea causam in ipsis hominibus hærentem explicabit. Istam autem miserimam conditionem tantum abest vt eleuet sicuti fieri plerumque ab iis solet qui paradoxa pertinaciter potius quàm solidis rationibus tuentur, vt contrà mirum in modum pulcherrimis adhibitis similitudinibus describat. Sed omnem horum malorum causam esse demonstrat hominum peccata, quæ iustissimus Deus non possit non animaduertere & odisse ac etiam vlcisci: quæ omnia continentur à quinto vers. vsque ad ipsum 11. Postea (vers. 11.) grauiter hominum socordiam accusat Moses de nulla re minus quàm de numinis ira cogitantium, quamuis & à conscientia & à verbo Dei seuerissimè redarguantur. Nec enim

Moses

Moses prophanis populis sed ipsi Dei Ecclesiæ concionatur, & istius vecordiæ frequentissima semper fuerunt, in ipsis quoque piorum cætibus, exempla: quam ob causam mirari minimè oportet flagellis ipsam quoque Ecclesiam castigari. Sed adiicitur certissima consolatio versic. 12. nempè & si ista omnia proficiscantur à nostris peccatis, Deum tamen in illis puniendis non spectare suorum exitium sed castigationē potius, qua fiat vt παθήματα eu idant: μαθήματα quod tamen quam euenit minimè nobis ipsis, sed potius bonitati Dei sit tribuendum, vt eam quoque tristitiam quæ est, vt loquitur Apostolus, secundum Deum, sciamus esse excellens Dei donum, nedum vt μετάνοια vel tantillum à nobis ipsis emanet. Denique sic istis omnibus breuissimè simul & diuinissimè explicatis, proponit precum exemplum, quibus Ecclesiam & singula ipsius membra sic recreari par est, vt in sæuissimis ipsis tempestatibus naufragij secura, gubernatore Deo velificetur donec in portum ipsum appellat.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *TV nobis, Domine, & maioribus nostris ordine sibi succedētibus tuta statio & habitatio fuisti.*	1 TV, Domine habitatio fuisti nobis in generatione & generatione.
2 *Et tu quidem antequam montes existerent & terrarū orbem formares, immò ab omni æuo, Deus es, principij & finis expers.*	2 Antequam montes nascerētur & formares terram & orbem: & à seculo vsque in seculum tu es Deus.
3 *Homines autem (misertimū nunc animal) sicut à te ex puluisculo sunt initio conditi, ita simulatque hæc vox ex te audita est qua ipsos eodē reuerti iubes, statim in minutissimum puluerem resoluuntur.*	3 Tu redigis hominem ad minutissimum quiddam & dicis reuertimini filij hominum.
4 *Quod si vel annis mille quispiam vixerit, quantulum est*	4 Quia mille anni *sunt* in oculis tuis tāquam dies he-

hoc ſpatium cum æternitate tua comparatum? tantundem certè hoc eſt apud te, quantus ſuũ hesternus dies exactus, aut etiam noctis quadrans.

5 Itaque ſive paulo diuturnior, ſive brevis hominibus vita cõtigerit (nihil enim iſtud moratur) abripis eos quaſi nimbus quiſpiam inundans, vt ſomnio repente euaneſcenti ſimilis eorum vita fuiſſe videatur.

6 Oriuntur ſicut olus, in eodem ſtatu minimè permanſurum: vtpote quod mane quidẽ floret, mox autem immutatum, veſpere videlicet ſuccisum, exareſcit.

7 Nempe haud aliter ira tua nos abſumit, & furore tuo cõficimur.

8 Neque id verò immeritò, ſed omnium iſtorum cauſa penitus in nobis inhærente, peccatu videlicet noſtrũ, qua, quũ tu ſis iuſtiſſimus iudex, neceſſe eſt abs te inſpici & annotari: & quantumuis illa celare ſtudeamus acerrimis illis tuis oculis peruideri.

9 Hæc illa cauſa eſt cur te nobis iuſtiſſimè ſuccenſente miſeram vitam exigamus & haud ſecus quàm ſonitus in aërem ſparſus omne vita noſtra ſpatium euaneſcat.

10 Etenim ſi rectè ſupputetur humana vita ſpatium etiã lon-

ſternus, quãdo præteriit tanquam vigilia in noct

5 Abripis eos tanquam o bus: ſunt ſomnium: ma ſunt tanquam herba tra mutanda.

6 Qua mane florer & ma tur: veſpere excindit areſcit.

7 Itaque abſumimur ab tua: & furore tuo cõſter mur.

8 Ponis enim inſquitates ſtras in conſpectu tuo: culta peccata noſtra ad men vultus tui.

9 Ideo omnes dies no præterĕunt in indigna ne tua: conſumimus a noſtros velut ſermone

10 Dies annorum noſtro ſunt ſeptuaginta anni: &

gissimum, septuaginta plus minus annos, aut ad summum in his qui sunt valentiores octoginta comperiet: quorum partum meliorem ac præstantiorem, virilem videlicet ætatẽ, labor & dolor absumunt: & ita fit vt subitò rapti auolemus.

11 Quis cognoscit vim iræ tuæ: & secundum timorem tui iram tuam?

Quæ quũ ita se habeant, quoquis quisq; tamen ira tua vim animaduertit, & de illa euitanda sic cogitat vt ea sicuti par est, reuereatur?

12 Fac vt numeremus dies nostros, & sic redde nos intelligentes: & abducemus cor ad sapientiam.

Fac igitur, ô Deus, vt vita nostra dies subinde supputantes, quantula sit illa cognoscamus, & hac cogitatione impulsus animus à vanissimis molestissimisq; curis, abijs denique omnibus auocatus, quibus extra recta via semitam tuagamur, ad veram sapientiam aspiret.

13 Reuertere Iehoua: quousque? & pacare erga seruos tuos.

Redi ergo nobiscum in gratiam Iehoua: quis enim erit aliquin ira tua modus? & erga seruos tuos pacatiorem animum indue.

14 Satia nos mane bonitate tua exultabimus: lætabimur cunctis diebus nostris.

Iube nos post tam diuturnas tot calamitatum tenebras bonitatem tuam instar optatissima lucis affulgere, vt illius suauissimo conspectu expleti, vera per oũq; lætitia potiamur.

15 Exhilara nos secundum dies quibus afflixisti nos: secundum annos quibus vidimus malum.

Et sicuti nos diebus, immo etiam annis, tam multis omnimiseriarum genere castigasti, ita nos vicissim tua beneficentia exhilarato.

in fortitudinibus id est si quis sit valentior, octoginta anni: & eminentia eorum labor est & dolor: quia auellitur festinanter & auolamus.

16 *Fac vt, quod adhuc videtur latuisse, aut certè non ita perspicuè fuisse cognitum, nos videlicet à cæterùm populis abs te segregatos, & in familiam tuam adscitos, tibi peculiariter cura esse, palam appareat, & in posterùm nostris splẽdor ille tuus eluceat.*

16 Appareat erga seruos tuos opus tuum & gloriatu filiis eorum.

17 *Illustret nos & exornet decor ille tuus, Iehoua Deus noster: & consilia conatusq; nostros omnes cœlitus guberna, consilia, inquam, conatusq; nostros omnes guberna.*

17 Et sit pulchritudo Iehouæ Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum confirma super nos: & opus manuum nostrarum confirma.

Idem Psalmus nonagesimus, dicolos distrophos, vt primus.

1 *TV primo ab æuo refugium nobis, Deus,*
Cunctis fuisti ætatibus.

2 *Tu condita ante celsa montium iuga,*
Substrataq; sola montibus,
Mundiq; molem, seculaq; ante omnia,
Qualis es, eras, & eris, Deus.

3 *Ac te iubente homo puluis abit in puluerem,*
Originem repetens suam.

4 *Nec pluris anni mille, quàm vnicus dies,*
Noctisue quadrans sunt tibi.

5 *Inanis instar somnij euanescimus,*
Tuo rotati turbine.

6 *Ceu manè totum planta quæ explicans decus,*
Aut vespere vltrò emarcuit,
Aut amputata falce fœniſecæ impia,
Repente tota exaruit.

7 *Sic ira nempe iusta nos tua abripit,*

Furorq;

Furorq; prosternit tuus,
8 *Peccata præsens nostra cuncta continens,*
Occultaq; ipsa pernidens:
9 *Sic vita cum diebus abripitur fugax,*
Elapsa vt ore vocula.
10 *Sint lustra bis septena, vel bina amplius*
Exacta furiculo tibi,
Labor dolorq; maximam auolantium
Partem dierum ademerint.
11 *At ecquis iræ vim tuæ agnoscit satis?*
Quis te vereatur vt par est?
12 *Fac appetamus ergo sapere, tam brevis*
Istius ævi conscij,
13 *Reuertere agedum, & nos benignus aspice,*
Nam quandiu indignaberis?
14 *Fac luce prima gratia vt saturi tua,*
Iugi fruamur gaudio.
15 *Vt quot molestos ante sensimus dies,*
Tot exigamus prosperos.
16 *Fac seruulis tuum opus tuis appareat,*
Decoretq; eorum posteros.
17 *Splendore tu nos complue tuo cœlitus,*
Aeterne noster ô Deus,
Manusq; nostras, nostraq; omnia dirige,
Tu, inquam, manus nostras rege.

Psalmus nonagesimus primus Διδακτικός.

Argumentum & vsus Psalmi nonagesimi primi.

Assentior optimo & doctissimo viro D. Henrico Mollero, qui pestilentiam illam horribilem cuius fit mentio 2. Sam. 24. huic Psalmo occasionem præbuisse existimat. Congruunt enim & verba & sententiæ ad hanc historiam, & tunc

egebat si vnquam aliàs insigni consolatione populus, ac Rex in primis ipse, qui hanc perniciem sibi & suis vltrò accersiuerat. Hoc autem Psalmo nihil neque solidius, neque splendidius etiam dici posse, & in eo elucere singulare diuinæ facundiæ exemplum spero mihi concessuros quicunque & sententiarum & vocum ipsarum pondus expenderint. Et quum aliquot ab hinc annis plurimas vndique regiones Dominus peste flagellarit, ac nunc videatur eandem plagam minari, cuperem ego non susci pi à Theologis illam ad medicorum cettè scholas relegandam disputationem, sitne contagiosa pestis annon, & tam necessariam, sed doctrinam potius hoc Psalmo tam diuinè explicatam, animis hominum inculcari: in quo videlicet prouidentia Dei vniuersalis duntaxat sed maximè quoque particularis, secundas omnes causas iustissimè simul & moderatissimè dirigentis, & pro salute suorum excubantis, ita graphicè spectanda proponitur totque ac tam expressis sententiis, inducta ipsius Dei loquentis persona, sancitur, vt nihil hac in re amplius desiderari posse videatur. Me quidem certè exponere ad Dei gloriam non pigebit quod ego sum reipsa expertus. Agitur annus tricesimus primus ex quo per Dei gratiam vltrò patriam meaque omnia reliqui vt Christo liberè seruirem. Accidit autem mihi tũc primum in publicum Christianorum vestigium ponenti vt hunc Psalmum cœtus contineret, cuius cãtu, perinde ac si Deum ipsum audirem me propriè compellantem, ita me sensi recreari vt illum ab eo tempore habuerim intimè pectori meo insculptum: & hoc verè coram Deo testari possim, ex eius meditatione me non tantùm quum essem etiam peste correptus, & idem malum familiam meam (quod quater factum est,) inuasisset, verùm etiam in grauissimis aliis tentationibus, mirificam leuationem ægritudinis ac doloris ex eo percepisse.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *ITe, mortales, & refugia vobis quotquot libebit, cõminiscimini. Vnicus est demum tutus & quietus receptus, Dei omnipotentis vmbra, ijs omnibus videlicet qui ad*

INTERPRETATIO.

1 HAbitans in latibulo *Dei* excelsi, in vmbra Omnipotentis commorabitur.

2 Di-

illius excelsi latibulum sese recipiunt.

1 Itaque quod ad me attinet, vnicus Iehoua mihi perfugium & propugnaculum esto. Hic est Deus meus, in quo spem omnem meam collocaui.

2 Dicam Iehouæ, protectio mea es & propugnaculum meum: Deus meus est, sperabo in eum.

3 Quisquis autem exemplum meum sequêtur, certus esto fore vt te Deus ab aucupum reti, à peste, inquam, malo quãtumuis callidè insidiante & noxio liberet.

3 Certè ipse liberabit te à laqueo aucupis: & à peste noxia.

4 Pennis enim te suis protectum & sub alas suas receptum tutabitur, nec vllum est tam validum scutum, aut vllus tam firmus clypeus at q promissioni Dei, qui datam semel fidẽ credentibus fallere, id est mendax esse nec vult nec potest.

4 Pennis suis proteget te, & sub alis eius habebis protectionem: scutum & clypeus est veritas eius.

5 Itaque te neque nocturni terrores, neque tela interdiu volitantia percellent:

5 Non timebis à tertore noctis: à sagitta quæ volabit interdiu.

6 Pestis videlicet in tenebris grassans, & luis exitialis tantam luce stragem edens.

6 A peste in tenebris grassante: ab excidio quod vastat meridie.

7 Et vt ad vnum latus mille, ad alterum dena millia corruant malum tamen ad te non accedet.

7 Si cadant à latere tuo mille & decem millia ad dextram tuam: tamen ad te nõ appropinquabit.

8 Immò superstitem esse te volet Deus, vt sis pœnarum spectator quibus sceleratorum peccata vlciscitur.

8 Vtique oculis tuis aspicies & retributionem impiorum videbis.

9 Quoniam videlicet exemplo meo præsidium omne tuum in Iehoua collocaris, & in arcem illam Dei, altissimo tutissimoq loco sitã, teipsum receperis.

9 Quia tu Iehoua es protectio mea, & Deum excelsum posuisti habitaculum tuum.

10 *Sic enim futurum est vt malum te non attingat, & extra telorum iactum in isto tabernaculo securus conserueris.*

10 Non occurret tibi malum & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo.

11 *Mandatum enim de te tutando, & modò viam tibi præscriptam teneas, conseruando, beati Spiritus ipsi à Domino acceperunt.*

11 Quoniam angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus viis tuis.

12 *Itaque potius quàm ad vllum lapidem offendas, ipsimet te sublatum manibus gestabunt.*

12 Super manus portabunt te ne offendas ad lapidem pedem tuum.

13 *Atque adeò si sit opus, supra leones etiam ipsos & aspides pedibus incedes illæsus, & leunculos ac dracones citra periculum conculcabis.*

13 Super leones & aspides ambulabis: conculcabis leunculos & dracones.

14 *Nam, inquit ipse Deus, quandoquidem iste me tanto amore complectitur, ipsum liberabo, & quoniam me agnoscit, extollam eum.*

14 *Dicit enim Deus:* quia iste me complectitur amore, liberabo eum: & exaltabo eum, quoniam agnoscit nomen meum.

15 *Inuocat me: itaque illum exaudiens quasi miseriarum ipsius socius ac particeps, ipsum eripiam, & honoribus etiam ornabo.*

15 Inuocat me, itaq; respondebo ei, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.

16 *Prorogabo illi vitam ad satietatem vsque, nedum vt cũ cæteris intereat: ac tandem illum veræ perpetuaq; felicitatis meæ participem faciam.*

16 Longitudine dierum satiabo eum: & ostendam ei salutem meam.

Idem Psalmus nonagesimus primus, monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo, vt secundus.

1 *QVi patris superûm petit latebras,*
Is demum sibi numinis sub vmbra

Petentis

Petentis placidam inuenit quietem.
Ergo hæc dicere me Deo iuuabit,
Tu mi perfugium, arx q, spes q, solus.
Hic te retibus aucupum explicabit,
Hic lethalibus eruet periclis,
Huius certa fides tibi vndiquâque,
Vmbo tutus erit periclitanti.
Noctis hic abiget procul timores,
Volantes q, palam die sagittas.
Et ceu luce palam lues vagata,
Seu noctis tacitas furens per vmbras,
Deuastet miseras domos cruenta,
Hinc vt mille cadant, & inde mille,
Intactum tamen illa præteribit:
Nempe vt ipse oculis tuis referre
Mercedem videas suam scelestos:
Id q, præsidium quòd omne solo
Caelitum in Domino tuum reponas.
Totus ergo tuis manebis expers,
Domum plaga tuam nec vlla tanget.
Ipse nam superûm Pater beatos
Quâ tu cunque ieris adesse iussit,
Custodes tibi spiritus futuros:
Qui te ceu manibus ferant euntem,
Ne te fortè silex acuta lædat.
Ipsos tu pedibus teres leones,
Diros aspidas, horridos dracones,
Et torua catulos feros leænæ.
Nam me (sic equidem Deum benignè
De me cœlitus audio loquentem)
Quem verè hic amet, hunc ego vicissim
Honores mihi cognito ferentem,

Extollam omnibus erutum periclis.
15 *Hic quùm me vocet, audiam precantem,*
Et præsens ego liberabo, pressum,
Auctturus quóque deinde liberatum:
16 *Quæ vis denique sit meæ salutis,*
Faxo hic sentiat, approbéque salus

Psalmus nonagesimus secundus. εὐχαριστ

Argumentum & vsus Psalmi nonagesimi secundi

Quum plures fuerint instituendi Sabbathi fines: vnus licet policitus, nempe vt requies aliqua seruis & iumentis cedereuut: alter ceremonialis, qui vnà cum reliquis cere nijs abolitus est: tertius denique præcipuus, atque (licet tato die septimo in primum), non nisi cum ipso mundo siturus, nempe vt cæteris curis sepositis solemus cetu audiendum verbum Dei, sacramentorum vsum & gratias agendas habeantur: Psalmum hunc ostendit inscriptio populi hac de re admonendi causa scriptum vt tum in te tum per sinagogas, ac etiam per familias decantatus, tan sanctificandi illius diei canon haberetur. Proponit a spectanda primùm quidem in genere, deinde in Eccles bernatione, opera illa diuina quibus ad contemplandam sius infinitam vim simul ac bonitatem excitemur. Et q sancti quidem subinde vexentur, impij verò floreant, (q argumentum alijs multis locis pertractatum est,) admo ne forte ad imitandos impios sese pii conuertant non es prosperis aduersisue rebus amorem vel odium Dei æsti dum, vel propterea negandam prouidentiam Dei quasi quam casu eueniat, vel despondendum animum: sed ado dam esse potius Dei sapientiam simul ac potentiam, quod ad improbos attinet, supplicii tarditatem grau compenset, suos autem id est Ecclesiæ verè insitos, ad e mum vsque tueatur.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.

1 QVàm bella res est Iehouam celebrare, & subli-

INTERPRETATIO

1 BOnũ est celebrare houam, & psallere

ipſi is nomini pſallere.

Cùm prima luce ad prædicandam tuam bonitatem, ô Deus, exurgere: tum nocte veritatem tuam collaudare, ſicuti nos tum matutinis tum veſpertinis ãte inſtitutis ſacrificijs admonemur.

Decachordo, nablio, tum baſſa voce, tum cithara.

Ampliſſimum enim gaudij argumentum mihi res ãte geſtæ ſuppeditant, vt illas non poſſim non exultans demirari.

Etenim geſta tua, Iehoua, quàm magnifica ſũt? & quam profunda & abſtruſa ſunt cõſiliorum tuorum rãtiones?

Itaque ſtulti & amentes, qui tamen ſoli ſapere ſibi & pleriſque hominibus videntur, quid hoc tandem rei ſit non percipiunt.

Quòd improbi atque adeò ſceleratiſſimi quiq; adoleſcant & floreant. Itaque quod non intelligunt impiè damnant, quaſi vel caſu res hominum regantur, vel ſceleribus numen faueat: nempe quòd non animaduertant olerum ſimiles eſſe iſtos, ita virentes & florentes vt mox radicitus intereant.

Nam vt inferiora iſta mirijs viciſſitudinibus ſint obnoxia, tu tamen illorum omnium ſapientiſſimus & iuſtiſſimus moderator in ſublimi collatus ne-

mini tuo excelſo.

2 Ad annunciandum mane bonitatem tuam: & veritatem tuam noctibus.

3 Super decachordo & ſuper nablio: ſuper higaion, cum cythara.

4 Quia exhilaraſti me Iehoua in operibus tuis: in factis manuum tuarum exultabo.

5 Quàm magnifica ſunt opera tua Iehoua? *quàm* val dè profundæ ſunt cogitationes tuæ?

6 Vir ſtultus *hoc* non nouit, neq; fatuus hoc intelligit.

7 Dum germinãt impij quaſi herbæ: & florent omnes operam dantes iniquitati vt pereant in perpetuum.

8 Sed tu es excelſus in æternum Iehoua.

quaquam mutaris, sed idem es, ac tui similis permanes, Iehoua.

9 *Quæcunque igitur rerum ac temporum vices incidant, hûc tandem exitum sequi necesse est, vt inimici, inimici, inquã, tui, Iehoua, pereant: & sceleribus pertinaciter addicti omnes (sunt enim isti inimici tui) quantumuis ad tempus floreant, dissipati tandem euanescant.*

9 Quia ecce inimici tui Iehoua, quia ecce inimici [illegible] peribunt: dissipabuntur omnes operam dantes iniquitati.

10 *At tu cõtrà velut vnicornis, caput istud oleo recente abs te perunctum, nouisque subinde beneficijs abs te cumulatum attolles.*

10 Et attolles quasi vnicornis cornu meum: *qui* perfusus sum oleo viridi.

11 *Tempus igitur erit quum videbimus & audiemus istis id quod merentur euenisse, qui ex insidijs insurgentes perdere nos quoquo modo student.*

11 Et videbit *iudicia tua* oculus meus in obseruatores meos: in eos qui surgunt contra me: in malefactores meos audient aures mez.

12 *Iusti enim sub arumnarum onere non modò non fatiscunt, sed etiam instar palmæ vires acquirunt: & vt sublimes illæ cedri Libani, carie ac vetustate consumi nesciæ, in dies auctiores consurgunt.*

12 Iustus vt palma germinabit: tanquam cedrus in Libano succrescet cum augmento.

13 *Sunt enim opimo vberrimoq; loco, nempe in ipsius Iehoua domo consiti, in cuius atrijs floreant.*

13 Plantati in domo Iehoua in atriis Dei nostri florebunt.

14 *Ida, tanto cum vigore vt in ipsa etiam senecta pullulantes ac succulentæ vireant.*

14 Etiam germinabunt in senectute, pingues & virides erunt.

15 *Horum autem beneficiorum hic demum est finu ac scopus vt Iehouam vindicam nostram*

15 Vt annunciem rectum esse Iehouam, rupem meam & non esse iniquitatem in eo.

arcem

ecum, rectissimum gubernatorem esse mundi sentiamus ac profiteamur, & qui ne tantillum quidem ab eo quod iustissimum est discedat.

Idem Psalmus nonagesimus secundus, monocolos. carmine Iambico dimetro acatalectico, vt decimus tertius.

1 *QVàm bellare res est cœlitum*
Te prædicare principem,
Quàm bella res est debitas
Cantare laudes numini.

2 *Et clara seu lux emicet*
Narrare te ter optimum,
Et nigra seu nox ingruat
Dicti tenacem dicere.

3 *Suaui accinente barbito,*
Graui intonante nablio,
Et sacra longè cantica
Adtinniente cymbalo.

4 *Nam facta lætus in tua*
Defixus omnis gestio,
Nec æstuantis gaudia
Differre possum pectoris.

5 *Quàm magna sint enim, Deus,*
6 *Potente quæ geris manu.*
Quàm sunt profunda & abdita,

Quæcunque mente cogitas!

6 *Et hæc tamen ſtultos latent,*
Nec nota ſunt amentibus,
7 *Virentis inſtar graminis*
Dum turba creſcit impia.

Et quiſque quo ſceleſtior,
Hoc floret ac viget magis,
Grauiore lapſu vt procidens
Nunquam erigendus corruat.

8 *At tu Deus non mobili*
Sublimis arce permanes,
9 *Dum quiſquis odit te, Deus,*
Te quiſquis odit, interit.

10 *Ergo peribunt improbi.*
Virente at ego oleo caput
Perunctus iſtud arduum
Ceu vnicornis efferam.

11 *His ipſe ocellis hoſtium*
Et vi & dolis vrentium,
Videbo, & iſtis audiam
Triſtes ruinas auribus.

12 *At iuſti ad vſque nubila,*
Ceu palma, tollent verticem,
Et celſa tanquam Libani
Cedrus grauans cacumina.

13 *Plantata nanque numini*

Sacrate

Sacratæ in ædis atrijs,
Ipſa in ſenecta florida
Vigebit arbos vltima,

Vt rebus inculpabilem
Te teſter ipſe in omnibus,
Te, mi Deus, cunctis mihi
Munimen in periculis.

Pſalmus nonageſimus tertius.

παραινετικός.

Argumentum & vſus Pſalmi nonageſimi tertij

Breuiſſimus quidem eſt hic Pſalmus ſed omnia vno verbo amplectens ad nos confirmandos neceſſaria, quum inquit Deum regnare, id eſt non nomine tenus ſed re ipſa regem eſſe potentiſſimum ſuorum defenſorem & hoſtium vltorem. Quum autem omne iudicium Pater filio, etiam quatenus homo eſt, dederit, Ioh. 5. 22. & Eccleſia idcirco regnum cœlorum vocetur, liquet hunc Pſalmum in Meſſiam reſpicere, cuius etiam vera deitas ex eo manifeſtè probatur, quod Iehoua nomen ei tribuitur.

Eiuſdem Pſalmi.

PARAPHRASIS.

VT cunque fremant ſcelerati & omnia quantum in ſe eſt conturbēt, regnat tamen Iehoua maieſtate & robore plenus, quod calorum ipſe conſpectus demonſtrat: nec otioſus ibi reſidet, ſed ſi attentè conſideramus quanta tum ſapientia tū etiam potentia res omnes quātumuis hominum improbitate perturbatas adminiſtret, ijs

INTERPRETATIO.

1 IEhoua regnat, magnificentiam induit, induit Iehoua fortitudinē: accinxit ſe: etiam firmatur terra, ne moueatur.

est semper armis accinctus quibus & suos tuetur & hostes coercet. Quidni enim hoc possit efficere qui terra ipsius ingens illud pondus sua vnius vi libratum sustinet, quominus in hanc aut illam partem vacillet?

2 *Multò magis igitur firmum & inconcussum est, vti semper fuit & erit, ipsius imperium.*

2 Stabile est solium tuum ex tunc: à seculo tu es.

3 *Quantus est exundantium aquarum impetus? quàm terribilis insurgentium ac mutuò sese collidentium procellarum mugitus?*

3 Extulerunt flumina Iehoua: extulerunt flumina sonitum suum: extollunt flumina fluctus suos.

4 *Sed omnes ista quantumuis sonora & violenta tempestates, nihil sunt profectò cum immenso Iehoua ex sublimi suo solio tonantis & solo nutu tumultum illum omnem comprimentis, robore collata. Quãto verò facilius homunculos quantumuis ferocientes idem ille compescuerit.*

4 Supra sonitus aquarum multarum, fortiùs fluctuũ maris, fortis *est* in excelso Iehoua.

5 *Et ita sese rem habere declarat sanctorum cœtus iam inde ab ipsis mundi primordijs stabilu perseuerans. Necesse enim est ratas & immotas prorsus esse diuinitus testatas pollicitationes. Itaque quantumuis mundus fremit, & quantascunque procellas aduersus domum tuam cieat, Iehoua, perennis erit eius sanctitas illa summa venustatis plena quã ipsam exornas.*

5 Testimonia tua firma sunt summè: domui tuæ desiderabilis sanctitas, Iehoua, *permanebit* in longitudinem dierum.

Psalmus

Psalmus nonagesimus quartus, monocolos carmine heroïco, vt octauus,

Ecce Deus Regnator adest, splendore coruscans
Roboréque accinctus multo, atque minacibus armis
Ille, inquam imperio cuius stat pondere tellus
Nixa suo firma æternus qui considet arce:
Terribilésque licet spumis vndantibus amnes,
Aggeribus cumulo rapientes omnia ruptis,
Aequoráque immanes cælo ructantia fluctus,
Voce tonans rauca frenat, nutúque coercet,
Longè alias procul insurgit quum totus in iras,
Horrifico quatiens cælúmque salúmque tumultu.
Nam ruat immensa vt totius machina mundi,
Firma Deus tibi permanent testata necesse est,
Sitq; tui æternum decus admirabile septi.

Psalmus nonagesimus quartus

παραμυθητικός

Argumentum & vsus Psalmi nonagesimi quarti.

Excellentissimus hic psalmus est hypotiposis tyrannidis Satanæ, cuius furijs agitati potentissimi quique huius mundi principes, iura omnia diuina & humana violant, præsertim quum aduersus pios insurgunt, perinde ac si nullum esset numen aut nulla ipsius prouidentiæ: cuius horrendæ tum sæuitiæ tum impietatis exemplum hodie præbent præcipua Europæ regna. Subijciuntur autem efficacissimæ consolationes ab ipsius Dei natura inuariabili & eiusdem prouidentia desumptæ, & magnificentissimè descriptæ: & iubentur pij vt ista norint sacras literas diligenter legere ac meditari, ex quibus intelligét, innumerabilibus etiam prolatis certissimis testimonijs, istas omnes tempestates piorum quidem commodo, impiorum autem exitio cedere, quod etiam propheta suo ipsius exemplo euincit. Ecclesia quidem certè nunquam nisi sub cruce triumphauit.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS	INTERPRETATIO.
1 *AFfulge nobis in tantis horribilu confusionis tenebru, Iehoua scelerum vindex & vltor iustissime.*	1 DEus vltor Iehoua: Deus vltor affulge.
2 *Conscende tribunal tu mundi iudex, & in superbos, sicuti merentur, animaduerte.*	2 Attollere iudex terræ: redde retributionem superbis.
3 *Quandiu etenim improbi, Iehoua, quandiu improbi exultabunt?*	3 Vsque quò impij Iehoua: vsq; quò impij exultabunt?
4 *Si verba spectes, quidnis petulanter effundunt, ferociter minantur, insolenter sese iactitant scelerati ssimi quique.*	4 Temerè garriunt, loquuntur duriter: iactitant sese omnes operam dantes iniquitati.
5 *Sin res ipsas, populum tibi, Iehoua, peculiarem obterunt, hæreditatem tibi consecratam deuastant.*	5 Populum tuum atterunt Iehoua, & hæreditatem tuam opprimunt.
6 *Viduas, peregrinos, pupillos, tantum abest vt iuuent, sicuti ipsa humanitatis iura flagitant & leges tua præscribunt, vt etiam crudelissimè occidant.*	6 Viduam & peregrinum interficiunt: & pupillos occidunt.
7 *Immò, quod est omnium scelerum maximum, ha sunt illorum voces quibus sese ad quidnis patrandum exacuunt, Deus nihil istorum videt, Deus Iacob ista non nouit.*	7 Et dicunt, non videbit Deus: & non cognoscet Deus Iacob.
8 *O cunctorum hominum stultissimi & insanissimi, quando tandem sapietis?*	8 Intelligite insipientes in populos: & stulti, quando sapietis?
9 *Surdus est qui hominum capiti tanto artificio plantatas aures adiunxit? cæcus est qui oculos tam admirabili fabri-*	9 Qui plantauit aurem an non audiet? an qui finxit oculum, non videbit?

10 Qui

tatione condidit?

10 Qui totis gentibus non parcit, qui non redarguet? nihil intelligit qui vim intelligẽdi hominibus tribuit?

11 Imò profectò non modò quid dicant aut faciant, verùm etiam quid cogitent homines penitus perspectum habet Iehoua, nec etiam illa quàm vana & inania sint ignorat.

12 Quid igitur hic agamus in tanta rerum omnium perturbatione? nempe hoc ex te cognoscamus oportet. O beatum igitur hominem, Domine, quẽ tu tradita nobis abs te doctrina erudieris.

13 Vt in medijs tumultibus tranquillo pacatoq; animo abs te donatus, expectet dum improbi sibi ipsis foueam in quã corruant, fodisse comperiantur.

14 Nec enim fieri vllo modo potest vt populum suum abiiciat Iehoua, & quos sibi tanquam peculium possidendos selegit, derelinquat.

15 Itaque statum hunc mundi vsq; adeò perturbatũ vt à iustitia prorsus remotus videatur, necesse est tandem in antiquum illum rectissimum ordinem restitui, vt Deum alacritate summa sectẽtur quicunque recti studio tenentur.

16 Et vt omnes norint tam nunc Iehouam suis minimè deesse, & eius vnius virtute sanctos fulciri, quis tandem mortaliũ

10 Qui corripit gentes, an non arguet? & qui docet homines scientiam?

11 Iehoua nouit cogitationes hominum, quòd sint vanitas.

12 Beatus vir quẽ tu erudieris, Domine, & legẽ tuam docueris.

13 Vt præstes ei quietem à diebus mali, dum foditur impio fouea.

14 Certè non abiiciet Iehoua populum suum, nec hæreditatem suam derelinquet.

15 Quia ad Iustitiam reuertetur iudicium: & post ipsum *ibunt* omnes recti corde.

16 Quis surrexit pro me aduersus malignè agẽtes? quis statuit se mihi aduersus operam dantes iniquitati?

mihi ab improbissimis hostibus oppugnato est opitulatus? quis mihi aduersus sceleratos adfuit?

17 *Solus profectò Dominus, qui nisi mihi præsto fuisset, mox ipsa mors silentium mihi indixisset,*

18 *Sed quum me iam euersum esse apud me statuerem, bonitas tua me, Iehoua, quominus corruerem sustentauit.*

19 *Et quam animo in diuersas partes abrepto penitus essem consternatus, tu me mirificis consolationibus recreasti.*

20 *Quid enim tecum habet commune tyrànica dominatio, legibus iniquissimis auctoritatem adiungens?*

21 *Aduersus probos conspirans, & ad insontes damnandos specie iuris abutens?*

22 *Sed age, saluant isti sanè ad tempus vt volent, & diuina humanáque iura omnia conculcent, erit mihi Iehoua tutissimum propugnaculum, & ad Dei mei rupem confugiam.*

23 *Rependet enim ille malis quod ipsorum scelera commeretur, & sua ipsorum malitia perdet, perdet, inquam, illos Iehoua Deus noster.*

17 Nisi dominus auxilio fuisset mihi: propemodum habitaret in silentio anima mea.

18 Quum dixi, lapsus est pes meus: bonitas tua Iehoua fulciuit me.

19 In multitudine cogitationum mearum intra me cõsolationes exhilararunt animam meam.

20 Num sociabitur tibi solium iniquitatum, fingens molestiam pro iure.

21 Turmatim coeunt super animam iusti & sanguinem innocentis damnant.

22 Tum fuit mihi Iehoua pro arce: & Deus meus pro rupe perfugii mei.

23 Nam rependet super eos iniquitatem ipsorũ: & per malitiam eorũ perdet eos: perdet eos Iehoua Deus noster.

Idem Psalmus nonagesimus quartus, dicolos distrophos, vt primus.

1 *VLtor Deus, Deus vltor illa flammea*
Aduerte terris lumina.

2 *Domi-*

Dominator orbis ades, & aureo ex throno
Istos superbos obtere,
Nánque hos quóusque, istos quóusque mi Deus,
Ridere sceleratos sines?
Quóusque verò isti proterui garrient,
Sua iactitantes crimina?
Hi sunt, Deus, qui deditos calcant tibi,
Aruúmque deuastant tuum.
Hi sunt cruentant impias quorum manus
Vidua, pupillus, aduena,
Hi sunt sceleftis qui tuum istis vocibus
Numen lacessunt impij.
Iste, inquientes, nil videt Deus, nihil
Deus hic Iacobi intelligit.
Audite verò vos ô insaniſsimi,
Quis finis erit amentiæ?
Nihil audit aurium artifex que lumina
Creauit ipsa, nil videt?
Pollente populos tot coercens dextera,
Vos ille non redarguet?
Scientiam qui cæteros vnus docet,
Quidquam hunc latebit inscium?
Imo vnus ist e vota nouit irrita,
Vanasq; spes mortalium.
At ô beatum scita legis quem tuæ
Deus magister edoces.
Vt atra dum procella cœlitus ruens
Cœlum solúmque concutit,
Prestet quietus dum quod impios vcret
Patens sepulchrum foditur.
Nam mitis ille negliget nunquam suos,
Nec rura deseret sua.

15 Certe ille cunctaqua æquitate temperet,
Res ipsa tandem proferet.
Et recreati quos amor sanctus iuuat,
Vnum sequentur hunc ducem.
16 Sese ecquis etenim mouit, aduersarios
Mecum vt meos inuaderet?
Contra scelestos ecquis auxilium mihi
Vllámue præbuit operam?
17 Ergo absq; Dei ope, frigido pridem iacens
Tumulo obrutus putrescerem,
18 At tu Deus titubante lapsurum gradu
Potente fulsisti manu.
19 Tu mille curis pectus istud saucium
Benignus vnus recreas.
20 Nanq; absit innocentibus scopulum reis
Hoc vt tribunal approbes,
Hic iuris vbi sub falsa imagine delitens
Vis regnat ac iniuria.
21 Hi sunt scelestæ factione, innoxio
Cruore qui se polluunt.
22 At tu mihi tutamen optimum, Deus,
Et certa eris fiducia.
23 Iusta ergo scelere perditis tandem suo,
Pendentur istis præmia:
Aeternus ille noster, inquam, funditus
Deus hos scelestos destruet.

Psalmus nonagesimus quintus,

διδακτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi nonagesimi quinti.

Ab hoc Psalmo fortassis Israelitica Ecclesia, stante templo, sacrificium iuge matutinum auspicabatur: cuius exemplo

plo Latina Ecclesia, iam olim distributis diuinis Cleri precibus, matutinas preces & piè defunctorum exequias, postea idololatrico cultu turpissimè contaminatas, inchoabat, & meritò quidem. Continet enim', adiuncta blandissima cohortatione, doctrinam inter cæteras maximè necessariam, eius videlicet vltimi finis cognitionem cuius causa conditi sunt homines, & ad quem veluti scopum omnes tum animi tum corporis actiones sunt referendæ. Is autem est Dei gloria, tum quòd id mereatur immensa potentissimi rerum omnium conditoris & sapientissimi moderatoris Maiestas: tum propter eiusdem infinita beneficia singularia in eos homines collata quos ex reliquorum numero selectos sibi cõsecrauit. Quoniam autem ex iis ipsis qui in Ecclesia cẽseri volunt non pauci vel negligenter ista curare, vel etiam penitus aspernari cõsueuerunt, additur commemoratio celeberrimæ historiæ in qua proponitur tum ingrati hominum animi, tum seueriſſimi iudicii diuini celeberrimum exemplum. Quæ sit autem vis vltimi præsertim versiculi huius psalmi, & quàm ista pertineãt potissimùm ad noui fœderis tempora, petendum est ex epistola ad Hebræos cap. 4.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Adeste omnes vt Iehoua laudes, concelebremus, & triumphum illi, vnico præsidio nostro, concinamus.*	1 VEnite, exultemus Iehouæ: iubilemus rupi salutis nostræ.
2 *Properemus ipsum coràm collaudare, & psalmis ipsi decantare.*	2 Præueniamus faciem eius cum laude: Psalmis iubilemus ei.
3 *Deus enim est veré magnus Iehoua, & Rex omnibus quantumuis sublimibus imperijs superior.*	3 Quia Deus magnus *est* Iehoua: & Rex magnus suptà omnes Deus.
4 *Habet enim in potestate vt omnium Dominus, & ima terrarum penetralia, & altissima montium iuga.*	4 Quia in manu eius *sunt* ima terræ: & altitudines montium ipsius sunt.

5 Quinetiam plenum ius obtinet inuniuersum mare, vt qui etiam illud crearit, quemadmodum terrarum quoque solum sua ipse vi condidit.

6 Adeste igitur vt eum prostrati adoremus, & coram Iehoua conditore nostro genua flectamus.

7 Nam hic ille est non modo vt cæterorum, sed peculiari quoque ratione Deus noster, vt qui nos selegerit, qui velut oues pasceret & quasi gregem suum manu duceret.

8 Itaque quotiescunque vocem eius audieritis, & quandiu tẽpus illud durat quo vos alloquitur, cauete ne contumaciter ipsius voci reluctemini, sicut olim accidit locis illis propterea Meriba & Massa cognomentum adeptis.

9 Qua de re audite ipsius Dei expostulantis verba. Illic, inquit, patres vestri, quamuis toties reipsa quid efficere possim suis ipsorum oculis spectassent, tentare me tamen & explorare vires meas non destiterunt.

10 Quadraginta igitur annos ab isthoc hominum genere tot modis vexatus, tandem sic apud me decreui. Quandoquidem populus iste vltrò insanit, neque me vult agnoscere, quãuis toties & verbo & re ipsa commonefactus,

11 Iuro ego iratus, si vnquam in

5 Quia ipsius est mare, & ipse fecit illud: & solum manus eius formauerunt.

6 Venite adoremus & procidamus, genu flectamus coram facie Iehouæ factoris nostri.

7 Quia ipse est Deus noster & nos populus pascuorum eius, & grex manus eius.

8 Hodie si vocem eius audieritis, ne obdurate cor vestrum: sicut in Meriba: secundum diem Massa in deserto.

9 Quando tentauerunt me patres vestri: probauerunt me, quamuis vidissent opus meum.

10 Quadraginta annos vexatus sum a generatione ista: itaque dixi: populus errans corde, neq; cognouerunt isti vias meas.

11 Quibus iurau in ira mea

requietis ipsis à me promissa, possessionem pedem ponant. si introibunt in requiem meam.

Psalmus nonagesimus quintus monocolos, carmine anapestico tetrametro acatalectico vt quadragesimus septimus.

Eia canamus superûm Domino,
Experto mihi toties vindici,
Certatim hilares carmina vocibus,
Certatim hilares carmina digitis.

Nánque hic Deus est Maximus, Optimus,
Deus hic inquam Maximus omnium.
Terræ ima manu valida sustinens,
Et verticibus dominans montium.

Hic Oceani temperat iras,
Immensi Opifex ipsius æquoris,
Idemq́; soli solidi conditor,
Ipsius vna stabiliti manu.

Eia hunc igitur corpore proni,
Eia hunc igitur poplite curui,
Cuius munere quod sumus hoc sumus,
Veneremur, adoremus, supplices.

Hic vnus enim Deus est noster,
Hic nos sedulus vt oues pastor
Alacres læta in pascua ducit,
Fidiq́; pedi cuspide dirigit.

Si vox igitur forsitan illius
Hodie vestris auribus insonet,

Ne corde iugum indocili perpeti,
Eius monitis, quæso, resistite.

9 *Sicut Meribæ saxa per auia,*
Scopulosq; Massæ (Deus ipse ait)
Me toties licet expertum sibi,
Vestri exploranêre parentes.

10 *Annos donec ego quaterdenos,*
Vexatus ab hac miserè gente,
Studio hic, dixi, populus contumax
Præscriptas terere vias negligit.

11 *Tandemq; graui concitus ira,*
Iuraui, re verba sequuta,
Scelerata hæc si turba, quietis
Vnquam tangat limina nostræ.

Psalmus nonagesimus sextus,

θεοφανικὸς καὶ εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi nonagesimi sexti.

Hic psalmus, vt & illi quatuor subsequētes, neq; scriptoris nomen neque scriptionis occasionem præfert apud Hebræos, sed omnino videntur à Dauide scripti quòd etiam in Græcis notatur: idque eo tempore quo vel arcam Domini in ciuitatem suam intulit, sicuti scribitur 1. Paralip. 15. qua de re diximus in Psalmum quadragesimum septimum: vel certè quum structuram templi Domini paulo ante mortem Solomoni demonstraret, quæ historia scribitur 1. Paralipo. 29. Cōtinet autem doctrinam de vero templi & omnium sacrorum rituum vsu, quibus videlicet tum Messias ipse tum omne ipsius officium adumbrabatur. Itaque prophetiæ adiiciuntur insignes & perspicuæ de ipsius aduentu & illa spiritualis regni per vniuersum terrarum orbem propagatione, vt non immeritò Iudæos vecordes admonuerit olim his verbis Christus, Scrutamini scripturas, quoniam de me loquuntur.

Eiusdem

Eiuſdem Pſalmi.

PARAPHRASIS.

1 *CAntate Iehoua cantionem nouam, canite omnes orbis terrarum incolæ.*

2 *Canite, inquam, Iehoua, gratias ipſi agite: prædicate ſine intermiſſione præſtitam ab ipſo ſalutem.*

3 *Commemorate gentibus omnibus q́, populis illuſtria & admiranda ipſius facta.*

4 *Eſt enim vnicus Iehoua magnus, & omni laude maior, & merito metuendus, non autem falſi illi & commentitij Dij.*

5 *Nam hi quidem vani ſunt quamuis illos populi tanto ſtudio venerẽtur, at Iehoua cælos ipſos condidit.*

6 *Præit autem illi Maieſtas & decor in ipſius operibus eluens: & quanta ſit eius tum potentia tum gloria in ipſius ſacrario demonſtratur.*

7 *Deferte igitur Iehoua omnes ſimul congregati populi, deferte, inquam, Iehoua gloria & roboris laudem.*

8 *Tribuite Iehoua honorẽ ipſius nomini conuenientem, & aſſumpta oblatione, atria ipſi conſecrata ingredimini.*

9 *Adorate Iehouam in auguſto illo ſacrario ſuo conſidentem, omnes terrarum incolæ, maieſtatem illius reueriti.*

INTERPRETATIO.

1 CAntate Iehouæ cantionem nouam: cantate Iehouæ omnis terra.

2 Cãtate Iehouæ benedicite nomini eius: prædicate de die in diem ſalutem eius.

3 Narrate inter gentes gloriam eius: inter omnes populos mirabilia eius.

4 Quia magnus Iehoua & ſummè laudabilis, & reuerendus eſt ipſe ſupra omnes Deos.

5 Nam omnes Dii populorum ſunt vanitates. Iehoua autem cælos fecit.

6 Maieſtas & decor *eſt* coram eo: robur & decus in ſanctuario eius.

7 Deferte Iehouæ *vos* congregati populi, deferte *inquam* Iehouæ gloriam & robur.

8 Tribuite Iehouæ gloriam nominis eius: aſſumite oblationem & intrate in atria eius.

9 Adorate Iehouam in decore ſanctuarii *ſui*, cõtremiſcite à facie eius tota terra.

10 *Proclamate vndique praecones, nunc adest Iehóua per vniuersum orbem regnaturus: nunc demum stabilietur orbu, nunc iusto rectoq; imperio populi gubernabuntur.*

11 *Lætentur cæli, exultet terra, reboans ipsum mare quãtumcunque patet, gaudium suum testetur.*

12 *Subsiliant agri, & quicquid agrii insidet, omnes denique syluarum arbores nunc exultent.*

13 *Coram Iehoua. Nam ecce venit, venit terram gubernaturus: orbem, inquam, populósque omnes tum iustitiæ, tum veritatis suæ sceptro gubernaturus.*

10 Dicite inter gentes Iehoua regnat: vtique stabilitur orbis, ne comoueatur reget populos cum rectitudine.

11 Lætentur cæli & exultet terra, tonet mare & amplitudo eius.

12 Exultent agri & quicquid in eis est: tunc exultent omnes arbores syluarum.

13 Coram Iehoua, quia venit quia venit ad regẽdam terram: reget orbem cum iustitia, & populum veritate sua.

Psalmus nonagesimus sextus, monocolos, carmine Iambico dimetro, acatalectico, vt decimus tertius.

1 *NOuum melos, carmen nouum*
Eia sacrate numini,
Deoq; laudes pangite
Totius orbis incolæ.

2 *Cantate laudes numini,*
Deiq; nomen inclytum,
Deiq; dextram vindicem
Cantate de die in diem.

3 *Fines ad orbis vltimos*
Proferte numinis decus.

Narrate

Narrate cunctis denique.
Tot mira gesta gentibus

Nam verè Magnus hic Deus
Summé Deus laudabilis,
Diuósque supra creditos,
Omnes timendus vnicus,

Idôla nánque vana sunt
Dij prophani gentium,
At noster hic Deus potens,
Cælum solúmque condidit.

Hunc in suo sacrario
Cingit refulgens gloria,
Circumstat ambiens decor,
Robúrque munit vndique.

Adeste gentes vndiq,
Adeste & ísti cedite
Huic gloriam vos Numini,
Huic omnes robur cedite.

Conferte laudes inclytæ
Quæ dignitati congruant.
Donisque onusti pergite
Ipsius in palatia.

Hic illi adeste supplices,
Eúmque contremiscite,
Throno sedete in aureo
Vos orbis omnes incolæ.

10 *Audite gentes, Deus adeſt,*
Quo Rege firmus permanens,
Rectiſq; rectus legibus
Orbis vigebit integer.

11 *Lætetur æther arduus,*
Tellus deorſum geſtiat,
Lateq; fluctibus boans
Teſtetur æquor gaudium.

12 *Quin cæua & ipſa gaudeant,*
Aruiſque meßis inſidens,
Auraq; percuſſum nemus,
Suaui ſuſurro ſibilet.

13 *Nanq; ecce Deus adeſt, adeſt,*
Res qui regat mortalium:
Iuſtis ratisq; legibus.
Orbis futurus arbiter.

Pſalmus nonageſimus ſeptimus
διδαχλικὸς καὶ προφητικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi nonageſimi ſeptimi.

Accidit in Pſalmis quod in cœna dubia, vt quem cui anteponas non facile diiudices. Iſte certè Pſalmus digniſſimus eſt quem omnes pii diligẽtiſſimè tanquam totius Euangelici miſterii diuiniſſimam epitomen meditentur. Sunt autem ipſius hi loci præcipui.

Chriſti Deitas, nomine Iehouæ ſexies repetito, & omnis gloriæ ac imperii attributione (verſ. 2. 5. 6. 9. 10.) adoratione denique ipſorum angelorum (verſ. 7.) interprete Apoſtolo Heb. 1. 6. apertiſſimè confirmata.

Eiuſdem humanitas, eodem Apoſtolo interprete: quod etiam ex eo probatur quòd de hoc regno quaſi tunc primum ineundo

ieundo differitur (verſ.1.2.6.9.) ex quo efficitur ad nudam Deitatem id referri non poſſe, ſed ad regem ex Dauid ſtirpe naſciturum neceſſariò pertinere, ſic Deum vt ſit etiam homo, & ſic viciſſim hominem vt ſit etiam Deus.

Prædictio luculenta de ſpiritualibus huius regni per vniuerſum orbem propagatione, (verſ.1.5.6.) quò reſpexit Chriſtus ipſe Iohan.5.22.& Matth.28.18.

Rebellio plurimorum quibus Euangulium futurum erat & nunc eſt odor mortis in mortem (verſ.2.3.4.5.) quo reſpexit Chriſtus Luc.12.49. Sic enim iſta malo interpretari quàm ad legis prædicationem referre.

Incredibilis illa vis diuini ſpiritus ſeſe in Apoſtolico miniſterio demonſtratura (verſ.1.6.7.9.) quod prædixit etiam Chriſtus Iohan.12.32.& 14.12.

Ipſius Chriſti perſonæ exaltatio (verſ.9.) quò manifeſtè alluſit Apoſtolus, Epheſ.4.10.& Philipp.2.9.

Fides ex auditu verbi in electis, & inenarrabile gaudium conſcientiæ inde ſecuturum (verſ.8.)

Iuſtificatorum & ſanctificatorum officium (verſ.10.

Crux Euangelicarum promiſſionum velut apparitor quidam, ſed cuius lætiſſimus ſit futurus exitus, (verſ.11.& 12.) quò alluſit manifeſtiſſimè Apoſtolus Philipp.4.4.

Eiuſdem Pſalmi.

PARAPHRASIS.

IEhoua tam diu veluti concluſus exiguis vnius populi finibus, nunc tandem init orbis terrarum regnum. Exultet igitur terra, & maxima quæq; regiones, etiam transmarinæ, lætamini.

Aduenit autem, quamuis ergà ſuos comis & ſummè manſuetus, diuina tamen maieſtate tum ſuis venerandus, tũ hoſtibus quantumuis ferocibus terribilis: atra videlicet nubium caligine circumcin-

INTERPRETATIO.

1 IEhoua regnat: exultet terra: lætentur inſulæ maximæ.

2 Nubes & caligo ſunt in circuitu eius: iuſtitia & iudicium baſis ſolii ipſius.

eius, & throno insidens quasi duabus immotis columnis suffultus, Iustitia videlicet quam in præstanda suis fide, ipsisq; ex pacto tutandis præstat, & Iudicio lõgè seueriſsimo, quo in suos aduersarios animadertit.

3 *Præibit igitur ei flamma discurrens, & eius hostes vndique corripiens.*

4 *Fulgura ex eius tribunali prorumpentia mundum fulgore complebunt: videbunt hoc tãdem vel inuiti qui maximè cæcutiunt & in toto terrarum orbe contremiscent.*

5 *Montes ad conspectum Iehoua, conspectum, inquam, omnium terrarum Domini, colliquescent.*

6 *Alijs verò docilibus & obsequentibus tam sese iustum ac promissa clementia memorem præbebit, vt ipsi cali tãta tãq; glorioſa eius bonitate ad omnes populos quacunque cæli ipsi patent diffundenda obstupefacti, quasi sonora voce tãtum hoc beneficium sint prædicaturi.*

7 *Agite igitur, pudeat vos idolorũ mancipia turpissima vestra seruitutis. Imò verò vos ipsi Angeli omnes istum vt Dominũ ac Imperatorem vestrum adorate.*

8 *Sed quis hac audiet? vera Sion videlicet, quæ idcirco cũ reliquis: sua ditionis oppidis, quasi mater cum filiabus, in*

3 Ignis coram facie eius ambulabit: & inflammabit in circuitu inimicos suos.

4 Illuxerunt fulgura eius orbi: videbit & contremiscet terra.

5 Montes tanquam cera liqueſcunt, ad conſpectum Iehouæ: ad cõſpectum Domini totius terræ.

6 Annunciabunt cæli iuſtitiam eius: & videbunt omnes populi gloriam eius.

7 Pudefiãt omnes ſerui ſculptilium, qui gloriantur in idolis: adorent coram eo omnes Angeli.

8 Audiuit & lætata eſt Sion & exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Iehoua.

9 Qgia

gaudium effusa, tuisque, Iehoua, iudicijs recreata exultabit.

9 *Agedum itaque, Iehoua, excelsissimo solio insidens imperato universæ terræ, & supra id omne quod vspiam imi net attollitor.*

9 Quia tu Iehoua excelsus es supra totam terram: & valde exaltatus supra omnes potestate præditos.

10 *Vos autem qui Iehouam diligitis, pergite malum odisse, neque dubitate quin ille qui vos gratis est tãto fauore amplexus, fortissimè quoque vos tutetur, & ab improbis liberet.*

10 Qui diligitis Iehouam odiò habete malum: custodit animas beneficiariorũ suorum: à manu eorum eripiet eos.

11 *Quod si pijs lux ista beneficentia diuina non statim affulgeat, meminerint sicut semina quæ terræ mandantur non statim emergunt, imò si diutius in ipsis terræ visceribus delituerint: eò latiora germinare: sic etiam satam esse iustitiæ amantibus lucem illam qua futurum est omnino vt omnes rectè vitam instituentes incredibilis cum gaudio perfundantur.*

11 Lux sata est iustis: & lætitia rectis corde.

12 *Gaudete igitur de Iehoua tãto rege isti omnes, & sanctam eius memoriam assiduè celebrate.*

12 Gaudete iusti in Iehoua: & celebrate memoriam sanctitatis eius.

Idem Psalmus nonagesimus septimus, monocolos, carmine heroïco, vt primus.

1 *ECce Deus cœlo in terras demissus ab alto*
Regnaturus adest, venienti applaudito tellus,
Et quâqua immenso latè diffunderis orbe,

Et quæcúmque natas circumfuso insula ponto.
2 *En prodit Deus ipse atra caligine cinctus,*
Aurato inuectus solio, quo bina sedentem
3 *Fulcra tenent: hinc illa suos quà respicit æquus*
Iustitia: inde feros illud quo conterit hostes
Iudicium, latè præeuntibus vndique flammis,
Consumpti quarum pereant ardore superbi.
4 *Tum verò incensis vt fulsit nubibus æther,*
Emoto trepidat nutans sub cardine tellus,
5 *Quinetiam ipsa prius cœlo minitantia saxa,*
Terrarum Domini obtutu liquefacta fatiscunt.
6 *Iustitiam illius cœlorum gloria narrat,*
Et cunctæ hunc gentes Dominum Regemq; fatentur.
Infames igitur pereant quoscunq; vereri
7 *Non pudet, ah, putres vero pro Numine truncos.*
At contra hoc vnum superi ipsi numen adorent.
8 *Audyt hoc lætata Sion, regniq; futuri*
Spe corda erectæ carmen cecinêre puellæ.
9 *Et meritò. Longè si quidem stas omnia suprà*
Terrarum spatia, & superis sublimior ipsis.
10 *Vos ergo æternum vero qui numen amore*
Diligitis vitium exosi, quæcunq; procellæ
Incumbant miseris tempestatesq; malorum,
State hoc inuicti cunctis custode periclis.
11 *Nam velut exoriens dubiæ ad confinia noctis*
Illustrat totas tandem lux aurea terras,
Iniectumq; diu putris sub puluere glebæ
Quod latuit semen tandem se tollit in auras,
12 *Sic iustos sua certa manent rectiq; tenaces*
Gaudia. Vos igitur iusti gaudete, Deiq;
Aeternum sancti nomen celebrate canentes.

Psalmus

Psalmus nonagesimus octauus

διδακτικὸς καὶ προφητικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi nonagesimi octaui.

Psalmus iste idem penè atque nonagesimus sextus, continet repetitam prophetiam de Messiæ regni propagatione, cuius prædictionis Simeon, Zacharias, & Maria mater Domini, in suis illis hymnis celebratissimis, diuinissimi sunt interpretes, eadem penè verba vsurpantes. Sed tria præterea maxima momenti docet hic Psalmus totidem versibus. Vnum, (vers. 1.) quòd in hoc redemptionis opere Christus mediator nullum prorsus sibi συναίτιον habeat: quæ doctrina cælestis resellit Satanicum dogma de sanctorum (quos vocant) meritis, quibuscunque tandem pigmentis illitum obtrudatur, & suam vni Deo sicut in creatione sic in redemptione hominis gloriam tribuit. Alterum (vers. 2.) quod omnis hæc redemptio sita sit in ipsiusmet Christi iustitia, quæ certè nostra nisi imputatione fieri nequit. Tertium vers. 3. quòd hoc omne beneficium ab vna gratuita ipsius Dei pollicitatione ac veritate promanarit.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *CAntate Iehoua nouam cantionem, vt qui nunc totam illam vim suam admirabilem exeruerit, hostibus omnibus sua vnius dextra, suoq; vnius brachio superatis.*

2 *Sed & istud liberationis tantæ, diutissimè quidem à patribus expectata, nunc verò demum exhibita beneficium, quod antea velut in angulo delituit, nunc demum spectãdum quibusuis gentibus prabet, suam videlicet iustitiam: qua donata non modo dam-*

INTERPRETATIO.

1 CAntate Iehouæ cantionem nouam, quia mirabilia fecit: & salutem ipsi suppeditauit dextera sua brachiumq; sanctum eius.

2 Notam fecit Iehoua salutẽ suam in oculis gẽtium patefecit iustitiam suam.

nationem quam iniustitia meretur effugiant, sed etiam coronam iustitiæ promissam sortiantur.

3 *Quòd si quis rogitet quid eum tandem ad tantam beneficentiam impulerit: sciat totum id inde profectum quòd ille fidei vltrò data memor, quæ benignitate ad id pollicendum est impulsus, ea ipsa ad id re ipsa præstandum est adductus, vt ad extremos terrarum fines beneficentissimum sese qui busuis re ipsa præberet.*

3 Recordatus est bonitatis suæ & veritatis suæ erga domum Israelis: viderunt omnes fines terræ salutem Dei nostri.

4 *Agedum ergo terra totius incolæ clangite Deo: hunc personate: huic triumphum cantate, huic psallite.*

4 Iubilate Deo omnis terra resonate & ouate & psallite.

5 *Psallite Iehouæ tum cithararum tum vocum mutuis vicibus.*

5 Psallite Iehouæ cithara & cithara, & voce Psalmi.

6 *Præite Regi isti Iehouæ, sonoris buccinis & tubis.*

6 Buccinis sono tubæ: iubilate coram rege isto Iehoua.

7 *Reboet mare quantumcunque patet, orbisq; adeò vniuersus, omnium orbis incolarum cantibus.*

7 Boet mare & plenitudo eius; orbis & qui habitant in eo.

8 *Flumina ipsa plausibus, & ipsi montes triumphalibus cantibus circumsonent.*

8 Flumina plaudant manu simul montes ouent.

9 *Coram Iehoua mundi gubernacula suscepturo, & iustissimè rectissimèq; populos gubernaturo.*

9 Coram Iehoua: nam venit ad regendam terram: regetorbem iustitia, & populos rectitudine.

Idem Psalmus nonagesimus octauus, monocolos, carmine Trochaico dimetro catale-

catalectico vt vicesimus tertius.

1 NVnc Deum nouo, nouo,
Concinamus carmine,
Mira qui solus gerens,
(Orbe toto conscio
Ipsius potentiæ,
Testibusq; gentibus
Ipsius clementiæ,)
Ipsemet sese sua
Vindicauit dextera,
Ipsemet sese suo
Liberauit brachio.
3 Nempe fœderis memor
Quod, fide quondam data
Israelis posteris
Orbe toto conscio,
Fidus vltro sanciit,
Nunc fidelem se probat
Orbe toto conscio.
4 Eia vos hunc dicite,
Hunc sonate cantibus,
Huic ouate, psallite
Orbis omnes incolæ.

5 Pulset istum barbitos,
Personent hunc nablia,
Concinant hunc guttura,
6 Concrepent hunc buccinæ,
Intonent hunc tympana,
Cuncta qui suo regit
Temperatq; numine.

Hunc fremat spumantibus
7 *Aequor omne fluctibus:*
Orbis hunc canat, canant
Orbis omnes incolæ.

8 *Ipsa plausu flumina,*
Ipsa mugitu graui
Montium cacumina,
Orbis omnis vnico
Gratulentur Principi:
9 *Principi qui legibus*
Cuncta iustis temperans,
Gentibus cunctis semel
Hinc & inde dissitis,
Vsque recti pertinax
Imperabit arbiter.

Psalmus nonagesimus nonus.

παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi nonagesimi noni.

Editus est hic Psalmus, vt populus, quæcunque tempestas ingrueret, ad Deum conuersus, omnibus terriculamentis disceret opponere Messiæ promissionem, de quo perinde disserit atque si iam præsens eo tempore adfuisset, iubens scilicet omnes illum in propositis aspectabilibus symbolis intuen, quod minimè inania essent ipsius præsentissimi fauoris sacramenta, significatu videlicet eadem atque nostra (quum vnus & idem sit Christus siue exhibendus siue exhibitus,) quamuis signis à nostris diuersa. Adiicit præterea grauissimorum trium virorum testimonia, Mosis, Aaronis, & Samuelis, quorum munus fuerit pro populo apud Deum inretcedere, tum vt, quum saluum perstaret illud ipsum sacerdotium à Deo institutum populus certò statueret eundem sibi Deum adfuturum qui illis olim adfuerat: tum vt qui exaudiri vellent, eandem atque illi fidei & pietatis viam insisterent: ad quam doctrimam publicarum

blicarum ac Ecclesiasticarum precum, referendum est quod scribit Paulus 1. Timoth. 2. 1.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 OBsecro verò, cur reformidemus cuiusquam vim aut minas, quum Iehouam ipsum Regem habeamus? fremant igitur populi quantum volent, immò terra ipsa, concussis fundamẽtis, vacillet: satis est quod penes nos est qui cherubimis insidet.

2 Iehova certè in Sione magnitudinem roboris sui satis superq; demonstrauit, & populis omnes, velint nolint, illius potestati subsunt.

3 Non igitur pauori, immo ne dubitationi quidem indulgendum potius igitur Dei praesidio certissimo confisi potens illud & hostibus terrificum nomen eius celebremus. Sanctum enim est, ac proinde veneratione illi summa debetur.

4 An non vero sicut robore summo praditus est Rex ille noster, sic etiã est iuris amans? Itaque nec alia nobis extra illum praesidia quaerenda sunt, nec ambigendum quin omnes à quibus iniustè oppugnamur grauissimis poenis sit affecturus. Nec enim fieri potest vt illorum scelera inulta patiatur, qui est ipsius recti iuris auctor, & ipsam Iustitiae normam posteris Iacobi sanciuit.

INTERPRETATIO.

1 IEhoua regnat, fremant populi: insidet Cherubimis, titubet terra.

2 Iehoua in Sion magnus est & excelsus suprà omnes populos.

3 Confitentur *omnes* nomini tuo magno & terribili *nam* sanctum est.

4 Et robur regis iudicium diligit: tu firmasti rectitudinem: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.

5 *Agite igitur, Iehouam Deum illum nostrum extollite, & apud ipsius scabellum prostrati adorate. Sanctus enim est.*

5 Exaltate Iehouam Deum nostrum, & adorate apud scabellum pedum eius: nam sanctus est.

6 *Hanc ob causam olim Mosen & Aronem sibi consecrauit, & Samuel quoque inter eos stetit, qui pro populo functi sunt internuntij munere: quod quum obirent solicitè Deum inuocantes, sunt à Iehoua exauditi. Cur igitur dubitemus quũ idem illud sacerdotiũ vigeat, quin illorum exemplũ sequuti, nũc quoq; exaudiamur?*

6 Moses & Aaron *steterunt* inter Sacerdotes: & Samuel inter inuocantes nomen eius: clamarunt ad Iehouam & ipse exaudiuit eos.

7 *Sed & illis olim patribus nostris ex columna nubis loquutus est, quibus, quòd mandata ipsius obseruarent, ritus sui diuini cultus perscripsit.*

7 In columna nubis locutus est ad eos Deus: custodiuerunt testimonia eius, & statuta dedit eis.

8 *Et tu illos, Iehoua Deus noster, exaudiens, non semel eorum precibus pacari te sustinuisti, quamuis inulta malorum quorundam scelera minimè relinqueres.*

8 Iehoua Deus noster, tu exaudiuisti eos: Deus propicius fuisti illis: vltor tamen super opera eorum.

9 *Itaque receptis animis Iehouam Deum nostrum laudibus extollite, & apud sanctum ipsius montem adorate. Sanctus enim est Iehoua Deus noster.*

9 Exaltate Iehouam Deum nostrum: & adorate ad mõtem sanctitatis eius: quia sanctus Iehoua Deus noster.

Idem Psalmus nonagesimus nonus, dicolos, distrophos. Duo primi versus sunt Iambici trimetri acatalectici, tertius Iambicus dimeter acatalecticus.

1 *REgnat Deus, populi fremite feroculi:*
Ecce Deus inquam Cherubimis insidet,

Tellus

Tellus mouetor funditus.
1 *Deus Sionem possidet suam potens,*
Cunctisq́, largè quamlibet sublimibus
Stat gentibus sublimior,
3 *Tuum ergo nomen, ô Deus ter maximum,*
Terribile nomen, nomen hoc sanctissimum
Fateantur omnes supplices.
4 *Tu nanque iure cuncta non vi dirigis,*
Tu cuncta recti ad regulam exigis, tuo
Quod in Israele comprobas.
5 *Eia Deum exaltate nostrum, & ipsius.*
Orate strati aurata apud subsellia,
Nam sanctius hic verè est Deus.
6 *Moses sacerdos huic & Aron seruijt,*
Hunc inuocauit Samuel, quorum preces
Exaudijt clamantium,
7 *Ex nubis illos alloquens vmbraculo,*
Ipsi vt vicissim iura ab illo tradita
Custodiere seduli.
8 *Tu noster illos clamitantes, ô Deus,*
Audisti, & ipsa in vltione te patres
Sensere facilem parcere.
9 *Eia Deum exaltate nostrum, & ipsius*
Montem ad sacratum supplices precamini,
Nam sanctius hic verè est Deus.

Psalmus centesimus εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi.

Hebraica inscriptio indicat hunc Psalmum, breuissimum quidem, sed & orationis suauitate & rerum grauitate excellentem, idcirco scriptum fuisse vt in sacrificiis eucharisticis decantaretur. Commemorat autem duo maxima beneficia, vnum quidem creationis, quod est omnium hominum cõm-

mune, alterum gratuitæ adoptionis cum perpetua protectione coniunctæ: quæ inexplicabilis beneficentia propria est Ecclesiæ, quæ propterea opus Dei dicitur.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *CLangite tubis Iehouæ, omnes terrarum incolæ.*

2 *Adeste hilares debitum Iehouæ cultum præstituri, sistite vos in ipsius conspectu preces ipsi oblaturi.*

3 *Agnoscite hunc dominum Iehouam Deum esse. Hic est qui & nos condidit, quum à nobis ipsis non extiterimus: &, quod alterum est eius in nos peculiare & longè maximum omnium beneficium, hic est cuius benignitate sumus populus ipsi consecratus, & oues pascuorum ipsius.*

4 *Adeste igitur, inquam, ad ipsius adu fores ipsum celebraturi, introite in ipsius atria laudes eius cantaturi: collaudate illum, & nomen ipsius prædicate.*

5 *Bonus enim est Iehoua, infinitè misericors, & perpetuus ætatibus promissorum memor.*

INTERPRETATIO.

1 IVbilate Iehouæ omnis terra.

2 Seruite Iehouæ cum lætitia: venite in conspectum eius cum ouatione.

3 Cognoscite quòd Iehoua ipse Deus est: ipse fecit nos & non ipsi nos. populus eius *sumus* & grex pascuorum eius.

4 Ingredimini portas eius cum celebratione: atria eius cum laude celebrate eum & benedicite nomini eius.

5 Quoniam bonus est Iehoua: in seculum misericordia eius: & vsque in generationem & generationem *viget* veritas eius.

Idem Psalmus centesimus monocolos, carmine trochaïco dimetro catalectico, vt vicesimus tertius.

1 *EIa summi gloriam*
Prædicate Numinis

Orbis

Orbis omnes incolæ:
Numen istud alacres
Vnicum veremini.
Numen istud supplices
Vnicum precamini,

3 *Dijs remotis cæteris*
Hunc Deum fatemini.
Nemo nánque se omnium
Condidit mortalium:
Noster hic est conditor,
Nos oues eius sacris
Destinatæ pascuis.

4 *Ergo ad eius limina*
Personate iubilis:
Ergo ad eius atria
Personate cantibus
Ergo iustis laudibus
Nomen eius tollite,
Nomen eius dicite.

5 *Nánque se bonum Deus,*
Atque promptum parcere
Vsque & vsque comprobat,
Vtq; fracta corruat
Tota mundi machina,
Posterorum posteris
Stabit eius veritas.

Psalmus centesimus primus διδακτικός πολιτικός

Argumentum & vsus Psalmi centesimi primi.

Dauid accepta regni promissione, non de tanto sibi honore

delato sed de onere potius tam graui sibi imponendo assidue cogitās, &, vt probabile est, Saulis errata & regni totius perturbatum ordinem intuens, hoc Psalmo tanquam solemni voto tum sese tum posteros suos adstringere coram Deo voluit, in quo breuitate certè inimitabili regium officium omne μανικῶς quidem sed accuratissimè explicatur. Primum igitur omne regium munus ad duas præcipuas virtutes reuocat, nempe clementiam & iudicium: quarum illa facit vt amentur potius Reges quàm metuantur: istud verò ex vsu scripturæ declarat seueritatem qua contumaces coercentur, & illi mollitiei opponitur quæ legum vincula non modo relaxat sed etiam dissoluit. Neque verò de his virtutibus philosophorum more disserit, sed vtranq; vult esse Deo consecratam, ac proinde ad leges à Deo ipso præscriptas accommodari. Deinde ad vsum istarum virtutum accedens, testatur sese promissi regni habenas non esse arrepturum, sed ex ipsius Dei tradentis manu accepturum, (quod etiam postea sanctissimè præstitit) primùm de seipso ad hoc præstandum munus comparando, posteà de priuata familia rectè instituenda, ac tertio demum loco de ipsa regij muneris functione tractat. Itaq; vers. 2. rectam administrationis rationem à semetipso inchoans, & iis valde dissimilis qui nihil minus agunt quàm quod aliis præcipiunt, vouet sese quàm diligentissimè curaturum vt quæ sit recta via intelligat, memor videlicet verborum Domini ad Iosuen Ios. 1. 7. & 8. & vt ab illa diuinitus demonstrata via nusquam deflectens, ex priuatæ familiæ sua recta gubernatione discat regis munere, licuti par est, defungi. Postea de publica ipsa functione disserens & rursum à seipso incipiens, pollicetur se neque vltro praua ex seipso capturum consilia, neque mala sequuturum exempla: cuiusmodi infinita quum soleant vel ipsi sibi comminisci principes facultatem explendarum suarum cupiditatum nacti, vel ab iis accepta qui latus ipsorum cingunt cupidissimè arripere, adiicit sese summo studio corruptis moribus præditos homines vitaturum. Denique quum aliorum plurimorum ministerium principes adhibere necessario cogantur quorum & oculis multa videant, & auribus audiant, & consiliis indigeant, promittit sese nullum quem mala conscientia præditum esse cognouerit admissurum delatores, & calumniatores, humani generis pestem, capitali etiam pœna affecturum: superbos & ambitiosos nullo modo tolleraturum: fidei & integritatis spectate hominum

studiosè

studiosè perquisitorum consilio & opera, vel nunquam adscitis vel procul fugatis versutis & callidis, vsurum. Postremò sese non minus seuerum perditorum hominum iudicem, quàm clementem suorum defensorem & alumnum futurum pollicitus, finem vltimum ac præcipuum omnis ciuilis administrationis à philosophis ignoratum ostendit, nempe vt purè ac syncerè Iehoua in ciuitate sua id est in Ecclesia, colatur.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Rex ego abs te, Iehouà, inaudito beneficentiæ exẽplo designatus, hoc tibi carmen consecro, de clementia simul & iudicio, quibus in regni administratione præstãdis meipsum coram te obstringo.*	1 Clementiam & iudicium cantabo: & tibi, Iehoua, psallam.
2 *In primis igitur tantisper dum abs te quem nunquam anteuertere constitui, ipsis regni gubernaculis admouear, omnem operam dabo vt recti viã à te præscriptam simul & norim optimè, & syncerè domi meæ teneam.*	2 Gnauiter studebo viæ integræ, quando venies ad me: ambulabo in integritate cordis mei in medio domus meæ.
3 *Nunquam ipse mihi peruersum quidpiam faciẽdum proponã, moribus corruptis præditos auersabor, nec eiusmodi quempiam mihi adiungam.*	3 Non statuam coram oculis meis rem malam: facta deflectentium *à vijs tuis* odero: *nullus eorum* adhærebit mihi.
4 *Prauorum consiliorum auctores procul summouebo, nec vnquam amplectar quod malum esse cognouero.*	4 Cor prauum recedet à me: & malos non admittam.
5 *Calumniatores & susurrones malè perdam, fastuosos & ambitiosos non feram.*	5 Detrahentes clam proximo suo, disperdam: elatos oculis & latos corde *ambitiosos*, ferre non potero.

6 *Veritatis amantes homines vndique perquisitos mihi cõtubernales adsciscam: nec alios quàm spectata fidei homines negotijs gerendis adhibebo.*

7 *Versutos domo extrudam, neque fallaciter loquentes tolerabo.*

8 *Sedulò deniquè, nullâque interposita mora, quoscunq; improbos cognouero, iustis pœnis afficiam, & sacram Iehoua ciuitatem ab omnibus sceleratis repurgabo.*

6 Oculi mei *tendent* ad veraces in terra, vt habitẽt mecum: incedentes in via integra ministrabunt mihi.

7 Non habitabunt intra domum meam faciẽtes fraudẽ: qui loquitur dolos non stabilietur coram oculis meis.

8 Mane perdam omnes impios terræ: vt excindam ex vrbe Iehouæ omnes operam dantes iniquitati.

Idem Psalmus centesimus primus, monocolos, versu heroïco, vt octauus.

1 FErt animus, regni fuero quum sede receptus,
Quas mihi clementer q̃, simul iustè q̃, tuendi
Præscripsi imperij leges, te psallere teste,
Summe Deus, testis iudex q̃, futurè canenti.

2 Ipse quidem, dum me promissi munere regni
Aduenies dignêre, meos componere mores
Prouidus instituì, rectæ quâ regula vitæ
Nos regit, incedens sincerus & integer: vlla
Ne sceleris nostras contagio polluat ædes.

3 Mox inde egressus, solio q̃, locatus in alto,
Absit vt illa sequar damnanda exempla malorum:
Illorum potius mores sceleratq̃, facta
Aduersabor ego totus, longè q̃, repellam.

4 Quisquis eris prauum quidquam suadere paratus,
Ito procul, siquidem genus hoc hominũ execror omne:

5 Te

5 *Te verò falsis absentem rodere dictis*
Ausum, commeritis excindam pessime pœnis,
Elatos oculis nullos, nec corde feroces
6 *Ferre potens: Sed enim veri quæscunq; tenaces*
Comperiam, seruabo oculis: virtutis amantes
Sedulus exquiram veræ, adsciscamq; repertos.
7 *Fraudibus addictos, fallaclue ore loquutos,*
Sollicitus pellam, mea ne vel limina tangant.
8 *Denique prima mihi hæc & maxima cura futura est,*
Omnis vt expertem labis, puramq; sceleftis
Hanc statuam, euersis, excisisq; omnibus, vrbem.

Psalmus centesimus secundus

παραμυθητικός.

Psalmum istum Hebraica inscriptio innuit, & multò apertius declarat ipse contextus ac præsertim versic. 14. & 15. ad ea tempora omnium calamitosissima pertinere quibus captiuitas illa Babylonica septuaginta annorum finiebatur, vt mihi quidem videatur illi excellenti precationi quasi ex aduerso respondere, quæ capite Danielis nono continetur. Quatuor sunt autem eius partes. Vna à vers. 1. ad ipsum vers. 11. luctuosissimum gemitum describit Ecclesiæ cadaueri potius quàm viuo corpori simili (sicut etiam Ezechieli repræsentatur cap. 37.) adhibitis similitudinibus tam expressis & tam accommodatis vt meo iudicio, nullum huius argumenti scriptum extet cum isto comparandum. Altera pars à vers. 12. ad ipsum vers. 15. continet firmissimæ consolationis argumenta, desumpta partim ab ipsius Dei constantissima natura, partim ab oraculo per os Ieremiæ & aliorum Prophetarum edito, de ciuitatis instauratione. Tertia pars à vers. 16. ad ipsum 23. est illius secundæ amplificatio, in qua Prophetico spiritu amplitudo ac dignitas posterioris templi, spiritualis videlicet & æterni, cuius illud lapideum Typus fuit, id est Ecclesiæ per vniuersum orbem sub Christo capite colligendæ magnificentissimè describitur. Quartâ denique parte à 24. vers. ad finem Psalmi, Ecclesia victrix triumphum canit.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *EXaudi preces meas Iehoua, nec obstet quidquã quominus mei clamores ad te vsque perueniant.*	1 IEhoua audi orationem meam & clamor meus ad te veniat.
2 *Ne faciem tuam à me tam miseris temporibus auerte, sed præbe potius aurem & vociferanti celeriter responde.*	2 Ne abscondas faciem tuã à me, in die *quo* clamo, festina & responde mihi.
3 *Nam ecce vita mea quasi infumũ abijt, & exuccus haud secus atque lapis foco substratus, omni assumpto vigore exarui.*	3 Quia consumpti sunt, quasi fumus, dies mei & ossa mea quasi focus exusta sunt.
4 *Cor meum tanquam herba falce amputata emarcuit, cibumque omnem fastidit.*	4 Percussum est tanquã herba & exaruit cor meum adeo vt oblitus sim comedere panem meum.
5 *Ossa præ mœrore tabefacta carni adhærent.*	5 A voce gemitus mei adhæserunt ossa carni meæ.
6 *Ononocrotalo per deserta mugienti, & buboni per solitudines gementi similis euasi.*	6 Similis factus sum onocrotalo deserti: euasi quasi bubo solitudinum.
7 *Noctes, vt auicula sub tecto cõpare suo viduata, vel sublatis è nido pullis priuata, peruigil transigo.*	7 Peruigilo, & factus sum quasi passer solitarius supra tectum.
8 *Quinetiam misero mihi insultent inimici, & intolerabili cum fastu si quem volunt execrari, calamitatis meæ exemplo abutuntur.*	8 Quotidie ptobris afficiunt me inimici mei: & gloriosi mei *qui se iactitant aduersus me* per me iurant.
9 *Itaque humi prostratus haud scio pane vescar an puluere, & potum lacrymis tempero.*	9 Itaque puluerem tanquam panem comedi: & potum meum cum fletu miscui.
10 *Quid enim aliud te mihi tam grauiter indignante fecerim, vt quo me idcerco videri pos-*	10 Propter iram tuam & indignationem tuam, quia extulisti me & proiecisti me.

ſi extuliſſe vt tanto grauiore ruina concideremꝰ?

11 Itaque vt paucis omnia complectar, tanquam vmbra occidente ſole inclinans euaneſco, & inſtar fœni exaresco.

12 At tu, Iehoua, cuius & virtute nihilominus & promiſſu innitor, idem perpetuo perſtas, tuiq; memoriam quam apud nos depoſuiſti ſempiternam eſſe oportet.

13 Itaque poſtquam Sionis miſeriarum tot annos velut otioſus ſpectator fueris, conſurgeſ ſat ſcio, illius miſerius, quum preſtitutum à te tempus aduenerit.

14 Nec deerunt tibi ſerui qui erga ipſius ruderа optimè afficiantur, & eius in pulueres redacta miſereantur.

15 Imò tantum abeſt vt proſtrata ſemper iaceat, vt è contrario nomen tuum, Iehoua, ſint reuerituræ gentes à te prioribus ſeculis aliena, & omnes orbis terrarū reges tuam maieſtatem ſint celebraturi.

16 Eo quòd tu, Iehoua, cuius proprie hoc eſt opus, Sionem inſtaurariꝰ, & multò quàm vnquam antea glorioſiorem te ipſum ibi oſtentariꝰ.

17 Minimè videlicet ſpretis miſerrima tua gentis precibus, ſed potius reipſa exauditu.

18 Edes enim opus perpetuæ memoriæ ſcriptiꝰ celebrandum,

me.

11 Dies mei ſunt tanquã vmbra inclinata: & ego tanquam herba exarui.

12 At tu Iehoua in perpetuũ habitas: & memoria tui eſt in generationem & generationem.

13 Itaque tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit ſtatutum tempus.

14 Nam ſerui tui, lapidibus eius & pulueri eius fauebunt.

15 Et timebunt gentes nomen Iehouæ: & omnes reges terræ gloriam tuam.

16 Eò quòd ædificauerit Iehoua Sion, & viſus fuerit in gloria ſua.

17 Et reſpexerit ad orationẽ afflictorum, & non contempſerit orationem eorum.

18 Scribetur hoc ad generationem poſteram & popu-

nouúsque populus à te creatus laudes tuas decantabit.

19 Quoniã ex illo altissimo sanctissimoq; tuo solio, è cælo videlicet, oculos in terram adverterit,

20 Captiuorum gemitus exauditurus, & eos de quorum vita desperabatur vinculis exoluturus.

21.22 Vt rursum in Sionem nomen tuum, Iehoua, Ieroſolymus, inquam, laus tua populis ac regnis ad tui cultum concurrentibus prædicetur.

23 At tu interea, fateor, dũ tantum istud bonum expectatur, nos sæuè grauiter afflixit, & veluti filum vitæ nostræ præcidit.

24 Sed in hac consternatione, Deus, ad te perfugi, teq; diserte verbis sum deprecatus ne me immaturè, nec dũ decurso vitæ meæ curriculo, è medio tolleres.

25 Et quidni certò futurumquod nobis promisisti confiderem? nec enim es nostri similis qui tempore immutamur, sed in omnia sæcula perseueras.

26 Et terra quidem à te iampridem quum illam conderes firmissimè fuit stabilita, & cælorum moles ad hunc vsque diẽ inconcussa, tuis vnius manibus est constructa.

27 Sed istorum firmitas præ tua immutabilitate nihil est. Nam

lus creatus laudabit Deũ.

19 Quòd prospexerit ex excelso sanctitatis suæ Iehoua è cælis in terram respexerit.

20 Vt audiret gemitum vinctorum, & exolueret filios mortis.

21 Vt annuncient in Sion nomen Iehouæ: & laudem eius in Ieruſalem.

22 Quum colligentur populi simul: & regna, vt seruiant Iehouæ.

23 Afflixit in via robur meũ: meum, præcidit dies meos.

24 Dixi, Deus mi, ne facito me euanescere in dimidio dierum meorum.

25 Olim terram fundasti: & opus manuum tuarum sunt cæli.

26 Ipsa peribũt & tu permanebis: & omnia quasi vestimentum veterascent: quasi vestẽ mutabis ea, & mutabuntur.

27 Ipsa peribunt, & tu permanebis: & omnia quasi vesti-

illa quoque sensim desoiunt, tu verò permanes. Sensim, inquam, illa omnia quantumuis firma videantur, vsu ipso sicut vestimenta solent, atteruntur, donec tandem abt te firma ista quam nunc cernimus, quasi veste exuta immutentur.

27 At tu idem es prorsus, nullis temporum spatijs obnoxius.

28 Itaque perenne quoque futurum est tuum illud imperium quod tibi inter tuos erexisti: & illa seruorum tuorum sobles quibuscum aternum fœdus iniuisti, quantumuis multis asperrimisque tempestatibus agitata, tua tamē voluntate simulq; potestate immutabili suffulta, in aternū perseuerabit.

vestimentum veterascent, quasi vestem mutabis ea & mutabuntur.

27 At tu idem es: & anni tui non deficient.

28 Filij seruorum tuorum habitabunt & semen eorum coram te stabilietur.

Idem Psalmus centesimus secundus, monocolos versu heroïco, vt octauus.

1 SVpplicis exaudi voces, clamoribus aurem
2 Attentus præbeto meis: nec rebus in arctis
Fundentem tristes, Deus, auersare querelas,
Sed facilis promptusq; dato responsa vocanti,
3 Nam veluti tenues vapor euanescit in auras,
Sic perij excoctis torrenti ardore medullis.
4 Et ceu secta iacent detonsis gramina pratis,
Sic dapis immemori penitus cor tabuit omne:
5 Aridaq; exsuctis pellis vix ossibus hæret,
Dum gemo, bubonis feralia carmina more
Ingeminans, & cuncta vigil clamoribus implens,

6 *Dira velut feros exercet noctua cantus,*
7 *Sine gemit latitans viduatus compare passer.*
Ecquid enim potius faciam nocteſq́ dieſq́
8 *Immani infelix heu vexatus ab hoſte,*
Vſurpante meum rabida in conuicia nomen?
9 *Ergo mihi puluis panis vice lambitur: ergo*
Forte bibens, largo mea tempero pocula fletu,
10.11 *In me nempe tuæ tantæ mihi conſcius iræ,*
Quæ prius elatum ſic me deiecit ab alto
Præcipitem, noctis properata vt carpar ab vmbra,
Succiſis quales arent radicibus herbæ.
12 *At tu perpetuò firmus conſtanſq́ ſuprema*
Arce, Deus, reſides: te cuncta fatentur eundem
13 *Sæcula. Conſurges igitur, charæque Sioni*
Mitis eris. Venêre etenim prædicta prophetis
Aurea nunc tandem felici tempora lapſu:
14 *Irrita nec certè fuerint pia vota tuorum,*
Rudera cum lacrymis miſerantum, vrbiſq́ cadauer.
15 *Imò tempus erit veriti tua numina reges*
Quum tibi ſacra ferent quâqua diffunditur orbis
Immenſus, totoq́ colent te corpore proni.
16.17 *Scilicet, audita miſerorum voce precantum,*
Inſtaurata tibi quum mœnia ſacra reſurgent,
Sublimiſq́ tua rurſum ſpectaberis arce:
18 *Quæ memores olim noſtri benefacta nepotes*
Scilicet æternis mandabunt ſingula chartis,
Atque renaſcentum celebrabit gratæ propago.
19.20 *Sancti vbi deſpiciens cœli de vertice terras,*
Vinctorum audieris gemitus, qui morte recepti
21.22 *Ex media, media ſacræ tibi in vrbe Sionis,*
carminibus meritæ perſoluent laudis honores,
Concurſu magno populorum, ipſaq́ potentum

Seſe

Sese vltrò regum tibi subijciente caterua.
23 *Ille tamen interea, fractis quem viribus eheu*
Abripis, exiguo claudens mea tempora gyro,
24 *Has finito tristes effundere, quæso, querelas.*
Ah ne me ante diem properata tollito morte
Mi Deus, æternos duras qui firmus in annos.
25 *Tu sola terrarum, terris prior ipse creatis,*
Pondere fulta suo: celsi laquearia cœli
26 *Tornasti ipse manu, quamuis firmissima tandem*
Dilapsura tamen, vestem ceu deterit vsus,
27 *Quum tu idem perstes nullo mutabilis æuo.*
28 *Sperate ergo boni, quorum est seruire voluptas*
Vna Deo. Nam vos itidem vestriq; nepotes
AEternis stabiles firmiq; manebitis annis.

Psalmus centesimus tertius

εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tertij

Scripsit hunc Psalmum Dauid quasi extra sese in cælos vsque abreptus, in quo nō seipsum modò sed ipsos quoq; beatos spiritus ad concinendas Deo laudes excitat, argumentum sumens præcipuum ab illo ingenti & inexplicabili beneficio Dei quo Ecclesiam suam affecit tum recta iustitiæ via, tum gratuita peccatorum remissione illi patefacta: minimè quoq; prætermittens eiusdem in iis quæ ad præsentem vitam spectant begnissimè præbendis inexhaustam liberalitatem, quæ beneficia elegantissimis similitudinibus & suauissimis sententiis exornat, adiecta etiam maiestatis illius diuinæ magnificentissima descriptione.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *AGedum animule mi, & intima mea viscera, totis viribus Deo gratias*

INTERPRETATIO.

1 BEnedic anima mea Iehouæ: & omnia interiora mea nomini san-

agite, & ſanctum eius nomen prædicate.

2 *Celebra Iehouam animule mi, teq; omnium beneficiorum eius memorem eſſe demonſtra.*

3 *Hic enim vnus eſt qui tuas omnes iniquitates pro inenarrabili clementia ſua tibi condonat, atq; adeò medici partes obiens, lethalium vulnerũ tibi à peccatis inflictorum ſanie abſterſa, ipſis etiam morbis, id eſt vitijs tibi ingenitis medetur,*

4 *Hic eſt qui te morti addictum, ſibiq; quaſi propinquitatis iure redemptum benficijs ſingularis bonitatis ac commiſerationis teſtibus exornat.*

5 *Hic eſt qui tibi quo veſcaris cumulatiſſimè ſuppeditare, teq; nouo ſubinde indito vigore velut aquilam, animum viuaciſſimam, renouare conſueuit.*

6 *Hic eſt qui ſupplices ad ſe cõfugientes promiſſorum memor tutatur, & in eos qui iniuriã alijs inferunt ſeuerè animaduertit.*

7 *Hic eſt qui Moſi viam qua inſiſteremus patefecit, totq; miraculis edito Iſraëlem conſeruauit.*

8 *Hic eſt deniq; Iehoua ille ſuorum miſeriis affici facillimus, ad parcẽdum promptiſſimus, ad iram tardiſſimus, bonitatis denique & benignitatis plenus.*

ctio eius.

2 Benedic anima mea Iehouæ: & ne obliuiſcere vllorum beneficiorum eius.

3 Qui propicius eſt omnibus iniquitatibus tuæ: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

4 Qui redimit è ſepulchro vitam tuam: qui te coronat clementia & miſerationibus.

5 Qui ſaturat bono maxillã tuam: *à quo* renouatur ſicut aquilæ iuuentas tua.

6 Faciens iuſtitias Iehoua: & iudicia omnibus fraude oppreſſis.

7 Notas fecit Moſi vias ſuas filiis Iſrael facta ſua.

8 Miſericors & clemens Iehoua: tardus ira, & multus bonitate.

9 Non

9 *Placabilis nimirum, & iniuriarum minimè tenax.*

10 *Minimè quidem certè nobiscum ita sese gessit vt peccata nostra merebantur, neque pœnas sceleribus nostris pares exegit.*

11 *Immò quanto immensius est cælũ terra tum altitudine tum amplitudine, tanto ipsius bonitas superat, & velut absorbet eorum peccata qui pœnitentia ducti ipsum reuerẽtur.*

12 *Quantum Oriens ab Occidente distat, tantum à nobis peccata nostra summouit.*

13 *Quanto & quàm propenso amore afficiuntur patres erga liberos in aliqua miseria versantes, tanta sui timentes benevolentia Iehoua complectitur*

14 *Nouit enim fictiles nos esse testas, nouit nos esse massam ex puluere conflatam.*

15 *Nam, quaso, cui potius rei quàm plantulæ vel flosculo florentium etiam hominum vitam similem dixeris?*

16 *Siquidem vbi vel aura noxia minimus flatus hunc florem attigerit, perit, vsque adeò vt ne locum quidẽ in quo paulò ante vigebat facilè internoscas.*

17 *Tam est igitur suapte natura fugax hominum vita: sed miserabilem hanc conditionem*

9 Non in perpetuum rixari solitus, nec in seculum *iram* custodire *obseruabit.*

10 Non secundũ peccata nostra fecit nobis neque secũdum iniquitates nostras rependit super nos.

11 Quia secundum altitudinem cælorum super terrã, prævalet bonitas eius super timentes eum.

12 Secundum distantiam orientis ab occasu, procul remouit à nobis peccata nostra

13 Sicut misericors est pater erga filios, misericors est Iehoua erga timentes se.

14 Quia ipse cognoscit figmentum nostrum: recordatur quòd puluis sumus.

15 Hominis dies *sunt* quasi herba, quasi flos agri sic floret.

16 Quoniam ventus transit super eum, & non erit: & nõ cognoscet eum amplius locus eius.

17 At bonitas Iehouæ à seculo & vsque in seculum super timentes eum: iustitia

mendat Iehoua bonitas erga ſui timẽtes ſempiterna, & affectus ille ad cõſeruandos ſuos propenſus, qui ad illorum otiã nepotes porrigitur.

18 *Eorum nimirum qui fœdus ipſius cuſtodiunt, & obſeruãdis ritibus ab eo traditis ſedulò incumbunt.*

19 *Iehoua denig, vt etiam omnia iſta ipſius in nos beneficia omittam, quo non honore dignus eſt, cuius nimirum ſolium in cælis poſitum eſt, & cuius in res omnes ſine exceptione dominium protenditur.*

20 *Agite igitur mecum potentes illi ſpiritus, ipſius apparitores, & ſeduli voluntatis ipſius ſimulatq, loquentem ipſum audiſtis adminiſtri, laudes Iehouæ celebrate.*

21 *Laudes, inquam, Iehouæ celebrate potentes obſequentiſſimorum ipſius militum copiæ.*

22 *Laudate Iehouã omnia ipſius opera, quibuſcunq, ipſius imperij regionibus ſita. Tu denique animule mi, Dei laudem prædicato.*

eius ſuper filios filiorum.

18 Iis qui cuſtodiunt fœdus eius, & memores ſunt ſtatutorum eius: vt faciant ea.

19 Iehoua in cælis ſtabiliuit thronum ſuum: & regnum eius *eſt* cum omni dominatione.

20 Benedicite Iehouæ angeli eius potentes virtute qui facitis verbum eius obtemperando voci verbi eius.

21 Benedicite Iehouę omnes exercitus eius: miniſtri eius qui facitis beneplacitum eius.

22 Benedicite Iehouę omnia opera eius: in omnibus locis dominationis eius: Benedic anima mea Iehouæ.

Idem Pſalmus centeſimus tertius, monocolos, Iambico dimetro acatalectico, vt decimus.

1 *EIa animula rerum canamus principem,*
Numen canamus intimum intus corculum:

2 *Canamus*

2 Canamus, inquam, animula rerum principem.
Eiusq; larga prædicemus munera.
3 Qui tot pepercit sceleribus clemens tuis.
Tuasq; cunctas curat ægritudines.
4 Vitam sepulchri qui specu tuam eruit,
Qui te benignus tot coronauit bonis.
5 In ora largus qui tibi dapes ingerit,
Aquilæ senectam præbet ipsam qui tibi,
6 Iura innocentum qui tuetur fortiter,
Seuerus idem fraudis vltor perfidæ.
7 Qui iura Mosen docuit, & recti vias,
Res Israële teste qui tot ædidit.
8 Clementis vsque plenus indulgentiæ,
Bonitate abundans, tardus irasci Deus.
9 Offensionum haud persequutor pertinax,
Iráue iustas nescius deponere.
10 Hinc ille nobis asper handquaquam fuit,
Delicta dignis nostra pœnis vindicans.
11 Quanto altius cœlum solo, tanto ipsius
Bonitas, sui exuperat timentum crimina.
12 Quantum remotus ab Oriente est Occidens,
Tantum ille scelera cuncta summouet.
13 Qualis paternus animus est in liberos,
Talis timentes hic sui complectitur.
14 Nanq; ipse nostrum nouit ortus omnium,
Teniuiq; meminit nos fatos ex puluere.
15 Ergo virentis oleris instar est homo,
Violæue mille floridæ coloribus,
16 Quam fortè Boreas attigit si frigidus
Perit, nec eius cernitur vestigium.
17 Bonitas at ista perstat æqua numinis,
Sui in timentes, ac timentum posteros.

18 *Qui cuncta pacti sedulò custodiunt*
Oblita nunquam sancta iura fœderis.
19 *Cœlestis hic est regiæ Rex denique,*
Cui cuncta parent summa, parent infima.
20 *Laudate numen hoc potentes spiritus,*
Parêre proni illi iubenti spiritus.
21 *Laudate numen istud omnes syderum*
Ductore sub eo militantes copiæ.
22 *Laudate Numen, cuncta facta Numinis,*
Hunc tu quoq; animula cane, & vnum prædica.

Psalmus centesimus quartus

εὐχαριστικός.

Inter hunc Psalmum & superiorem hoc vnum interest, quòd in illo specialia Dei in Ecclesiam, in isto verò vniuersalia eiusdem in vniuersum humanum genus beneficia recensentur, creatio videlicet mundi & singularium eius partium, & illius gubernatio in hominum gratiam: vtraque tanto verborum splendore, tantaque sententiarum grauitate explicata, vt hoc diuino poemate nihil neque ornatius neq; doctius dici posse videatur.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Celebra Iehouam mi anime. Tu certè Iehoua Deus mi magnificus es, & haberis, decus & gloriam qua ornatus incedis, in singulis tuis operibus ostentans.*	1 Benedic anima mea Iehouæ: Iehoua Deus mi magnificus es valde: gloriam & decorem induisti.
2 *Totus enim refulget Iehoua luce quasi splẽdidissima veste amictus: cælis, veluti tentorio omnium amplissimo ac ornatissimo, circunquaq; expansis.*	2 Amictus est *Iehoua* luce sicut vestimento: extendisti cælo quasi velum.
3 *Hic ipse sibi cœnaculum sola*	3 Cõtignauit in aquis cœnacula

sua virtute fultum in ipsis aquis contignauit: hic nubibus quasi curru inuehitur: hic vẽtorum alis gestatus inambulat.

Hic ventis haud secus quàm Angelis suis, & fulguribus tãquam ministris suis vtitur.

Tu quoque terra molem suis basibus immotam permansuram, arte simul ac vi inenarrabili fulciuisti.

Et illam quidem initio totam aquarum voragine ipsos quoque montium vertices superante operueras.

Sed simulatque illas increpasti, diffugerunt, & horrifico tonitrui, sono perterrefactæ, præcipites recesserunt.

Tunc igitur montes sese sursum extulerunt, & valles contrà in locum sibi attributum concedentes subsiderunt.

Sed & aquas ipsas nunquam ad operiendum vniuersæ terræ superficiem redituras, suis finibus conclusisti.

Fontes tamen & ex ijsdẽ coniunctis fluuij inter montium conualles decursuri te iubente emerserunt.

Ex quibus videlicet bibant pecora, & onagri, cæteraque feræ sitim leuent.

Apud quos etiam canora volucres commorantes, & ramis insidentes, suum quæque cantum edant.

Altera autem ex parte, cali-

cula sua, posuit nubes vehiculum suum: ambulat super alas venti.

4 Facit Angelos suos spiritus: ministros suos ignem flammantem,

5 Fundauit terram super bases suas, *quæ* non mouebitur in seculum & vsque.

6 Abysso sicut vestimento operueras eam, super montes stabant aquæ.

7 Sed ab increpatione tua fugerunt: à voce tonitrui tui celeriter abierunt,

8 Ascẽderunt montes & descenderunt valles ad locum quem fundaueras ipsis.

9 Terminum posuisti *quem* non transibunt: nec reuertentur ad operiendam terram,

10 Emittis fontes in torrẽtes *qui* inter montes decurrũt

11 *Inde* bibunt omnes bestiæ agrorum, & frangunt onagri sitim suam.

12 Iuxta eos habitant volucres cæli, & è medio ramorum dant vocem.

13 Irrigat montes è cænacu-

tus videlicet, effusa ex capaculis tua pluuia, montes irrigas, eoq; tuo beneficio fit vt terra, quasi potu ad satietatem hausto, spem agricolæ non fallat.

14 *Eadem illa vis gramen & herbas multiplices alendis bestijs ad vsum hominum necessarijs, omne denique alimenti genus è terra visceribus elicit.*

15 *Vinum videlicet quo vires hominis recreentur, oleum cuius vnguine facies eniteat, sed & panem quo ipsum cor hominis sustentetur.*

16 *Ipsa quinetiam arbores Libani quas adeò proceras cernimus vt illas Deus sua ipsius manu penè seuisse & excoluisse videatur, quòd tantopere excreuerint, humori quem illis Iehoua copiosissimum cælitus subministrauit, acceptũ ferant oportet.*

17 *Ibi verò nidulantur aues, ibi ciconia in summis abietibus sibi domicilium extruit.*

18 *Altissimorum autem montium vertices quidem ibicibus, rupes verò cuniculis latebras præbent.*

19 *Idem Lunam certis temporũ spatijs speciem mutaturam, & solem quoque definitis occasus finibus creauit.*

20 *Is simulac occidit, superueniunt noctis tenebræ, & tum demum rapaces feræ ex suis latibulis proreptant.*

lis suis: è fructu operum ipsius satiantur terra.

14 Germinare facit gramen iumentis, & herbam ad ministerium hominis: ad educendum alimentum è terra.

15 Et vinum *quod* exhilarat cor hominis: ad illustrandam faciem oleo: & panem *qui* cor hominis sustentet.

16 Satiantur arbores Iehouæ, cedri Libani quas plantauit.

17 Quia illic aues nidificant, & ciconiæ, quarum abietes sunt domus.

18 Montes excelsi ibicibus, rupes sunt latibulum cuniculis.

19 Fecit Lunam in stata tempora: Sol nouit occasum suum.

20 Ponit tenebras & fit noctem in ea proreptant omnes bestiæ syluarum.

21 Catuli

21 Leunculi videlicet cum rugitu prædam vestigantes, pabulumq; suũ velut ab ipso Deo, qui clausos interdiu hominum causa, ipsos continuit, reposcentes.

22 Luce verò vna cum Sole reuersa, rursum ijdem collecti sese, quasi signo cælitus dato, in sua cubilia recipiunt.

23 Vt nimirum homini ad intermissas operas reuerti, & ad vesperam vsque laborem tui ò continuare liceat.

24 Quàm igitur magnifica sunt opera tua Iehoua, quàm sapienter omnia fecisti! quibus & quantis opibus terram compleuisti.

25 Mare autem istud quàm vastum, quàm est immensum! & quàm innumerabiles illic pisces, quàm multa tum parua tum prodigiosa magnitudine animantia in eo natant!

26 Illic quoq; naues maria percurrunt. Ibi immanes illa abs te condita bellua, per medios maris fluctus, quasi ludibunda discurrunt.

27 Et hac omnia sicuti abs te vitam acceperunt, ita etiam cibum, quo temporibus constitutis nutriuntur, à te expectant.

28 Prabes igitur illis accipientibus, & te manum aperiente satiantur.

29 Quod si te fortè ab illis subducas, hærent scilicet attonita

21 Catuli leonum rugientes ad prædam: & ad quærendum à Deo cibum suum.

22 Oritur Sol, colliguntur & ad domicilia sua accubant.

23 Egreditur homo ad opus suum: & ad laborem suum vsque ad vesperam.

24 Quàm magna sunt opera tua Iehoua! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra opibus tuis.

25 Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia absq; numero & animantia pusilla cum magnis.

26 Illic naues ambulant: leuiathan quem formasti, vt ludat in eo.

27 Omnia ad te respiciunt vt des escam eorum in tempore suo.

28 Das illis: & colligunt: aperis manum tuam, & satiantur bono.

29 Abscondis faciem tuam, & terrentur: colligis Spi-

donec te vitalem illum vigorem quem ipsis indideras reuocante, deficiunt tandem, ac in puluerem resoluuntur.

30 *Nec tamen propterea species ipsa rerum intereunt, sed vim illam tuam rerum procreatricem ac conseruatricem exerens, facis vt altero in demortui vicem abs te creato, ipsa terra species renouetur.*

Laus igitur Iehouæ sempiterna tribuatur, & pergat Iehoua voluptatem ex operibus suis capere.

32 *Magnus, inquam, ille & præpotens, ad cuius irati conspectum ipsa terra trepidans vacillat, & à quo tacti montes fumum & flammas vomunt,*

33 *Quod ad me quidem attinet vitam omnem in ipso celebrãdo consumam, & quandiu superstes ero, Deum illum meũ canam.*

34 *Quod vtinam illi tam sint grata mea cãtiones, quàm lato & alacri animo tot tantaq; ipsius beneficia celebro.*

35 *Vtinam contrà scelerati omnes & in ipsum ingrati funditus semel deleantur. At tu mi anime, Dei laudes prædica. Vos quoque cæteri Deum collaudate.*

ritum eorum, & defi[illegible] & in puluerem suum [illegible] uertuntur.

30 Emittis spiritum [illegible] creantur, & renouas fa[illegible] em terræ.

31 Sit gloria Iehouæ in se[illegible] lum; lætetur Iehoua [illegible] peribus suis.

32 Qui aspicit terram & [illegible] contremiscit; qui tan[illegible] montes & fumigant.

33 Cantabo Iehouæ in [illegible] mea; psallam Deo m[illegible] quandiu sum.

34 Gratus sit ei sermo me[illegible] ego lætabor in Iehoua.

35 Deficiant scelerati à te[illegible] & impij donec non [illegible] psi. Benedic anima mea I[illegible] houæ. Laudate Iehouam.

Idem Psalmus centesimus quartus, mono[illegible] colos, carmine phalæcio hendecasyll[illegible] bo, vt secundus.

AGe ô mens mea nunc Deum canamus,
Nunc, inquam, Dominum ac Deum canamus,
Quem circumradians & hinc & inde
Totum lumine fulgido coruscum
Maiestatis honos decusq; cingit:
Cui testudinis instar, vniuersi
Curuantur spatia vndiquâque cœli:
Cui palatia fornicata præbent
Suspensæ liquidi aeris procellæ:
Qui, curris æthereo tonans, liquentem
Celsis aera nubium quadrigis,
Ventorum rapido impetu pererrat.
Cuius imperijs & huc & illuc
Accinctæ celeres feruntur auræ,
Et vis ignea fulminis coruscat.
Terram pondere qui suo imperauit
Libratam medio insidêre puncto,
Molis pondera nulla sentientem.
Terram, inquam, vndisoni maris procellis
Velut tegmine prorsus obuolutam.
Nam quæ nunc resonat, grauiq; planctu
Terræ littora tundit Amphitrite,
Latè olim spatium orbis obtinebat,
Et montes, licet ardui, profundis
Toti fluctibus obruti natabant:
Hic quum terribili increpatione
Frenauit maris æstuantis vndas:
Quod surdum licet, attamen sonoras
Audiuit simul ac minas Tonantis,
Perculsum subito omne conquieuit.
Tum verò trepidis repentè ab vndis
Moles surgere montium videres,

Et valles quoque subsidere curuas:
9 Donec litoribus suis retentum
Fixo limite clauderetur æquor:
Quas vtcunque furens eat ruatq;
Sit nefas tamen exilire metas.
10 Hic est imperio potente cuius
Cauis vndique vallium salebris
Exortæ fugiunt per arua lymphæ.
11 Hinc leuant pecudes sitim molestam,
Hinc potant onagri siticulosi.
12 Hic sedens auium genus canorum
Virenti latet arborum sub vmbra,
Et garritibus aerem fatigat.
13 Tu,tu,inquam, Pater ô benigne cœli
Penu ex diuite depluis beatas
Collium in iuga fœtuosa rores:
14 Et quæcunque auidus metit colonus
Tuæ munera liberalitatis.
Hinc fœnum pecori benigna tellus,
Hinc flauam segetem ab nimis umida
Duro vomere sauciata trahet:
15 Hinc vini liquor ille tam suauis,
Qui curas abigat seueriores:
Hinc pinguis quoque munus est olius,
Cuius vnguine vultus exhilaret,
Quum panis tamen vnicus tuendæ
Satis sufficiat superq; vitæ.
16 Ipsas quin etiam arbores benignus
Vitali saturas subinde succo:
Et cedros Libano arduas locasti.
17 Domos passer vbi struat loquaces;
Et pinus pariter, ciconiarum

Nidus

Nidos scilicet animas fouentes.
18 *Te montes rigidos subit iubente*
Pernix caprea, te iubente cæcus
Effodit latebras sibi talpa,
Fœcundorum acies cuniculorum.
19 *Tu lunæ varios simul & fixos*
Statis temporibus regis labores:
Tu Solis iubar aureum gubernas,
Certis exoriens cadensq; metis.
20 *Tu lucem facis, & facis tenebras,*
Quæ clarum simul ac diem fugarint,
21 *Tum lustris rabidæ feræ relictis,*
Per noctis tacitas vagantur umbras:
Tum prædator hiat leo, frendensq;,
Te velut dominum omnium ac parentem,
Prædam feruidus obuiam reposcit.
22.23 *Dein clarum reuehens diem aureus Sol,*
Depulsis vigilem feris colonum
Ad curas reuocat laboriosas,
Noctis vesperadum vices reducat.
24 *O quæ vis fuit illa, quæ potestas,*
Quæ prudentia multiplex, creandis
Tot rebus simul, & simul regendis?
Nam quacunque patet globosa rellus,
Vis quoque imperij tui patescit:
25 *Et quacunque etiam maris vorago*
Terra littora plangit æstuosa,
Latè squamigerum genus natantum
Fœcundas leuè ludit inter undas.
Hic gens magna natat, nata minuta.
26 *Hic vnctæ pariter volant carinæ,*
Hic immania collocata Cete,

Magno illudere quæ mari videntur,
Quum totum Oceanum ratesq́; vertunt.
27.28 *Nempè à te, Pater, ista cuncta pendent,*
Nam plena hæc saturas manu benignus:
29 *Quod si contra oculos sereniores*
Fortè auerteris, ecce mox fatiscunt.
Quin & ipsam animam tibi petenti
In lutum reditura mox reponunt.
30 *Dein rursus veluti prius sopitas*
Tibi quum libet excitare vires,
Succedit veteri recens propago,
Et mundi decus alterum resurgit.
31 *Sic ô sic vigeat Dei potestas,*
Aeternumq́; bonus pater benigno
Suos sospites vndiquâque vultu:
32 *Ille (inquam) Deus, ille cuius iras*
Flammantesq́; oculos vel ipsa tellus
Latè exterrita tota contremiscit:
Cuius terribili manu furentis
Tacta culmina montium, nigrantes
Fumorum nebulas soluta ructant.
33 *Hunc ergò Dominum canam, hunc sacrata*
Nostra barbitos vsque personabit,
Vitæ in pectore quandiu superstes
Flabit hæc anima ac reflabit auras.
34 *Quod tibi hæc vtinam, ô Pater, voluntas,*
Et nostræ placeant rudes camœnæ,
Vni vt sacra tibi mea est voluntas,
Et nostras tibi consecro camœnas.
35 *Abite ah procul, ah procul, profani,*
Ac toto semel exulate mundo:
At nos, mens mea, nos Deum canamus.

Psalmus

Psalmus centesimus quintus.

ὀυχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi quinti.

Huius Psalmi auctorem fuisse Dauidem, & Asaphodictatum à quo decantaretur quum arca Domini esset in vrbem introducta, liquet ex 1. Paralip. 16. Est autē idē ipsius vsus atque duorū superiorum, sed in eo diuersum argumētum quòd duo peculiaria Israelitarum beneficia celebrat, gratuitam videlicet eius gentis adoptionem, & eiusdem in terras promissas introductionem. Quum verò nos fœdus habeamus illo priore præstantius, & verus Iosue nobis iam in ipsum cælum præierit, satis intelligitur præterquàm quòd nunc quoque rerum illarum antiquarum iucundissima simul & vtilissima est commemoratio vt totidem habeamus diuinæ tum beneficentiæ tum veritatis exempla quibus fidem nostram iisdem fundamentis innixam confirmemus, teneri nos multò etiam magis quàm patres ista beneficia celebrare, atque adeò prædicandis iis immori.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Celebrate Iehouā, ipsum implorate, & audientibus populis res ipsius gestas enarrate.*	1 Celebrate Iehouā, inuocate nomen eius: annunciate inter populos opera eius.
2 *Hunc canite, huic psallite, huius admiranda facta prædicate.*	2 Cantate ei, & psallite ei: loquimini de omnibus mirabilibus eius.
3 *Gloriamini in sancto ipsius nomine. Vos quoque cæteri Iehouæ addicti exultate.*	3 Gloriamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Iehouam.
4 *Accedite ad Iehouam, & ipsius roboris ac præstantia aspectabile symbolum, ictud ac pignus, sacram videlicet hanc arcam studiosè quærite.*	4 Quærite Iehouam & robur eius: inquirite faciem eius assiduè.
5 *Commemorate quot & quan-*	5 Mementote mirabilium

miracula & prodigia vestri causa ediderit, quas denique pœnas sententia lata de vestris inimicis sumpserit.

6 *Nam sumus nos Abrahæ ipsius serui proles, & Iacobi quem ille sibi selegit soboles.*

7 *Et Iehoua vicissim est quidem omnium terrarum dominus ac gubernator, sed peculiari iure Deus noster.*

8 *Perpetuò videlicet fœderis illius sui, ac semel in omnes ætates ex ipsius mandato valituri sermonis memor.*

9 *Fœderis illius dico cum Abrahamo primùm initi, ac deinceps cum Isaaco, expresso iureiurando, sanciti.*

10 *Cum Iacobo denique siue Israele, immoti ac perpetui decreti loco præscriptis verbis istis stabiliti.*

11 *Terram istam Canaanitidē vobis, hæreditatis à me admensa iure possidendam donabo.*

12 *Quod autē liberalissimè pollicitus erat, optima quoque fide præstitit. Quāuis enim illi paucissimi numero viribus nullis, & vt aduenæ in ea regione versarentur.*

13 *Et mutata subinde sede oberrantes, ex gente in gentem, & ex vno regno in aliud demigrarent:*

14 *Tantum abest tamen vt vllā ipsis à quoquam vim inferri sit passus, vt ipsos quoque reges illorum causa corripuerit:*

eius, quæ fecit: prodigiorum eius & iudiciorum oris eius.

6 Semen Abrahæ serui eius *sumus* filii Iacob, electi eius.

7 Ipse Iehoua *est* Deus noster: in tota terra *suus* iudicia eius.

8 Recordatus est in secutum fœderis sui: verbi *quod* mandauit in mille generationes.

9 Quod pepegit cum Abraham: & iuramenti sui ad Isaac.

10 Et quod stabiliuit Iacobo in decretum: Israeli in fœdus perpetuum.

11 Dicens, tibi dabo terram Canaan, funiculum hæreditatis vestræ.

12 Quum ipsi essent pauci numero: quasi exiguum quiddam & peregrini in ea.

13 Et pertransierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alium.

14 Nec permisit quenquā nocere ipsis: & corripuit propter eos reges, *dicens.*

15 Nolite

15 Et quasi totidem his verbis edictum conscripserit, Nemo istos mihi inunctos ac consecratos sacerdotes tangito nemo prophetas meos lædito.

16 Postea famem quidem quasi voce accersitam terris immisit, omnemque panis fulturam infregit, vt perituri mox omnes viderentur.

17 Sed venturis tandem in Ægyptum suis multò ante, via prorsus admirabili, & ab humanis omnibus consilijs remota, hominem præmisit qui hospitiũ præpareret: Iosephum videlicet, primùm quidem pro mancipio in Ægypto venditum.

18 Postea verò compeditus ferreis vinctum: neque minus animo quam corpore constrictum.

19 Donec tandem tempore constituto mẽtio de eo apud Regẽ fieret, & sermo quem Iehoua ipsi suppeditauit, quis & quãtus vir esset, declararet.

20 Tunc igitur illum missu nuntij Rex ipse Ægyptiorum Dominus non modo vinculis exoluit.

21 Verumetiam aulæ suæ præfecit, atque adeò rerum omniũ suarum administrationem ei commisit.

22 Attributa etiam illi in maximis quo suis Ægypti principes arbitraria potestate, vt & ipsos magistratus Ægy-

15 Nolite tangere vnctos meos: & prophetis meis nolite malefacere.

16 Et vocauit famem super terram; omnem baculum panis contriuit.

17 Misit ante eos virum: in seruum venditus est Ioseph.

18 Adstrinxerunt compedibus pedes eius: ferrum venit in animam eius.

19 Vsque ad tempus quo venit verbũ eius (id est de eo) & sermo Iehouæ probaret eum.

20 Misit rex, & soluit eum dominator populorum, & liberauit eum.

21 Constituit eum dominum super domum suam & dominatorem in cunctas facultates suas.

22 Ad vinciendum principes suos in anima sua (pro arbitrio suo) & vt senes suos doceret sapientiam.

pti sapientia consilioque suo regeret.

23 *Venit ergo tandem Israel in Ægyptum, & est Iacobus in Chami regione peregrinatus.*

24 *Auxitque ibi Iehoua familiam eius mirum in modum, adeò vt Ægyptijs propterea illam exosis formidabilis euaderet.*

25 *Deus enim animum illorum erga suos immutauit, vt quos antea tantopere diligebant, odisse inciperent, & malis artibus illos circumuenire studerent.*

26 *Sed eos tamē nequaquam deseruit. immò quum res illorum prorsus deplorata viderentur, Mosen seruum suum & Aaronem à se delectum ipsis subsidio misit.*

27 *Isti verò diuinitus missi prout illis erat demandatum, ingentia illa signa & prodigia in Chami regione ediderunt.*

28 *Immisit igitur Ægyptijs tenebras Iehoua, quæ, simul ac iussit Dominus, extiterunt.*

29 *Aquas eorum in sanguinem conuertit, & in ipsis aquis pisces interemit.*

30 *Ranarum agmina, eodem iubente, mox ex ipsa terra emerserunt, & regum ipsorum cubicula inuaserunt.*

31 *Ad eiusdem imperantis vocem examina muscarum, & pediculi in omnibus Ægypti finibus prodierunt.*

23 Tunc venit Israel in Aegyptum: & Iacob peregrinatus est in terra Cham.

24 Et auxit Deus populum suū valde: & robustiorem eum fecit inimicis suis.

25 Conuertit cor eorum, vt odio haberent populum suum: & fraudulenter agerent cum seruis suis.

26 Misit Mosen seruum suum Aaron quem elegit.

27 Qui posuerunt in illis verba signorum eius & prodigia in terra Cham.

28 Misit tenebras & obtenebrauit: & ipse non fuerunt rebelles verbis eius,

29 Conuertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum.

30 Produxit terra eorum ranas: in cubiculum regum ipsorum.

31 Dixit, & venit examen muscarum & pediculi in omnibus finibus eorum.

32 Posuit

32 *Lapidauit quoque de cælo, & horribiles fulgurum flammæ totam Ægyptum percurrerunt.*

32 Posuit pluuias eorum grā dinem: ignem flammātem in terra ipsorum.

33 *Hic telis vineas & ficus eorum verberauit, omnes denique arbores in finibus illis sitas contriuit.*

33 Et percussit vineas ipsorū & ficulneas eorum: & contriuit arbores finium ipsorum.

34.35 *Eiusdem mandato excitæ locustæ & bruchi innumerabili numero prodeuntes omnem herbam vorarunt, omnem terræ prouentum absumpserunt.*

34 Dixit, & venit locusta: & bruchus absque numero.

35 Et vorauit omnem herbā in terra ipsorum: & consumpsit fructum terræ ipsorum.

36 *Quinetiam primogenita eorum, id est omnium familiarum columina cæcidit.*

36 Et percussit omne primogenitum in terra ipsorum: principium omnis virtutis ipsorum.

37 *Tandem denique, peractis istis omnibus, suos auro & argento onustos, valentes omnes & integris viribus præditos, eduxit.*

37 Et eduxit eos cum argento & auro: & nullus in familiis eius fuit debilis.

38 *Lætante illis demigrantibus Ægypto quam vehemens illorum metus incesserat.*

38 Lætata est Aegyptus in egressu eorum: quia ceciderat timor illorum super illos,

39 *Illos verò proficiscentes, inter diu nube aduersus ardorem Solis texit: noctu, ne temere errarent, collucētis ignea colūna splendore præiens traduxit.*

39 Extēdit Deus nubem protegmento: & ignem vt lucem præberet noctu.

40 *Petierunt illi coturnices, quæ sunt petentibus datæ: suntque pane cælitus demisso satiati.*

40 Petiuit Israel & venit coturnix: & pane cælesti saturauit eos.

41 *Perrupit illis Deus rupes, vnde fluxerunt aquæ, immò etiam fluuij promanarunt.*

41 Aperuit rupem, & fluxerunt aquæ: abierunt in aridis locis vt fluuius.

42 *Et hæc quidem ille, memor videlicet eorum quæ Sanctus*

42 Quia recordatus est verbi sanctitatis suæ, ad Abra-

ipse quondam Abrahamo seruo suo pepigerat.

43 *Sic igitur populum suum, electos, inquam, suos, lætos & hilares eduxit:*

44 *Quibus regiones à varijs populis possessas tradidit, summa facilitate quæcunque indigena ipsi maximo labore acquisiuerant, adeptis.*

45 *Vt illi collocati videlicet, pro eo quòd priores incolæ sædis superstitionibus & voluptatibus terram profanarant, ipsi traditos à Iehoua ritus ac leges seruarent. Deum igitur collaudate.*

tiam seruum suum.

43 Et eduxit igitur populum suum cum lætitia: cum exultatione electos suos.

44 Et dedit illis terras gentium: & laborem populorum in hæreditatem adepti sunt.

45 Vt custodirent statuta eius: & leges eius seruarent Halleluiah.

Idem Psalmus centesimus quintus, monocolos carmine heroïco, vt primus.

1 *EIa Deum laudate alacres, sanctum eia potentis*
Implorate Dei nomen, nec gesta silete
2 *Fortia, quin potius cantu fidibus q; canoris*
Narrate illius toti miracula mundo.
3 *Vos, inquam gens sacra Deo, læti vndique sanctum*
Laudibus illius numen celebrate frequentes,
4 *Vos illius opem robûrque requirite cuncti,*
5 *Ipsius memores operum, & quæ plurima nobis*
Ostendit rerum miracula certa canentes,
Inprimis iura illa suo quæ prodidit ore.
6.7 *Felix Abramidûm ô soboles, stirps sancta Iacobi,*
Quam sibi selegit Numen, propriámque dicauit:
Et cui se totum Dominus cæliq; solique
8 *Tradidit, illius pacti non immemor vnquam*
Quod statuit nullis vnquam violabile seclis.

9 *Promissum*

9 Promissum nempe Abramo deincépsque Iacobo
10 Iuratum & toti ventura in secula proli,
11 Quum rura hæc illis sese Cananæa daturum
Diceret, & terras æterno iure tenendas.
12 Illi igitur quamuis pauci & peregrina vagantes
13 Per sola, nunc istac nunc illac tendere quondam,
Atque plagas regum varias peragrare coacti,
14 Tuti iuere tamen: pœna mox nempe sequuta,
Ipsorum siquis regum læsisset euntes.
15 Nam mihi sacratos (edixerat optimus ille)
Tangere quisquis eris, caueas, aut lædere vates.
16 Inde famem terris, scelerum iustißimus vltor
Accersens, quæ fulturam mortalibus ægris,
Frugibus ereptis, veluti subduceret omnem:
17 Præmisit qui tecta suis sedésque pararet,
Illum fraterno scelere atque immanibus ausis.
Seruum euitata factum vix cæde Iosephum:
18 Qui post, compedibus squalenti in carcere vinctus,
19 Transfixúsque animum curis, vt tempora demum
Sic illum decreta Deo effluxêre probanti,
20 Imperio ipsîus (dictu mirabile) Regis,
Liber, & Aegipti dominator prodijt alter.
21 Hunc siquidem domuíque suæ gazæque Tyrannus
22 Præfecit, proceres à quo totúsque Senatus
Pendêre, & cuius mandata capessere iußi.
23 Ecce senex Iacobus adest, Semíque nepotes
Excipit hospitio sua sub tentoria Chamus.
24 Nec mora de paucis surgit numerosa propago,
Euadítque suo mox formidabilis hosti.
25 Corda volente Deo, subitò in contraria vertens
Aegiptus, quos ipsa prior dilexerat, odit,
Paulatim arte sibi conata absumere seruos.

26 *Tum Moses Aronq; simul, par nobile fratrum,*
27 *Missus adest, mandata ferens re verba sequutus;*
Tristia cernuntur Phariis miracula terris.
28 *Nocte etenim cælum subitò subtexitur atra,*
Lux nusquam, tenebris mandantum verba sequutis.
29 *Sanguineas voluit Nilus semptem fluuis vndas,*
Putrescunt atro fluitantes sanguine pisces:
30 *Arua coaxantes mox complent omnia turmæ,*
Turpesq; inficiunt regum ipsa cubilia ranæ.
31 *Aëra (sic iußit Mosis Deus ore loquutus)*
Muscarum implerunt volitantum examina latè,
Et pecudum atque hominum rosuri corpora vermes.
32 *Grando ruit, ruptis voluuntur nubibus ignes,*
33 *Percussas luget vites ficusq; colonus,*
Et nudata pudet monstrare cacumina syluas.
34 *Iussa his succedunt bruchusq; voraxq; locusta,*
35 *Erosura ipsis plantas cum fructibus omnes.*
36 *Deniq; primitias gentis, floremq; iuuentæ,*
Spem generis, Deus absumpsit iustißimus vltor,
37 *Incolumesq; suos, opibusq; emisit onustos.*
38 *Aegyptus siquidem tenuit quos ante coactos,*
Dimisit blandis adiungens munera dictis.
39 *Nubes luce tegit per torrida saxa vagantes,*
Nocte regit nitido collucens æthere flamma.
40 *Ecce coturnices populo rogitante, ruentes*
Imbre pluunt largo: panem quoq; iussa ministrant
41 *Nubila: rupta leui cautes mox dissilit ictu,*
Fluminaq; effundit plenis vndantia ripis,
42 *Abrahamo iurata suo sic præstitit ille*
43 *Fœdera, selectam, mutato in gaudia luctu,*
Ipse sibi ducens deserta per auia gentem,
44 *Incolumem donec promissis sisteret oris,*

Culta

Cuius cui pulsis hæc tradere arua colonis,
Et Ipsius edoctæ leges ac iura tueri.

Psalmus centesimus sextus παραμυθητικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi sexti.

Psalmum istum vt centesimum vicesimum sextum ad ea tempora referendum arbitror, quibus reduces ex Babilone cum zorobabele aut etiam cum Ezra & Nehemia, pro reliquis precati sunt qui nihilominus, siue ignauia retenti, siue difficultate itineris territi, siue aliis de causis illic adhuc subsistebant. Auspicatus autem propheta à gratiarum actione de concesso genti reditu, mox descendit ad luculentam confessionem peccatorum totius gentis iam inde ab ipsa liberatione ex Aegypto, expressis etiam temporum & locorum circumstantiis, & ei planè respondentem quam legimus Nehemiæ nono, apud quem etiam aliquoties repetitur quod in hoc psalmo habetur vers. 4. Quod vtinam miserrimo nostro seculo, quo penè videmus non dissimili contumacia veluti superatam Dei Opt. Max. patientiam, hoc exemplum publicè & priuatim imitari, potius quàm mutuò sese lacerare plerique mallent.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Laudate Iehouam, Iehouã summa perpetuaq; bonitate præditum celebrate.*	1 Celebrate Iehouam, nã bonus est: nam in seculũ bonitas eius.
2 *Quis enim rerum nostra causa ab ipso gestarum amplitudinem oratione consequatur? quis celebrandis eius laudibus par esse possit?*	2 Quis dixerit *vires* Iehouæ, & annunciarit omnẽ laudem eius?
3 *O beatum qui quouis tempore, & quicunque sit rerum ipsius status, nunquam à recto & iusto deflectit.*	3 Beati qui ius obseruant: & quisquis iustè se gerit omni tempore.
4 *At tu, Iehoua, memento mei*	4 Memento mei, Iehoua,

pro immensa illa beneuolentia qua populum tuum semper es complexus, & me respice quem tuæ salutis participem facias.

pro beneuolẽtia populi tui (*id est qua afficeris erga populum tuum:*) visita me salute tua.

5 *Vt tuæ in electos tuos beneficentiæ testis, vnà cum gente illa tua quam tibi pro peculio & hæreditate adsciuisti, læter & exultem.*

5 Vt intuear beneficentiam electorum tuorum: & læter in lætitia gentis tuæ: vt glorier cum hæreditate tua.

6 *Nos certè, fateor, vt & maiores nostri, errauimus, peccauimus, sceleratè denique nos gessimus.*

6 Peccauimus cum patribus nostris: iniquè egimus, sceleratè fecimus.

7 *Nam, vt ab alto rem omnem exordiar, patres illi nostri neque tot miraculorum in Ægypto editorum rationem habuerunt: neque multitudinis beneficiorum tuorum memores fuerunt: vt qui tecum ad mare rubrum contenderunt.*

7 Patres nostri in Aegypto nõ intellexerunt mirabilia tua, nõ recordati sunt multitudinis beneficiorũ tuorum: & rebelles fuerunt apud mare, mare *inquam* carectorum.

8 *Deus tamen (ô incredibilem bonitatem) vt gloriæ suæ consuleret, suásque vires testificaretur, eos quantumuis rebelles conseruauit.*

8 Sed seruauit eos *Iehoua* propter nomẽ suum: vt notam faceret potentiam suam.

9 *Increpauit enim mare rubrũ, quod subitò exaruit: suósque per ipsos maris gurgites haud secus quàm per aridum solum deduxit.*

9 Increpauit enim mare rubrum, & exiccatum est: & deduxit eos per abyssos, sicut in deserto.

10 *Sic igitur illi, Deo ipsos asserente, salui ex hostium manibus euaserunt.*

10 Et seruauit eos è manu hostis: & redemit eos è manu inimicorum.

11 *Oppressores autẽ eorum aquis absorpti, ne vno quidem ex ipsis superstite, perierunt.*

11 Et operuerũt aquę oppressores eorum: vnus ex illis non fuit residuus.

12 *Et hoc facto conuicti Israelitæ tunc quidem Iehouæ fi-*

12 Tunc crediderunt verbis eius, & cantauerunt laudes

dem habere cœperunt, eiusque laudes cecinerunt:

13 Sed ecce vix dum hoc contigerat, quum subitò istorũ omnium obliti, neque sẽ Dei voluntate & consilijs regi sustinentes,

14 Summa intemperie carnes expetere in deserto, ipsius q; numinis vires periclitari cœperunt.

15 Itaque concessit quidem illis quod tam auidè flagitabant, sed maximo eorum malo, siquidem ha delitia sunt ipsis in maciem & tabem conuersa.

16 Quid quòd & ipsum Mosen & Aaronem, sanctum Iehoua sacerdotem, per inuidiã dejecere studuerunt.

17 Itaque dehiscens terra Dathanem absorpsit, & Abiramum cum tabernaculu ipsis obtexit.

18 Sed & igne in cœtu coniuratorum exorto flamma subito correptos illos conseremauit.

19 Iidem vitulum apud Horebũ montem conflarunt, & conflatum adorarunt.

20 Illa sue (proh scelus) decore & ornamento (æterno videlicet numine) in mortuum simulachrum bouis fœnum comedentis commutato:

21 Adiuclaq; Dei seruatorũ memoria, qui tot in Ægypto res mirificas ediderat,

22 Tot, inquam, in regione Cha-

des eius.

13 Sed statim obliti sunt operum eius: neque expectauerunt consilium eius.

14 Et concupiuerunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt Deum in solitudine.

15 Itaque dedit eis petitionẽ eorum, sed misit tabem in animam ipsorum.

16 Inuidia præterea commoti sunt aduersus Mosen in castris: & aduersus Aaronem sanctum Iehouæ.

17 Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & aperuit super tabernaculum Abiram.

18 Et accẽsus est ignis in cœtu eorum: flamma inflammauit improbos.

19 Fecerunt quoque vitulum in Horeb: & adorauerunt conflatile.

20 Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem bouis comedentis fœnum.

21 Obliti sunt Dei, qui seruauerat eos, qui gesserat magnifica in Aegypto.

22 Mirabilia in terra Cham;

mi miracula ipsis ostenderat, & apud mare rubrum tam horrifica fecerat.

23 Itaque semel illos erat deleturus, nisi Moses ei pro cæteris acceptus, in ipsa media strage semetipsum obiciens, iram eius ne ad internecionem usq; desæuiret, repressisset.

24 Quid amplius? quum iam illos esset in regionē promissam introducturus, nulla fide ipsius verbis habita, terram qua nihil optatius ipsis esse oportuerat, repudiarunt.

25 Atque adeò loquentem Deū audire dedignati, tumultum in suis tentoriis excitarunt.

26 Iure igitur ille manum aduersus eos exeruit, qua ipsos in deserto prosterneret.

27 Eorumq; posteros inter gentes dissiparet, atque adeò per varias regiones dissiceret.

28 Nam etiam Baalperei, ab abominando idolo, sese adiunxerunt, & victimas rebus vita expertibus mactatas comederunt.

29 Cui sceleri Deus iustissimè iratus, mox in illos grauissimam eis plagam inflicturus, irrupit.

30 Sed magno animo insurgens Phinees, tantum sicinus vindicauit, & statim cadere illos Dominus destitit.

31 Phinees autem id iustè di-

terribilia ad mare rubrum.

23 Itaque dixit fore vt perderet eos, nisi Moses electus eius stetisset in ruptura coram facie eius: ad auertendam iram eius ne deleret eos.

24 Repudiauerunt etiam terram desiderabilem: nec crediderunt verbis eius.

25 Et murmurauerunt in tentoriis suis: nec audiuerunt vocem Iehouæ.

26 Itaque extulit manum suã ipsis *id est contra ipsos*: ad prosternendum eos in deserto.

27 Et ad dissipandum semen eorum inter gentes: & ad dispergendum eos per terras.

28 Et tamen copulati sunt Baal Pegor: & comederunt sacrificia mortuorum.

29 Et ad iracundiam prouocauerunt *Deum* operibus suis: & irruit in eos plaga.

30 Sed adfuit Phinees & vindicauit *scelus* & cohibita est plaga.

31 Et imputatum est ei ad iu-

stitiam

ſtus eſt feciſſe, eóque nomine laudem ad ætates futuras permanſuram eſt conſequutus.

31 *At illi Deum nihilominus apud aquas quibus propterea impoſitum fuit iurgij cognomentum, ad iram maximo cũ ipſius Moſis damno prouocarunt.*

33 *Sic enim eius animum exaſperarunt, vt & ipſe inconſideratè quiddam effutiuerit.*

34 *Et Moſes quidem propterea in ipſo deſerto mortuus eſt. Qui verò in ipſam Cananitidem introducti ſunt, nihilo quàm patres ſui mandatis diuinis obſequentiores, populis quos Deus interfici diſtrictè iuſſerat, pepercerunt.*

35 *Iuńq; ſeſe permiſcentes, & mox artes eorum edocti,*

36 *Illorum idolis ſeſe certo ſuo exitio manciparunt,*

37 *Eonſque dementia videlicet prouecti, vt filios filiaſq; ſuas damonibus mactarint.*

38 *Vt ſuorum, inquam, filiorum ac filiarum innoxium ſanguinem vltrò effuſum, fictilibus Kananæorum ſimulachris libarint, & immaniſſimis cædibus totam regionem contaminarint.*

39 *En igitur deteſtanda facinora, en abominãdas ſcortationes quibus illi ſeſe dedita operа polluerunt.*

ſtitiam, in generationem & generationem, vſque in ſæculum.

32 Prouocauerunt *etiam eum* ad iracundiam apud aquas iurgii, quod male ceſſit ipſi Moſi propter eos.

33 Quia exacerbauerunt ſpiritum eius: & inconſideratè locutus eſt labiis ſuis.

34 Non perdiderunt populos: de quibus mandauerat illis Iehoua.

35 Sed commiſti fuerunt gentibus: & didicerunt opera eorum.

36 Et ſeruierunt ſimulachris eorum, quæ fuerunt ipſis in ruinam.

37 Sacrificauerunt enim filios ſuos: & filias ſuas dæmonibus.

38 Et effuderunt ſanguinem innoxium: ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus *idolis* Canaan: & polluta eſt terra cædibus.

39 Et inquinati ſunt operibus ſuis: & ſcortati ſunt ſtudiis ſuis.

40 Quibus iustiſſimè prouocatus Deus, aduerſus populum tandem eò vſque exarſit vt illum quamuis ſibi antea ſegregatum, abominatus,

41 In manus gentium tradiderit, & hoſtium ſuorum arbitrio ac libidini expoſuerit.

42 Ab illis igitur poſtea ſunt variis modis vexati, eorumq; arbitratu oppreſſi.

43 Et tamen ille rurſum non ſemel ipſos liberauit: quibus beneficijs tantum abeſt vt meliorem animum induerint, vt cõtrà ſibi indulgentes, illũ exacerbare non deſiterint, donec ab eo deſerti in illa ſua improbitate contabuerunt.

44 Et quis infinitam Dei bonitatem hic non admiretur? Nã ecce quamuis neque beneficijs neque caſtigationibus quicquã apud illos tot ſeculis profeciſſet, eorum tamen in anguſtijs clamores exaudiit,

45 Sui q; fœderis recordatus, & pro infinita ſua clementia, alius repente factus,

46 Fecit vt eorum commiſerationi ij ipſi tangerentur à quibus fuerant in captiuitatem abrepti.

47 Agedũ igitur, Iehoua Deus noſter, opus à te inchoatũ abſolue, & nos tandem penitus ex gentibus aggregatos apud te recollige, & ſanctum nomẽ tuum prædicemus, laudeſque tuas perpetuò celebremus.

40 Itaque exarſit ira Iehouæ in populum ſuum: & abominatus eſt hæreditatẽ ſuam.

41 Et tradidit illos in manus gentium: & dominati ſunt ſuper eos inimici eorum.

42 Et oppreſſerunt eos hoſtes ipſorum: & humiliati ſunt ſub manu ipſorum.

43 Sæpe liberauit eos, ipſi tamen exacerbauerunt eum conſiliis ſuis: ideóque contabuerũt in iniquitate ſua.

44 Vidit tamen cum illis eſſet anguſtia, audiitque clamorem eorum.

45 Et recordatus eſt erga eos fœderis ſui: & pœnituit eũ ſecundum magnitudinem clementiarum ſuarum.

46 Deditq; eos in miſerationes coram omnibus qui captiuos abduxerant eos.

47 Serua nos Iehoua Deus noſter: & collige nos ex gentibus, ad celebrandum nomen ſanctitatis tuæ: & ad celebrandam laudem tuam.

48 Bene-

48 Sit tibi sanè gloria sempiterna, Iehoua Deus Israëlis. Succinite mihi populi vniuersi, & vno ore dicite, Amen. Dominum collaudate.

48 Benedictus Iehoua Deus Israel à seculo: & in seculum: & dicat omnis populus, Amem. Haleluiah

Idem Psalmus centesimus sextus, monocolos, carmine Iambico dimetro vt decimus.

1 *Laudate numen Optimum*
Cuius perennis omnibus
Benignitas est seculis.

2 *Cuius satis potentiam,*
Cuius satis quis gloriam
Cantarit aptis laudibus?

3 *O vos beatos regulam*
Recti bonique traditam
Omni sequutos tempore.

4 *At tu, Deus, non immemor*
Amoris in tuos tui,
Me, liberator, respice.

5 *Lectis vt vnà cum tuis*
Tuáque gente, gestiam.
Et lætus vnà glorier.

6 *Ah nos simul cum patribus*
Errauimus, peccauimus,
Iniqua iniquè fecimus.

7 *Nam signa nec Tanitica,*
Benignitatem nec tuam
Sat ponderarunt seduli,

Rubro sed ipso conscio
Nostri parentes æquore
Obmurmurarunt improbi:

8 *Quos attamen tui memor*
Tu liberasti nominis,
Vires probares vt tuas.

9 *Iussa aruerunt æquora,*
Tuæque seu per aridos
Iêre campos copiæ.

10.11 *Sic, hoste prorsus gurgitis*
Aquis profundis obruto,
Nullóque iam superstite,

Potente, mi Deus, tuos
Tu liberasti dextera,
Hostis ferocis è manu.

12 *Laudare te tum Israel,*
Tibique totus fidere,
13.14 *Quæ mox fides euanuit.*

Nánque omnium mox immemor
Gens ista, nec tuo regi
Arbitrio se sustinens

Cærnes gulosa flagitat,

Deum

Deumq; ſolitudine
Procax in ipſa prouocat.

15 *Tu das cibum petentibus,*
Sed cuius eſu rabida
Proſternerentur corpora.

16 *Quid plura? Moſen & ſacrum*
Aronis illum verticem
Laceſſierunt inuidi.

17 *Quod terra non ferens ſcelus,*
Abiram & Dathanem cum ſuis
Deglutiit ſentorijs.

18 *Statimq; miſſus cœlitus,*
Cœtus ſemel rebellium
Vorauit ignis impios.

19 *Hi ſunt Horebi qui iuga*
Contaminarant, aurei
Cultu iuuenci, perfidi,

20.21 *Illius auſi gloriam*
22 *Promptum ſibi quem vindicem*
Tot in periclis ſenſerant,

Nili ad fluenta fertilis,
Rubentis ad maris vada,
Tot facta cuius viderant,

Brutæ iuuenci ad beſtiæ,

Fœnum vorantis beſtiæ,
Transferre ſic imaginem.

23 *Quod ni ſtetiſſet obuius*
Moſes furenti Numini,
Iam tum periſſent funditus.

24.25 *Quid amplius? nec dum malis*
Tot eruditi, nec minis
Tot Numinis ſat credulis,

Hoc diues experti ſolum
Obmurmurantes, horridis
Spreuere præ mapalibus.

26.27 *Iure ergo brachium Deus,*
Deſerta pulſos in ſola
Straturus illos, extulit:

Et iam tum eorum poſteros
Statuit prophanis gentibus
Dedere futuros exules:

28 *Turpes at illi Peori*
Iunxere ſeſe, mortuis
Auſi ſacrata veſcier.

29 *Proin Deus iuſtiſſimo*
Furore plenus, cladibus
Affecit illos maximis.

30 *Donec, furore Phinees*

Et ipse iusto percitus,
Vltor futurus adfuit.

1 Virtutis vnde retulit
Viriq; iusti gloriam,
Cunctis perennem seculis.

2 At numen illi denuò
Meribæ ad fluenta pessimis
Lacessiere iurgijs.

3 Ipsi quod & Mosi obfuit
Temerè loquuto, & improbis
Turbato eorum vocibus.

4 Quin & scelestis parcere
Ausi, rebelles numini,
Iussis necari gentibus.

5 Illisq; se iungere,
Ritusq; eorum discere,
6 Quin & vereri numina:

Ipsi sibi auctores mali,
7 Suos ad aras dæmonum
Vt qui necarint liberos:

8 Suæ prolis sanguinem
Kenaanis sculptilibus
Innoxium profuderint.

9 Sic ista factis gens suis

Se, suaq; polluit sola,
Sacris nefandis debita.

40 *Iure ergo dilectam prius*
Exosus est gentem Deus,
Saeuisq; dedidit hostibus.

41 *Qui colla contumacium,*
42 *Durum subacta sub iugum,*
Arbitrio regerent suo.

43 *At rursus isti saepius*
Clemente numinis manu
Istis soluti vinculis,

Non destitêre moribus
Sceleſtis id lacessere
Suis sceleribus tabidi.

44 *Clamare at illi denuò,*
Audire & ille denuò,
Sui vsq; fœderis memor.

45 *Vtq; omnium mitissimus,*
Iraq; iustæ pœnitens,
Victoribusq; consciis,

46 *Miranibusq; vincula*
Qui nuper his iniecerant,
Dignatus istos gratia.

47 *Aeterne perge nunc Deus,*

Tuósque ſeuis eruios
Ex gentibus recollige.

Vt numen hoc ſanctiſſimum
Hoc numen auguſtiſſimum,
Iuſtis celebrent laudibus.

8 *Aeterne ſit Deus tibi,*
Deus Iſraëlis vnice,
Aeterna laus & gloria:

Mihique tu plebi ſuccines,
Laudes beata Numini
Mecum perennes dicito:

LIBER QVINTVS
Pſalmorum.

Pſalmus centeſimus ſeptimus διδακτικός.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi ſeptimi

Pſalmus iſte quo nihil dici neque rectius neque ornatius, nihil denique diuinius poſſit, prouidentiam Dei & vniuerſa-em & particularem, iuſtiſſimam ſimul & moderatiſſimam ſerit, prolatis & elegãtiſſimè deſcriptis pulcherrimis earum erum exemplis quæ terr amarique ſic contingunt, vt in ijs ſit rorſus neceſſe fateri diuinitus regi earum cauſas & euenta: um aduerſus impios qui Deum vel tollunt penitus, vel à mũ-i gubernatione ſummouent vt Epicurei: vel vniuerſaliter antum res à ſe conditas curari cenſent, vt Peripatetici, vel auſis ſecundis alligant, vt Stoici: tum aduerſus ſuperſtitioſos, onfitentes quidem quòd res eſt, ſed quòd vnius Dei eſt Opt. Max. fictitiis ſuis numinibus attribuentes: quibus omnibus nendaciis meritò damnatis, pios & vere ſapientes monet ropheta vt opera Dei potius admirari, ſumnámque, in ijs um ſapientiam tum moderationem prædicare diſcant, quàm illa

illa in disquisitionem vocare, & cum impiis instruire.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *CElebrate Iehouam. Hoc enim ipsius immensa bonitas, perpetuaq; beneficentia meretur.*

2 *Vos innumeri mecum istud prædicate quos Iehoua ex periculis multiplicibus, & hostium manibus liberauit.*

3 *Quàm enim ille multos à condito mundo ab Oriente & Occasu, à Septentrione & Australi Oceano dispersos collegit?*

4 *Quàm multos in vastis deserti errantes, & vrbem ad habitandum commodum quærentes,*

5 *Fame sitiq; enectos, & semianimes,*

6 *Ad se in extremis angustijs clamitantes exaudijt, & ex illis ærumnis ereptos.*

7 *In rectam viam eduxit, & in vrbes commodas perduxit.*

8 *Celebrent igitur isti coram ipso Iehoua tantam hanc eius beneficentiam, cæterisq; mortalibus mirifica ipsius opera prædicent.*

9 *Qui siti anhelantes recreauit, & famelicos tam benignè refecerit.*

10 *Quàm multi rursus carcerũ tenebris & velut in ipsa mor-*

INTERPRETATIO.

1 CElebrate Iehouam bonus *est*: nam in sæculum *est* beneficentia eius.

2 Dicant istud redempti Iehouæ, quos redemit è manu opprimentium.

3 Et quos collegit è terris ab Oriente, & ab Occasu: à Septentrione, & à mari.

4 Errabant in deserto in solitudine extra viam: nec vrbem habitatam inueniebant.

5 Famelici *erant* ac sitibundi: anima eorum siti deficiebat.

6 Et clamauerunt ad Iehouã in angustia sua *qui* ex eorũ oppressione eripuit eos.

7 Et deduxit eos in viam rectam vt venirent in vrbem habitatam.

8 Celebrent *igitur* coram Iehoua clementiam eius, & mirabilia eius apud filios hominum.

9 Quia satiat animam cupidam, & animam famelicam implet bono.

10 Habitant *alij* in tenebris & vmbra mortis, deuincti an-

gustia

tis caligine concluduntur, animo quidem angustijs, corpore verò ferreis compedibus arctissimè constricti,

gustia & ferro.

11 Idq; meritò, quòd Dei mandatu omnium hominum menti insculptis rebelles, suis potius cupiditatibus quàm Dei consilijs sunt obsequuti?

11 Quia rebelles fuerunt verbis Dei: & consilium *numinis* excelsi spreuerunt.

12 Eorum tamen ferociam vbi sic perdomuit Iehoua, & eò sunt redacti vt nihil in quoquam opis inueniant:

12 Sed *postquam* humiliauit miseria cor ipsorum: & corruerunt, nec est qui adiuuet.

13 Illos ad se in istis angustijs clamitantes exaudit, & ex ærumnis ereptos,

13 Et clamauerunt ad Iehouam in angustia sua: ex pressuris eorum liberat eos.

14 Ex carcerum tenebris & mortis caligine, ruptis ferreis compedibus, educit.

14 Educit eos ex tenebris & vmbra mortis: & vincula eorum abrumpit.

15 Vos igitur tantam Iehouæ beneficentiam coram eo celebrate, cæterisq; mortalibus mirifica ipsius facta prædicate,

15 Celebrate igitur coram Iehoua bonitatem eius: & mirabilia eius apud filios hominum.

16 Qui portas æneas confregerit, & ferreos vectes contriuerit.

16 Quia confregit portas æneas: & vectes ferreos cõtriuit.

17 Quid de ijs præterea dixero, qui stultitia duce, flagitiorũ viam ingressi, & multiplicibus oppressi morbis, amentiæ pretium ferunt:

17 Stulti *alij* propter viam flagitiorum suorum, & propter iniquitates suas affliguntur.

18 Cibumq; omnem fastidientes, iam ipsum mortis limen pulsant?

18 Omnem escam abominatur anima ipsorum: & appropinquant ad portas mortis.

19 Quos tamen ad se in hac miseria clamantes Iehoua exaudit, & ex his ærumnis ereptos.

19 Et clamant ad Iehouam in tribulatione sua: & ex angustiis eorum seruat eos.

20 Vna tantùm emissa vocula,

20 Mittit verbum suum, & sa-

lethalibus omnibus morbi causis sublatis, sanitati restituit.

21 Celebrent igitur isti quoque coram Iehoua tantam eius beneficentiam, cæteris q; mortalibus mirifica ipsius opera prædicent.

22 Iehoua, inquam, sacrificia laudis offerant, & magno cum gaudio quid ipse in illis effecerit commemorent.

23 Cæterum, qui nauigijs maria ingressi, ibi versantur & in aquis negotiantur.

24 Ii demum magna Iehoua opera intuentur, & quàm ille sese admirabilem in illis maris gurgitibus immensis demõstret, ipsis oculis cernunt.

25 Nam simulatq; loquutus est, insurgunt statim horrificæ tempestates cientes venti: aquora confligentibus procellis intumescunt.

26 Ipsi cum nauibus vectores nunc in cælum vsq; attolluntur, nunc ad imos gurgites, animis præ formidine colliquatis, desoluuntur.

27 Agitant illos in gyrum turbines: hinc & illinc ebriosorum more vacillant: nullus artis, nullus viribus relinquitur locus.

28 Quos tamen ad se in hac angustia clamantes Iehoua ex ijs quibus premebantur miserijs eruit.

29 Procellas enim idem qui excitat eos: & eripit eos ex omnibus corruptionibus eorum.

21 Celebrent igitur coram Iehoua misericordiam eius, & mirabilia eius apud filios hominum.

22 Et sacrificent sacrificia laudis: & prædicent opera eius cum exultatione.

23 Qui descendunt in mare nauibus: qui occupant negotia in aquis magnis.

24 Hi vident opera Iehouæ & mirabilia eius in profundo.

25 Loquutus enim & suscitat surgere ventum procellæ: qui in sublime attollit fluctus eius.

26 Ascendunt in cælum, & descendunt in abyssos: anima eorum miseria dissolvitur.

27 Agitantur in gyrum, & vacillant sicut ebrius: & omnis sapientia eorum absorbetur.

28 Et clamant ad Iehouam in angustia sua, qui ex oppressionibus eorũ liberat eos.

29 Facit consistere procellam

tarat compescit, & subitò tẽpestates fluctuum conticescũt.

30 Illi verò, sedatis fluctibus, lati, tandem in portus optatos ab ipso prouehuntur.

31 Agite igitur, vos quoque tãtam Iehouæ beneficentiam coram ipso celebrate, cæterisq; mortalibus mirifica ipsius facta prædicate.

32 Extollant, inquam, isti Iehouam, in media populorum circunstantium corona, & in ipsorum primatum consessu collaudent.

33 Idem ille quoties libuit solitudines in fluuios, locos irriguos in deserta sitientia conuertit.

34 Fœcundissimas regiones incolarum sceleribus irritatus in meram salsuginem cõmutat.

35 Contrà, desertis & incultis antea propter ariditatem regionibus scaturientes atque adeò redundantes passim aquas inducit.

36 Ibique miserè prius victitantes homines collocat, qui populosissimas etiam vrbes extruant.

37 Agros serant, vites plantent, fruges copiosè metant.

38 Ipse videlicet pro benignitate singulari sua tum ipsos multiplicante, tum ipsorum armẽta mirum in modum augente.

39 Et isti rursum, eodem sic rerum vices disponente, imminuti, angustijs, omniq; cala-

in silentio: & silescunt fluctus ipsorum.

30 Et lætantur, quia sedati sunt, & deducit eos ad portum desiderij ipsorum.

31 Celebrate Iehouæ beneficentiam eius: & mirabilia eius inter filios hominum.

32 Et extollant eum in populi cœtu & in consessu senũ laudent eum.

33 Redigit flumina in desertum: & scaturigines aquarum in sitim:

34 Terram fructiferam in salsuginem: propter malitiam habitantium in ea.

35 Redigit desertum in stagnum aquarum: & terram solitudinis in scaturigines aquarum.

36 Et facit illic habitare famelicos, qui constituunt vrbem habitationis.

37 Et serunt agros, & plantant vineas, & faciunt fructum prouentus.

38 Et benedicit eis, & multiplicantur valde: & iumenta ipsorum non minuit.

39 Postea minuuntur & deiiciuntur præ angustia, malo, & ærumna.

mitatum ac miseriam genere attriti deprimuntur.

40 *Idem etiam principes cunctis contra formidabiles omni auctoritate detracta, vt quò se vertant, nusquam inueniant, contemptissimos & despicatissimos reddit.*

41 *Idem inopes & oppressos erigit, & familias instar gregis propagat.*

42 *Hæc igitur intuentes obserunt quicunque recto sunt iudicio prædti, & summam inde voluptatem capiant: contrà verò scelerati omnes diuina prouidentia obtrectantes confusi obmutescant.*

43 *Ecquis igitur vera sapientia appetens considerâdis istis se totum dedet, vt immensa Iehoua bonitatis notitiam assequatur?*

4 Effundit contemptum in principes, & errare facit eos in inanitate, sine via.

41 Et erigit egenum ex afflictione, & ponit instar gregis familias.

42 Videant recti & lætentur: & omnis iniquitas (*id est scelerati omnes*) contrahat os suum.

43 Quis *est* sapiens vt hæc obserues, vt *horum* intelligat bonitates Iehouæ?

Idem Psalmus centesimus septimus, dicolos distrophos. vt decimus quartus.

1 EIa Deum cantate bonum. cantate benignum,
Cunctísque largum seculis,
2 Dicite crudeli quos ille redemit ab hoste,
Vos dissipatos colligens,
4 Quâ sol exoritur, qua noctis conditur vmbris,
Quâ mundus æstuat, & riget,
4 Vt miseros quondam per inhospita saxa vagantes,
Fame sitíque torridos,
5.6 Clamantes vos semianimes exaudyt ille,
Malísque cunctis eruit.

7 Deduxítque

7 *Deduxitq; vijs deserta per ardua rectis,*
Cultisq; statuit vrbibus,
8 *Clementem hunc, inquam, cantate, & dicite cunctis,*
Res iste quantas gesserit.
9 *Quos miseros vesana fameq; sitiq; necabat,*
Potu ciboq; recreans.
10.11 *Vos quoque contempti tandem quos numinis iræ*
Eius rebelles vocibus,
Carceribus clausit tetris, mortisq; per vmbras
Vinclis reuinxit ferreis,
12 *Quos tandem edomitos longo fera corda dolore,*
Opisq; prorsus indigos,
13 *Audijt oppressos tantorum mole laborum,*
Potenteq; eruit manu,
14 *Carceris & tetri è tenebris, ac mortis ab vmbris,*
Ruptis reduxit vinculis,
15 *Clementem hunc cantate alacres, & dicite cunctis*
Res iste quantas gesserit.
16 *Ingenti abrumpens ærato robore postes,*
Vectesq; frangens ferreos.
17 *Vos quoque neglecto qui recti tramite, tantæ*
Pœnas luitis amentiæ,
18 *Prostratis quibus est cibus omnis nauseæ, mortis*
Pulsantibus iam limina,
19.20 *Quos tamen ad sese clamantes audit, & vnam,*
Semel loquutus voculam,
Quamlibet oppressos seruat, velutiq; sepulchro
Putres iacentes eximit,
21 *Clementem hunc cantate alacres, huiusq; sonoris*
Res iste quantas gesserit:
22 *Huic, inquam, laudes cantate, huiusq; sonoris*
Narrate gesta cantibus.

23 *At vos tranantes pictis vada salsa carinis,*
Maris coloni diuitis,
24 *Magna Dei vere miracula cernitis, alti*
Dispersa campis æquoris.
25 *Nam simulac iussit, rabidi tota æquora venti*
Ad ipsa tollunt sydera,
26 *Abripitur pariter ratis, & nunc nubila tangit,*
Tumente vecta gurgite,
Tartara nunc contra præceps contendit ad ima,
Ipsisq; iungitur inferis.
27 *Vorticibus miseri vitubant hinc vndique nautæ,*
Ceu turba nutat ebria.
Nil artis præcepta iuuant, animiq;, manusq;,
Spe destitutis concidunt.
28 *Clamant: clamantes superùm pater audit, & istis*
Angustijs mox eripit.
29 *Æquora iussa cadunt subitò, fluctusq; silentes*
Tranquilla lambunt littora.
30 *Incolumes illi optato se littore condunt,*
Miris ouantes cantibus.
31 *Clementem hunc igitur cantate, & dicite cunctis*
Res iste quantas gesserit.
32 *Narrate hunc, inquam plebisq; senumq; cœtus,*
Dignisq; ferte laudibus.
33 *Irriguum iste solum siccis immutat arenis,*
Quæ tota sorbent flumina,
34 *Et fœcunda prius, salsugine tura colonis*
Iratus implet impijs.
35 *Hic siccis contra fontes educit arenis,*
Desertaq; madidas sola c
36 *Infamesq; fame campos mortalibus implet,*
Vrbis frequentis incolis.

37 Hic

37 *Hic segetes illic assurgunt ordine vites,*
Hinc messis, hinc vindemia.
38 *Succrescit numerosa hominum pecudumq́; propago,*
Fauente numine cœlitus.
39 *Et tamen his rursum casus, varijq́; labores*
Temporibus imminent suis.
40 *Expositis varia in ludibria regibus ipsis,*
Inq; vltima repulsis sola,
41 *Elatis contra miseris, multaq́; beatæ*
Prole sterilem prius domum.
42 *Hæc hilares spectate boni, cogantur ad ista*
Vt impij obmutescere.
43 *Ecquis erit verò sapiens qui denotet ista,*
Bonum vt Deum norit satis?

Psalmus centesimus octauus.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi octaui.

Conflatus est hic Psalmus partim ex quinquagesimi septimi versiculis 7.8.9.10.11. partim ex sexagesimi versiculis 5.6.7.8.9.10.11.12. ex quibus petendum est eius argumentum.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 TOta corde comparatus, te, Deus, celebrare, tum voce, tum fidibus gestio. Agedum igitur lingua.

2 *Agedum nablium & citharа, mecum diluculo expergiscimini.*

3 *Audient me gentes ipsa remotissima laudes tuas prædicantem, audient populi tibi psallentem.*

4 *Nam certè ad cœlos vsque tua sese bonitas extulit, & ad nu-*

INTERPRETATIO.

1 PAratum est cor meum Deus: cantabo & psallam: etiam gloria mea canam.

2 Exurge nablium & citharа: excitabor diluculo.

3 Celebrabo te inter gentes Iehoua: & psallam tibi inter populos.

4 Quia magna est vsque supra cœlos bonitas tua: & vs-

bes vsque veritas tua.

5 Patefacito, Deus, te supra cælos esse, & gloriam tuam vniuersis terrarum orbi demonstra.

6 Vt liberentur ij quos diligis. Serua igitur illos viribus tuis, & me exaudi.

7 Et certè ita fiet, Deus ex adyto suo nobis loquuto. Itaque totus iam de victoria exulto. Daturus enim est mihi Deus vt hostibus debellatis regnum meum compleam. Itaque Sichemitarum agros assignabo, Succhoti vallem demetiar.

8 Meo Gileado & Manasse trãs Iordanem, repulsis vicinis gẽtibus, potiar. Ephraimus pars erit militiæ meæ potissima: penes Iudam iuris tribunal collocabo.

9 Alienigenæ verò quantumuis feroces, seruiles operas mihi præstabunt. Moabita peluim abluendis meis pedibus subijcient. Idumæos inhebo exuitos mihi calceos & in ipsorum caput proiectos attollere. De superba Palæstina cum latis acclamationibus triumphabo, sicut de nobis antea triumphauit.

10 Sed quo tandem duce tot munitas vrbes occupauero? & quibus viribus fretus vsque in Idumæam peruenero?

11 Te nimirum duce, tuisq; vnis viribus fretus, mi Deus, quãuis nos antea repuleris, & no-

que ad nubes veritas tua.

5 Exaltare super cælos Deus: & supra omnem terram gloria tua.

6 Vt eripiantur dilecti tui: serua dextera tua, & exaudi me.

7 Deus loquutus est in sanctuario suo: lætabor, diuidam Sichem: & vallē Succoth demetiar.

8 Meus est Gilead, & meus est Manasse: & Ephraim robur capitis mei: Iuda legislator meus.

9 Moab olla lotionis mez: super Edom proiiciam calciamenta mea super Palæstinam ouabo.

10 *Sed* quis adducet me in vibes munitas? quis deduxerit me ad Edom?

11 Nónne tu Deus *qui* repulisti nos: Deus inquam non egredi solitus cum exercitibus

stris exercitibus præire diu recusarit.

12 Tu nobis igitur post tot annorum calamitates, adesto. Vana enim est salus quæ ab hominibus expectatur.

13 Solo Deo freti strenuè rem geremus. Hic vnus hostes nostros conculcabit.

tibus nostris?

12 Adfer nobis auxilium à tribulatione: nam vana est salus hominis.

13 Deo freti faciemus fortiter, & ipse conculcabit aduersarios nostros.

Idem Psalmus centesimus octauus conflatus ex Psalmo quinquagesimo septimo & sexagesimo, partim dicolos, distrophos vt primus, & monocolos vt secundus.

1 *GEstit animus, gestit animus & ore & lyra*
Sacris vacare cantibus.
2 *Insurge lingua, & tu excitare barbitos,*
Et vos adeste nablia.
3 *Vt te orbe toto luce prima, mi Deus,*
Fidibus & ore prædicem.
4 *Tua nanque bonitas celsa superat sydera,*
Nubesq́, tua scandit fides,
5 *Attollere in cœlos, Deus, & istud tuum*
Fac emicet terris iubar.
6 *Vindex prodi agedum, Deus, tuorum,*
Nostras nec rigidus preces repelle.
7 *Sed quid pluribus hic opus, sacrato*
Quum sit ex adyto Deus loquutus?
Immò iam salio & triumpho totus.
Valles diuido iam Sucotianas,
8 *Iam meus Galaadus, & Manasses.*
Tu robur validi Ephraime regni,

Tu prætor mihi Iudæ, tu lauanti
9 *Peluim subijcito mihi Moabe,*
Præbe tu mihi calceos Idume,
Palestine mihi para triumphos.
10 *Munitas sed enim quis vsque in arces,*
Quis me in culmina ducet vsque Idumes?
11 *Nempe tu Deus, ille qui repulsis*
Nuper desieras præire nobis.
12 *Ergo nunc ades, atque tot periclis*
Tuos erue. Nanque tota fallax
Est salus hominum vtlibet potentum.
13 *Te vero duce, te fauente fretis.*
Nobis difficile est nihil futurum.
Te, te, inquam duce, quamlibet superbus
Nostris sub pedibus iacebit hostis.

Psalmus centesimus nonus ἐυκτικος.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi noni.

Scriptus est hic Psalmus à Dauide vsque adeò terribili & horrifica oratione vt vix vllum in tota sacra scriptura simile exemplum inuenias. Itaque cum maximo iudicio legendus est & in precibus vsurpandus: nec tamen nullus est ipsius vsus modo cautiones istas adhibeamus. Primùm videlicet ne vindictæ spiritu aut falso zelo impellamur, sed ut potius vnicam Dei gloriam seriò & ita vt ipse iubet quæramus: deinde nec quum non facilè appareat nobis quinam peccent ad mortem, & precari pro quorumuis resipiscentia & salute teneamur, temere aduersus certas personas istis aut similibus precibus vtamur. Nam alioqui nobis vero Dei zelo impulsis indefinitè, & cum occultorum Dei iudiciorum exceptione, aduersus deploratæ improbitatis hostes operam suam Satanæ locantes, & mala conscientia Christum & eius membra inhumaniter persequentes, concipiendas esse preces vt illos malos malè perdat, vel ex eo liquet quod quotidie precari nos iubet ipse Christus vt Dei regnum adueniat: quod certè nisi euerso Antichristi regno, & destructis omnibus Euangelii & veræ Ecclesiæ

clesiæ deploratis hostibus fieri non potest. Imò talium quoque imprecationum aduersus certas Personas conceptarum, exemplum non hoc tantum & alia præterea in Psalmis habemus, sed etiam in Pauli scriptis, vt Gal. 5. 12. & 2. Timo. 4. 14. & in Petro Act. 8. 20. quamuis execrationem illam postea mitiget. Sed & vetus Ecclesia aduersus Iulianum Apostatam & has ipsas & alias eiusmodi preces effudit quas fuisse exauditas euentus ipse comprobauit. Et certè nisi interdum illis vti liceret, frustraneum esset quod scribitur. 1. Ioh. 5. 16. Verùm trahenda non sunt ista ad exemplum, & vt ante dixi cauendum summopere ne vel cupiditate vindictæ vel falso zelo, vel temerè ista vsurpantes, in vtramque aut alteram legis diuinæ tabulam peccemus, & quæ aliis imprecamur, in nostrum ipsorum caput conuertamus. Ad Dauidem autem & ad hunc Psalmum quod attinet, quantã odiorum acerbitatem sit expertus, & quam crudeliter Saul cum suis immeritò multis annis sit cum persecutus, ex ipsius historia intelligi potest: nec tamen illum fuisse odio priuato aduersus Saulem impulsum, apparet ex eo quòd toties illi pepercit, neque in toto illo exilio quicquam crudeliter fecisse legitur. Spectauit igitur vnam Dei gloriam & regni instaurationem, Dei promissionibus fretus. Præterea prophetico prorsus spiritu & vt ipsius Christi, typum ista fuisse loquutum Dauidem euentus ostendit, & Petrus ipse nos docet. Act. 1. 20. congruentibus prorsus tum Christi præsertim mortis historia, & pœnis quas nunc quoque miseri Iudæi luunt, iis que Dauid de se & hostibus suis hoc Psalmo pronuntiat. Quisnam autem iste sit in quem peculiariter Dauid hæc tela contorsit, etsi statui certò nequit, iudicio tamen maximè probabilem esse sententiam eorum qui ad Doegum hæc referunt. Congruunt enim cum ipsius facinore quo nullum horribilius vnquam contigit: & versiculus huius psalmi decimus sextus quasi digito commonstrat temporis illius circumstantiã. vt etiam versiculus octauus, mentionem faciens præfecturæ. Et quamuis sacra historia nullam postea facit Doegi mentionem, ambigi tamen non potest quin ratæ fuerint istæ in illum propheticæ execrationes, quales etiam antea vidimus in illum disertè conceptas Psalmo quinquagesimo secundo. Denique norint omnes qui Doegi vel Iudæ exemplum sequuti Ecclesiam hodie non minus crudeliter persequuntur, ac nominatim quicunque odia etiam à maioribus suis accepta, exercentes ad immanissimas innocẽ-

tissimorum hominum lanienas Reges à se fascinatos inciteant iampridem non destiterunt, & quorum ne nunc quidem exaturata est inhumanitas sciant, inquam isti, etiam si Ecclesiæ preces istas non ita præcisè aduersus eos adhibuerit, sibi tamen & suis (nisi fortè, quod sanè malim, resipuerint) easdem, ac fortassis asperiores pœnas in hoc etiam seculo imminere, quod iam eorum non paucis euenit.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *DEus, meum vnicum decus, & cuius iudicio probari, atq; adeò vt innoceptem me laudari scio, quem isti tanquam nocentissimum damnant, ne nunc sileto.*	1 DEus laudis meæ, ne sileas.
2 *Vides enim quot falsissimis calumnijs ab hominibus improbis, fraudulentis, & mendacibus impetar:*	2 Quia os impii, & os fraudis super me aperta sunt: loquuti sunt mihi lingua mẽdacii.
3 *Quantis odijs in me tum verbo tum re ipsa, ne qua elabi possim, inuehantur: quam immeritò denique me oppugnent.*	3 Et verbis odii circumdederunt me: & oppugnauerunt me sine causa.
4 *Nam illi certè mihi inimicitias pro amicitia rependunt: mihi verò vnicũ superest precum perfugium.*	4 Pro dilectione mea aduersantur mihi: & ego oro (*id est ad preces confugio.*)
5 *Pro beneficijs, inquam, iniuriam, pro amore mihi odiũ reponunt.*	5 Et posuerunt super me malum pro bono: & odium pro dilectione mea.
6 *Ille præsertim sceleratissimus, qui quũ in bonos & pios potentia sit abusus, subijce vicissim illum homini cuipiam improbo, cuius libidini sit obnoxius: & facito vt ad latus vicissim semper æmulos ha-*	6 Præfice super eum impium & aduersarius stet ad dexteram eius:

7 Dum

ius, & qui cognatibus eius
gratiam.

6 Maledicatur in ius, nec vnquam in-
ueniat nisi damnatus abeat, & quot
quod iudicem preces adhibe-
at tot sibi mulctas accersat.

7 Breuis sit ipsius vita, eique
de sua functione deturbato a-
lius succedat.

8 Pupillos liberos, uxorem vi-
duam relinquat,

9 Errones, perditu vestatisque
omnibus ipsorum rebus, ostia-
tim ipsius liberi victum emen-
dicent.

10 Et ipsum & omnes eius fa-
cultates inexplicabilibus suis
laqueis immites fœneratores
irretiant, & quicquid impro-
bis laboribus acquisiuit, ho-
minibus cedat nihil ad eũ at-
tinentibus.

11 Nemo ex ijs qui ipsi bene an-
te voluerint constatem in eũ
amicitiam seruet: nemo ipsius
pupillos commiseretur.

12 Pereat funditus ipsius genus,
& in altera sobole deleatur.

13 Peccata nõ tantum ipsius sed
etiam patrũ & auorum eius:
itá idemque materni generis
ipsius Iehoua in memoriam
reuocet, nunquam illa deletu-
rus.

14 Imo versentur illa semper in
Dei conspectu, donec ipsius
memoria penitus aboleatur.

15 Id enim profectò merentur i-
pſius mores vt sceleri pœna re-

7 Dum iudicatur ipse, exeat improbus (*id est reus & scelerũ damnatus*) & preces eius vertantur in peccatum.

8 Sint dies eius pauci: præfecturam eius accipiat alter:

9 Sint filii eius pupilli: & vxor eius vidua.

10 Et vagando vagentur filii eius & mendicent: & quærant è locis suis vastatis.

11 Illaqueet fœnerator quæcunque *sunt* illi: & diripiãt extranei laborem eius.

12 Non sit ei prorogans beneficentiam: & non sit qui misereantur pupillorum eius.

13 Sit posteritas eius in exitium: in generatione altera deleatur.

14 In memoriam veniat iniquitas patrum eius, coram Iehoua: & scelus matris eius non deleatur.

15 Sint coram Iehoua semper: & deleat è terra memoriam ipsorum.

16 Quia non est recordatus vti benignitate, & perse-

spondeat, vt qui tam fuerit omnis humanitatis expers, vt me nullo meo merito afflictum, à quibus minimè oportuit desertum, animo denique consternatum, non modò nõ sit commiseratus, sed etiã ad necem quæsierit.

17 *Placuit sibi in maleficijs, quæ potius recidãt in ipsius caput, & sicut omnis humanitatis fuit hostis, illa procul ab eo refugiat.*

18 *Immò omne calamitatis genus cum ira tua cõiunctæ ipsi tanquam vestis quædam adhæreat, atque adeò ipsum totũ inuadat, sicut potus intra corpus assumptus in ipsa viscera & vis olei in ipsa vsque ossa penetrat.*

19 *Sitque ipsi miseria perpetua quasi palliũ quo totus operiatur, & quasi cingulum quo semper accinctus prodeat.*

20 *Et hoc quidem suorum scelerum præmium à Iehoua reportent qui mihi aduersantur, & suis calumnijs exitialibus perniciem mihi machinantur.*

21 *At tu contrà, Iehoua Domine mi concede hoc mihi tui ipsius nominis causa, vt pro immensa benignitate tua me eripias.*

22 *Sum enim miserrimus, & prorsus inops, & animo ipso grauissimè saucius.*

23 *Euanesco sicut vmbra incli-*

cutus est virum miserum & egenũ: & cõtritum corde, vt interficeret.

17 Et dilexit maledictionem, & veniat ei: & non placuit ei benedictio, *ideo* elongetur ab eo.

18 Et induatur maledictione quasi vestimento: & veniat, tanquam aquæ, in interiora eius: & sicut oleum in ossa eius.

19 Sit ei quasi pallium quo operiatur: & cingulum quo se semper accingat.

20 Hoc opus *esto* aduersantium mihi à Iehoua: & loquentium malum super animam meam.

21 Sed tu, Iehoua Domine, age mecum propter nomẽ tuum: quia bona clementia tua, eripe me.

22 Quia miser sum & inops: & cor meum vulneratum est intra me.

23 Sicut vmbra dum inclinat, transeo:

[illegible] luce, & tanquam locusta huc & illuc saltito.

24 *Præ inædia labascunt genua, & corpus, colloquato omni succo, contabuit.*

25 *Et, quòd est omnium acerbissimum, tantum abest vt isti vllo misericordiæ sensu tangantur, vt contra ex eo ipso conuiciandi occasionem arripiant, & si fortè me vidēt caput per ludibrium agitent.*

26 *Opitulare mihi Iehoua, mi Deus: & libera me pro benignitate singulari tua.*

27 *Ede insigne opus, vt omnes me non humanis viribus sed tua vnius ope ac potentia seruatum esse fateantur.*

28 *Agedum igitur, maledicant isti mihi quādiu volent, dummodo tu mihi bene velis: insurgent enim, sat scio, sed illos tandem sui pudebit, & ego seruus tibi addictus exultabo.*

29 *Induentur, inquam, hostes mei ipsamia: & dedecore, quod vltro sibi accersiuerint, quasi veste operientur.*

30 *Ego verò Deum palam prædicans, ipsius beneficia impensè collaudabo, & audientibus omnibus populis celebrabo.*

31 *Vt qui adsit inopibus ad latus, vt eorum ad se prouocantium vitam aduersus iniustas condemnationes tueatur.*

transeo: exagitor quasi locusta.

24 Genua mea collapsa sunt præ inædia: & caro mea exaruit à pinguedine *id est amisi succum & pinguedinem omnem.*

25 Ego autem factus sum opprobrium illis: dum vident me, mouent caput suum.

26 Adiuua me Iehoua, mi Deus: saluum me fac secundum clementiam tuam.

27 Et agnoscant, quòd manus tua hæc *sit*, & quòd tu, Iehoua, *hoc* feceris.

28 Maledicant illi, at tu benedices: insurgunt *illi* sed pudefient, & seruus tuus lætabitur.

29 Induentur aduersarii mei probro: & operientur quasi pallio, pudore suo.

30 Laudabo Iehouam valde ore meo & in medio multorum celebrabo ipsum.

31 Eo quòd stet ad dexteram pauperis: ad seruandum à cōdemnantibus animam eius.

Idem Psalmus centesimus nonus, monocolos, carmine Iambico dimetro acatalectico, vt decimus.

1 *DEus ô meum vnicum decus,*
Ne me silens nunc desere:
2 *Quem sic lacessiunt impij,*
3 *Quem fraudulenti sic petunt,*
Quibuis periti fingere,
Et immerentem hostiliter
Tot obruunt calumnijs.

4. 5 *Odêre nanq; illi sibi*
Perspectum amicum millies,
Collata tot damnis sibi
Remunerati commoda:
Quæ cuncta perferens tamen,
Ad te recurro, mi Deus,
Te precibus vrgens sedulis.

6 *Fac hunc vicissim vt impij*
Dura premant Tyrannide,
Fac quicquid ipse comparet,
Ipsi adsit hostis ad latus.
7 *Fac vt tribunal palleat*
Damnatus ante iudicum,
Precando quos exasperet,

8 *Fac pauculos viuat dies,*
Cedatq; munus alteri,
6 *Vidua relicta coniuge:*
Orbosq; linquat liberos,

10 *Vacil-*

10 Vacuis vagos penatibus,
Victum ostiatim quærere
Vesana quos cogat fames.

11 Ipsius & domum & bona
Oppignerata fœnore
Euerrat acer creditor,
Feriq́, vastent exteri:
12 Quisquam nec ipsum supplicem,
Vllos nec eius liberos
Quamuis iacentes subleuet.

13 Eius propago funditus
Cum prole pereat altera.
14 Eius patres tot seculis
Gessere quicquid improbe,
15 Materq́, quicquid ipsius
Peccauit, alto numinis
Maneat repostum pectore.

16 Hæc Numen, inquam, crimina
Obseruet vsque peruigil,
Immanis huius vt viri,
Miserũ me, & inopem, & omnibus
Sic obrutum doloribus,
Ipsam petentis ad necem,
Semel omne deleat genus.

17 Nocere cunctis perditus
Vt iste studuit vnice,
Prodesse verò nemini:
Ipsi nocere quilibet,
Prodesse nemo sic velit,

18 *Hunc veſtis inſtar deniq́,*
Totum tegant opprobria.

Ipſumq́ fixa lanciment,
Epotæ vt vſque tranſeunt
Ad ipſa lymphæ viſcera,
Et vnguinis vis illiti
Ad oſſa fertur intima:
19 *Inſtarq́ veſtis obtegant,*
Inſtarq́ cingant cinguli.

20 *Hic exitus conatuum,*
Auctore ſancto Numine,
Obtingat hoſtibus meis,
Necem ſtruentibus mihi.
21 *At tu, Deus, tui memor*
Mè liberato nominis,
Tuam probans clementiam.

22 *Mœrore nanq́ tabidus,*
Intusq́ curis ſaucius,
Inopsq́ totus marceo.
23 *Et ſera ſub crepuſcula*
Cadunt vt vmbræ, concido,
Et ceu locuſta ſaltitans,
Hinc inde pulſus exulo.

24 *Longis labans ieiunijs,*
Et colliquatum protraho
Vix hoc miſer corpuſculum:
25 *Et iſte me probris tamen*
Dictisq́ figit acribus,

Capuţ

Caputq; motans, asperis
Visum cachinnis impetit.

26 *At tu, Deus mi, me adiuua,*
Et te benignum comproba;
27 *Omnes vt hoc opus tua*
Norint peractum dextera,
28 *Fac quæ imprecati sunt mala,*
Vertantur in totidem bona,
Lætamur his vt tristibus.

29 *Hos denique omne dedecus*
Inuoluat à calce ad caput,
30 *Vt te palam deprædicem.*
Deum assidentem pauperi,
31 *Iustumq; eorum vindicem*
Quos improborum factio
Iam destinarat ad necem.

Psalmus centesimus decimus

διδακτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi decimi.

Hunc longè pulcherrimum & pretiosissimum Psalmum commodè vocari posse puto Euangelij promissi epitomen, in quo videlicet (quantumuis Iudæi in reprobum sensum traditi conentur luci tenebras inferre) tum maxima perspicuitate, tum inimitabili breuitate ista nostræ salutis capita explicantur.

1. Christi Deitas vers. 1. Christo ipso interprete Matth. 22. 43. & deinceps. Nam hominem fore & quidem ex Dauidis stirpe ne ipsi quidem hostes Christi dubitabant.

2. Eiusdem humanitas, regia cum potestate æterna & in cælo & in terra, atq; adeo cum nomine quod est, excepta ipsa deitate, supra omne nomen: ac proinde personæ in duabus

naturis vnitas, citra tamen Eutychianam siue Maiestaticam omnem præsentiam: eodem versiculo, his verbis, Sede à dextris meis, interprete Aposto. Heb. 1. 12.

3 Eiusdem Regis bella & victoriæ aduersus omnes hostes cum visibiles videlicet tum inuisibiles: eiusdem versiculi primi postrema parte, interpretibus Apostolis 1. Cor. 15. 24. & deinceps, & Heb. 10. 13.

4 Vnde sit Rex iste hoc imperiũ auspicaturus, vers. 2. interprete Esaia 1. Esa. 2. 3. & latrone pẽdente in cruce, Luc. 23. 42. cui Pilatus etiam ipse imprudens tribus linguis subscripsit.

5 Veræ Ecclesiæ (id est eorum qui hostibus huius regis opponuntur) exacta descriptio, versiculo tertio. Primùm quod sint populus vltrò & sine simulatione obsequẽs. Deinde quòd vt milites sub cuius signis militent ex habitu aut aliis symbolis dignoscuntur, ita huius sanctissimi Regis copiæ ex sanctitate internoscantur. Sanctitas autem ista proculdubio est coram Deo Christus ipse qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, & in quo sumus ἄμωμοι καὶ ἄπτωτοι coram hominibus autem ipsius fidei fructus: quod declarat propheta formulam loquendi sumens ex sacerdotum & Leuitarum ornatu, in quo solennibus præsertim diebus, coram Deo in suis singuli stationibus apparebant. Tertiò significat decus istud nunc quidem veluti latere sub cruce & ærumnis quibus obnoxia est Ecclesia, sed quod sumus, vt scribitur 1. Iho. 3. 2. apparituram die illo lustrationis Ecclesiæ, cuius meminit Petrus Act. 3. 21. 2. Paulus 1. Cor. 15. 28. Quarto loco piorum cœtum qnantumuis ærumnosum comparat cum lectissimorum iuuenum exercitu, vt nouerimus perfici Dei virtutem in nostra infirmitate, quæ vis potissimum emicuit in prima Ecclesiæ Christianæ nascentis infantia, magno quidem succedentium dedecore. Denique omnia ista id est & Ecclesiam ipsam & dona omnia quibus exornatur, pulcherima & accommodatissima similitudine, dicit rorem esse cælitus quasi exauroræ vtero delapsum id est meram gratuitæ bonitatis patris cœlestis donum.

6 Alterius muneris Christo impositi, id est sacerdotii æterni & iureiurando sanciti, repetita etiam sub Melchisedeci typo vtriusque naturæ in vnicum ὑπὸ στάμενον coniunctione, absolutissima descriptio, versiculo quarto, cuius quot & quanta sint mysteria toto epistolæ ad Hebræos capite septimo declaratur.

7 Denique

7 Deniq; versiculis 5.6.7. certamina ipsius in primis Christi, ac deinceps etiam Ecclesiæ, à primordiis patefacti Euangelij ad alterum Christi aduentum, aduersus potentissimos quosq; principes, ac præsertim aduersus Satanam huius mundi tyrannum sequutura, nisi per monarcham: cuius speciatim meminit vers. 6. Imperium Romanum, & Antichristum ipsius videlicet imaginem, intelligere malimusquod postea explicauit apertius Daniel 2.44. & Iohan. in Apocalypsi: tanto gloriosiore tum ipsius ducis, tum etiam militum futuro triumpho, quanto fuerit fortius ac diutius certatum.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *SVnt quidem cæteri patres filiorum suorum domini, sed promissus ille mihi filius, dominus meus est, Deus videlicet æternus: & quatenus etiam verus homo erit, ex meo genere nasciturus, à Iehouæ qui hoc ab æterno decreuit, eò vsque euehetur vt sit ad dexteram eius sessurus, id est omnibus rebus conditis sine vlla exceptione dominaturus. Non deerunt tamen hostes plurimi & potentissimi qui regnanti reluctentur, sed quorum omnium irriti futuri sint conatus, siquidem Iehoua omnes illos, ne vno quidē excepto, pedibus ipsius conculcandos subijciet.*

2 *Regnum autem istud æterna firmitatis ad omnes terrarum fines, imò, vt modò dixi, ad ipsum vsque Dei dextrā prouehendum, tradet ei Iehoua in*

INTERPRETATIO.

1 DIxit Iehoua Domino meo sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedibus tuis.

2 Sceptrum potentiæ tuæ emittet Iehoua è Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

manus in Sion, cuius impensa tanta via erit, vt quo plures habuerit hostes eò sit illustrius & conspectius futurum.

3 Populus verò qui sese vltro & ex animo regendum illi tradiderit, postquam insignia trophæa ex hostibus reportata, die illo quo Rex, perdomitis omnibus inimicis, copias suas omnes triumphaturus lustrabit, apparebit coram eo, triumphalibus & ipse vestibus sacris, mundissimis, & splendidissimis exornatus. Tunc, inquã, ô Rex lectissimorum iuuenum auorum agmina conspicies, quæ tibi caelestis illius lucis aurora secundissimo suo rore in terras effuso pepererit.

4 Neque verò miremini factam à me sacrarum vestium mentionem. Omnia enim hic erunt sacratissima & ab omni impuritate penitus semota, ab isto nimirum Rege simul potentissimo & sacratissimo sacerdote consecrata. Nam hunc quoque Iehoua, & quidem adhibito inuiolabili iureiurãdo, sacerdotẽ designauit, eúmque non vt Aaronem & eius posteros, mortales videlicet & caduca offerentes, sed aternum & spirituali victima purissima (seipso videlicet) semel oblata, suos in aternum Deo reconciliaturum, cuius sacerdotij æterni typus fuit magnus ille Melchisedekus,

3 Populus tuus vltroneus in die ostentationis copiarũ tuarum aderit cum ornatibus sanctitatis: ex vtero auroræ tibi erit ros iuuentutis tuæ.

4 Iurauit Iehoua, neque pœnitebit eum, dicens, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedek.

5 Do-

ſicuti nobis à Moſe deſcribitur.

9 Tu igitur ſancte cœtus, quibuſcunque tempeſtatibus iactetur, ſecurus eſto, tanto Rege ac ſacerdote fretus. Aderit enim ipſi tibi ſemper ad latus & Reges ipſos tibi aduerſantes temporibus ac momentis quæ ſapientiſſimè præſinit, iratus conteret.

5 Dominus aderit ad dexteram tuam: confringet in die iræ ſuæ reges.

6 Populus autem longè latéq; ſui quidem ſeruatis, rebellibus verò edita horribili paſſim ſtrage, imperio ſuo ſubijciet, & monarcham ipſum latiſſimè dominantem euertet.

6 Imperabit inter gentes, cumulabit cadauera, confringet caput *dominans* ſuper terras multas.

7 Bibet tamen ipſemet quoque ex torrẽte ante hos triumphos, & arumnas omnes duriſſima militia perferet, quibus abſorptus ac ſubmerſus videri poſſit: ſed tantum abeſt vt inde detrimenti quidquam patiatur, vt contrà hac ipſa ratione caput ſempiterna gloria coronatum ſit altiſſimè ſublaturus.

7 Ex torrente in via bibet, *ſed* propterea efferet caput.

Idem Pſalmus centeſimus decimus, monocolos, carmine Iambico dimetro atacalectico, vt decimus tertius.

1 TV dexter aſſide mihi,
Dixit meo Domino Deus,
Subſellij tibi vice
Super ba donec hoſtium
Colcand a colla præbeam.

2 *Sionis autem ab arcibus*
Prodibit istud præpotens
Auctore sceptrum numine,
Quantumlibet rebellium
Regnator vt sis hostium.

3 *Vtroq́, victori tibi*
Ducent triumphos, splendidis
Sacrisq́, cinctæ vestibus,
Sponte obsequentium militum
Illæ thorum copiæ.

Es qualis auroræ ex sinu
(Cœleste donum) prodiens
Ros prata pingit gemmea,
Infantium proles tibi
Talis orietur cœlitus.

4 *Iurauit hoc enim Deus*
Fallente nunquam dextera,
Melkisedec qualis fuit,
Sacratus es talis mihi,
Seclis sacerdos omnibus.

5 *Vos iste, vobis ad latus*
Adstans, iuebitur potens,
Iraq́, certo tempore,
Regum potentum quamlibet
Mox robur omne conteret.

6 *Gentes domabis hic feras,*
Hic hostium rebellium

Campos replebit stragibus:
Hic imperantem plurimis
Franget Tyrannum gentibus.

Et hic quidem laboribus
Deuincet hostes, in via
Torrente potus turbido,
Sublime sed victor caput
Ad ipsa tollet sydera.

Psalmus centesimus vndecimus

εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vndecimi.

Apparet hunc psalmum & alios aliquot sequentes quorum communis inscriptio est HALELVIAH, siue à Dauide siue ab alijs Prophetis & cantoribus editi fuerint, idcirco scriptos fuisse vt in solennibus præsertim festis concurrens in templum populus, sacrificiorum & aliorum sacrorum rituum finem hunc esse intelligeret, non vt in operibus illis remissio peccatorum & iustitia quæreretur, sed vt illis visibilibus signis admonitus vnusquisque ad res ipsas significatas (Christum videlicet & promissa in ipso beneficia) vera fide assurgeret, & Dei beneficentiam seria confessione celebraret, qui verus etiam nunc est Christianorum cœtuum & sacramentorum nostrorum vsus. Proponuntur autem in hoc psalmo prædicanda Dei bonitas, sapientia, & iustitia, primum in mundi creatione, dispositione, & gubernatione: deinde in illa tam admirabili liberatione ex Aegypto, & aliis deinceps testimoniis, quibus Deus suam in hunc populum singularem beneuolentiam variis modis ostenderat. Concluditur denique psalmus grauissimo dicto, quod est omnibus istam suauissimam doctrinam irridentium impiorum blasphemis vocibus opponendum.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *CElebrate Iehouam toto corde, in illo populi ad pradicanda ipsius beneficia congregati, & ipsi consecrati, cœtu.*

2 *Nam verè sunt ingentia Iehoua opera, sed illis demum explorata qui consideratione illorum delectantur.*

3 *Splendor enim admirabilis omnium spectantium animos ad honorem illi tribuendum adigens in operibus ipsius elucet: &, quicquid garriant impij, in eorundē administratione summa sese illius iustitia conspiciendam perpetuò prabet.*

4 *Sed & speciatim clemens ille & misericors Iehoua suorum in nos beneficiorum hanc nobis solennem commemorationem instituit.*

5 *Hic enim ille est qui totos annos quadraginta sui timentibus escam illā calitus demisit, & quidem definitè vnicuique familia demensam, fœderis nempe sui nunquā immemor, suppeditauit:*

6 *Et populo suo deinceps regiones illas incolis ereptas possidendas tradens, quāta sit potentia praditus, re ipsa demōstrauit.*

7 *Certè qua nobis ipse manus sua prastitit in has terras*

INTERPRETATIO.

1 CElebrabo Iehouā toto corde in cōgregatione iustorum & cœtu.

2 Magna opera Iehouæ, explorata pro omnibus desideriis ipsorum.

3 Gloria & honor opus eius & iustitia eius perstat in seculum.

4 Memorabilia reddidit mirabilia sua clemens & misericors Iehoua.

5 Escam demensam dedit timentibus se recordari consuetus in seculum fœderis sui.

6 Virtutem operum suorum annuncianit populo suo ad dandam illis hæreditatem gentium.

7 Opera manuum eius sunt veritas & iudicium: firma sunt

transgressu, ipsius & in præstandis promissis fidem constantissimam, & in vindicandis sceleribus iustam seueritatem quàm manifestissimè declararunt: & quæcunque decreuit, rata stabiliaq; manere comprobarunt.

sunt omnia statuta eius.

8 Et prorsus fatendum est illa, quum ad certissimam & rectissimam normã directa sint, sic esse stabilita, vt ne mutare quidem nedum immutari aut aboleri possint.

8 Stabilita vsque in seculum: facta certò & rectè.

9 Itaque suos non modò illuc introduxit, sed etiam in omnibus periculis est tutatus. Sic enim tum populo suo pactus est, vt de ipsius pacti obseruatione certis edictis cauerit. Denique sanctum est suis, aduersarijs autem terribile ipsius nomen.

9 Redemptionem misit populo suo: mandauit in æternum fœdus suum: sanctum *est* & terribile nomen eius.

10 Itaque caput hoc est, atque adeò summa hæc est vera sapientia DEVM REVERERI. Verè certè demum sapiunt quicunque ipsius mãdatis obsequuntur: & laus eius, quantumuis à sceleratis negligatur, perennis est permansura.

10 Caput sapientiæ *est* timor Iehouæ: Intelligentia bona *est* cunctis facientibus ea: laus illius perstat in perpetuo.

Idem Psalmus centesimus vndecimus. dicolos distrophos, vt decimus quartus.

1 MEnte Deum tota gratus celebrabo, piorum
Cinctus corona cœtuum.
2 Nanque Dei verè sunt grandia facta potentis,

Cupidis probè nota omnibus.

3 *Magnificum est quodcúnque facit splendidusque decor*
Et iustum opificem comprobans.

4 *Quarum etiam nobis rerum monimenta reliquit,*
Ter optimus quàm maxima.

5 *Hic siquidem exanimes dapibus saturauit inemptis,*
Sui vsque fœderis memor.

6 *Et sua quanta foret virtus monstrauit, eosdem*
Terra exterorum collocans.

7 *Sic rigidus patuit iudex fideique tenacem*
Vbique sese præbuit.

8 *Aeternúm siquidem rata, firma, & iusta manêre*
Quæcúnque sancijt: decet.

9 *Eruit ergo suos pacti non immemor, hostem*
Terrens vel ipso nomine.

10 *Summa hæc est igitur certè sapientia, numen*
Toto vereri pectore.
Hic sapit, hic demum mansura laude fruetur,
Parêre qui Deo studet.

Psalmus centesimus duodecimus

παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi duodecimi.

Sicut variè affectos fuisse necesse est qui siue in solennibus illis festis, siue aliis temporibus templum adibant, ita etiam videmus hos psalmos fuisse ad varios fines accommodatos, sicut etiam Apostolus 2. Timo. 2. 1. publicarum precum quatuor facit species. Pertinet igitur hic Psalmus ad δέησεις id est propriè sic vocatas supplicationes, quibus liberationem petimus ab iis quæ nos premunt: quamquam non tam est supplicationis formula quam consolationis scriptus: quasi consolante & erigente miseros & anxios Propheta, vt nihilominus fortiter pergerent, neque calamitatum magnitudine fracti vel desponderent animum, vel, vt fieri nimium sæpe consueuit.

[illegible]it, ad praua consilia deflecterent. Proponuntur autem [illegible]ersus tentationes istas considerandæ promissiones ad hu[illegible] vitæ vsum spectantes, duabus potissimum de causis: quo[illegible]iam videlicet frequentissimè tentamur à Satana rerum tem[illegible]oralium periclitatione vel amissione, cui tentationi pero[illegible]portunè opponuntur promissiones illi ex diametro contra[illegible]: deinde quòd vetus fœdus illas haberet disertius expres[illegible]as. Sed nunquam profectò Spiritus sancti consilium fuit fi[illegible]delium animos in istarum rerum expectatione retinere, quum [illegible]erint duntaxat spiritualium bonorum pignora, & quidem [illegible]dita conditione, quantum nouerit ipse Deus expedire, [illegible]um eiusmodi bona neque absolutè neque necessariò sint bona. Scitè autem admodum scribit vir doctissimus D. Mol[illegible]lerus, hunc Psalmum esse luculentum commentarium dicti Pauli 1. Timo. 4. 8. Pietas habet promissionem præsentis & futuræ vitæ.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *O Beatum virum, quantumuis aliter plerique statuant, qui Iehouam reueritus, mandatis eius libenter totisq; viribus obsequitur.*	1 BEatus est vir ille qui timet Iehouam, & mandatis eius delectatur multum.
2 *Florebit enim eius soboles, quoniam iustorum generi fauet Deus.*	2 Potens erit in terra semen eius. progenies rectorum benedicetur.
3 *Opibus cumulatur eius familia, & ab ipso iuste quæsita perseuerant.*	3 Opes & diuitiæ *erunt* in domo eius; & iustitia eius manet in seculum.
4 *In medijs calamitatum tenebris lucem oriri iubet recte incedentibus Deus ille clemens, misericors, & iustus.*	4 Oriri facit in tenebris lucem rectis, clemens misericors, & iustus *Deus.*
5 *Vir bonus vicissim beneficus est, dat mutuò, res suas recte & iuste administrat.*	5 Bonus vir miseretur, & dat mutuò: disponit negotia sua cum iudicio.
6 *Itaque nunquam corruet, eritq; perennis ipsius memoria.*	6 Idcirco in æternum non nutabit; in memoria æterna erit iustus.

7 *Nullis calumnijs, nullis sinistris nuntijs concutietur, imò spe in Iehouam reposita, seipsum constanter confirmabit.*

7 Ab auditu malo non trepidabit. firmum est cor suum confidens in Iehoua.

8 *Hac ratione suffultus ipsius animus fortiter expectabit donec aduersarios suos cernat iustam improbitatis sua mercedem referre.*

8 Suffultum cor eius non trepidabit, donec videat quod par est in aduersariis suis.

9 *Quæcunque sors illum premat, liberalis esse pergit in pauperes, & iustus esse perseuerat. Itaque in dies magis ac magis gloria & dignitate augetur.*

9 Spargit & donat pauperibus: iustitia ipsius manet in seculum. cornu ipsius attolletur cum gloria.

10 *Cernentes hanc illius felicitatem improbi, ferent quidem istud ægerrimè, frendentque dentibus, sed irritis omnibus suis conatibus, contabescent.*

10 Improbus videbit & irascetur: dentibus suis fremet & contabescet desiderium impiorum peribit.

Psalmus centesimus duodecimus, monocolos, versu Iambico dimetro acatalectico, vt decimus tertius.

1 *Virum ô beatum maximè,*
Veri timens qui numinis
Eius sacratis legibus
Se corde toto dedidit.

2 *Prognata proles hoc patre*
Latè vigebit præpotens,
Largè piorum posteros
Deo beante cœlitus.

3 *Eius penates diuite*

Vndant

Vndant bonorum copia:
Illis, longis permanent
Quæsita iustè seculis.

4 *Eius tenebras splendido*
Deus repellit lumine:
Deus benignus in suos,
Vtur severus hostium.

5 *Vicissim & ipse quâ patet*
Iuvat benignus proximos,
Quod inquit, inquit ut decet,
Facitq; ritè quod facit.

6 *Quâcunque fluctus irruant,*
Perdurat hic immobilis,
Iustiq; nomen laudibus
Florens viget perennibus.

7 *Vnius illum numinis*
Potente fultum robore,
Non vlla vis calumniæ,
Non rumor vllus concutit.

8 *Hic omnium omnes impetus*
Pavoris expers sustinet,
Donec suis obtingere
Commerita cernat hostibus.

9 *Pascit libens hic pauperes,*
Hoc gloriosus nomine
Cunctis futurus seculis,

Virtutibúsque nobilis,

10 *Iratus istud intuens*
Tabescet impius fremens:
Sed quidquid intus cogitat,
Prorsus peribit irritum,

Psalmus centesimus decimus tertius

εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi decimi tertij

Mutuò sese in hoc Psalmo Leuitæ quibus canendi partes erant attributæ, exhortantur ad Dei φιλανθρωπίαν prædicãdam, plurimis beneficijs, præsertim erga miseros alioqui & inopes testatam: cuiusmodi sunt Iosephi, Mosis, Dauidis, Danielis exempla, ad quæ procul dubio psalmus iste respexit, quemadmodum quod de sterilibus narrat procul dubio ad Saram, Rebecam, Hannam refertur. Sed ipso statim initio admonemur tum demum has laudes esse gratas quum à seruis Dei proficiscuntur, & ad verum illum Deum referuntur: cui se ipse verbo suo patefecit. Hoc enim per NOMEN IEHOVAE declaratur. Quum autem sublato Leuitico sacerdotio, nos omnes Christiani ad laudis hostias apud ipsum Dei tribunal offerendas nunc simus consecrati, apparet hanc exhortationem ad omnem Christianam Ecclesiam pertinere.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO
1 *LAudate, laudate, inquã, serui Iehoua, nomen Iehouæ.*	1 LAudate serui Iehouæ, laudate nomen Iehouæ.
2 *Beatum Iehouæ nomen iam nunc & in aternum celebretur.*	2 Sit nomen Iehouæ benedictum, ex nunc & vsque in seculum.
3 *Siquidem eius prædicandi & omni laude afficiendi iustissima rationes sese ab ortu Solis ad Occasum vbique demon-*	3 Ab ortu Solis vsque ad eius occasum, laudabile sit nomen Iehouæ.

4 Excelsus

strant.

Iehoua certè tum gentibus omnibus sublimius dominatur, tum etiam suprà cælos ipsos gloriam suam attollit.

Ecquis enim Iehouæ Deo nostro similis, in altissimo quidem loco gloriosissimè insidēti

Sed eo vsque tamen sese pro infinita sua bonitate demittenti, vt quæ tum in cælis tum in terra geruntur, intueatur & administret?

Hic est igitur qui abiectos surrigit, & calamitosos in fimetis lacentes attollit,

Quos inter principes, principes, inquam, populi sui adscisset.

Facit denique vt antea steriles & solitariæ, subitò numerosa prolis matres facta gaudio cumulentur. Iehouam collaudate.

4 Excelsus *est* super omnes gentes Iehoua super cælos gloria eius.

5 Quis *est* sicut Iehoua Deus noster? attollens se ad habitandum id est, *habitans quidem in sublimi.*

6 Sed demittens sese ad videndum in cęlis & in terra.

7 Erigens è puluere inopes: è stercoribus attollens miseros.

8 Vt collocet *eos* cum principibus, cum principibus populi sui.

9 Habitare faciens sterilem in familia & matrem filiorum lætantem, Haleluiah.

Idem Psalmus centesimus decimus tertius, dicolos distrophos. Prior versus est phalæcius hendecasyllabus: alter est Iambicus dimeter acatalecticus.

1 *Collaudate Deum Dei ministri,*
Cantate nomen Numinis.
2 *Sit iam nunc Domini celebre nomen,*
Cunctisq; deinceps seculis:
3 *Cuius laudibus vniuersus orbis*
Ab ortu ad occasum sonat.
4 *Cunctis nam populis stat iste longè*

Cæliq; cunctis celsior.
5 *Huius ecquis enim sublimitatem*
Quis gloriam exæquaueris?
6 *Qui cæli tamen vsque ab arce, terris*
Aduertit imis lumina,
7 *Atque attollit humi prius iacentes,*
Fimoq; tergit obsitos,
8 *Rectores populi sui futuros,*
Regumq; sessuros throno.
9 *Et nuper steriles, repentè matres*
Longa beat propagine.

Psalmus centesimus decimus quartus.

εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi decimi quarti.

Psalmum istum valdè concinnum & elegantem probabile est in paschæ præsertim festo decantatum fuisse, celebrandæ liberationi ex Aegypto & introductioni in terram promissam peculiariter destinato: quæ quum Typi fuerint veræ illius & æternæ per Christum liberationis à Satanæ, peccati, & mortis longè miserrima seruitute, & in ipsum cœlum introductionis, satis intelligitur quantò magis quàm vetus populus teneamur tantam Dei beneficentiam in Eucharistico præsertim conuiuio sacro celebrare.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *EGredite Israele ex Aegypto, Iacobi videlicet posteris, ex illo immani populo,*
2 *Iudam sibi consecrauit Iehoua, & Israelem, pro gente cui peculiariter dominaretur.*
3 *Mare ad illius ex Aegypto egredientis aspectum fugit, ne*

INTERPRETATIO.

1 QVum egressus est Israel ex Aegypto domus Iacob ex populo barbaro.
2 Factus est Iuda sanctuarium eius: Israel dominatus eius.
3 Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

transitum eius moraretur: Iordanis retrorsum aquas agens transiturus peruium se fecit.

4 *Montes ipsi, fastigijs rupium quasi cornibus arietum inter se concursantibus, & colles instar agnorum subsilierunt.*

5 *Quamobrem verò tu mare fugisti, quamobrem Iordanis retrorsum aquas egisti?*

6 *Quamobrem montes vt arietes, quamobrem colles vt agni subsilijstis?*

7 *Nempe ad Iehouæ populo suo præeuntis conspectum contremiscere te, ô terra, oportet, ad conspectum, inquam Dei Iacobi.*

8 *Qui petram in aquas stagnãtes, & rupem in aquarum scaturigines conuertit.*

sum.

4 Montes exilierunt vt arietes: colles sicut soboles ouium *id est, agni seu hædi.*

5 Quid tibi mare quod fugisti? Iordanis quod conuersus es retrorsum?

6 Montes *quod* exultastis vt arietes? colles sicut soboles ouium?

7 A facie Iehouæ contremisce terra: à facie Dei Iacob.

8 Qui conuertit petram in stagnum aquarum: & rupem in fontem aquarum.

Psalmus centesimus decimus quartus, dicolos distrophos, vt decimus quartus.

1 *ISrael Aegypti ingratæ quum linqueret arua,*
Gentisq́; regna barbaræ,
2 *Tum sibi Iudæam Numen sacrauit, & huius*
Se prodidit gentis ducem.
3 *Vidit, & aufugit trepidum mare: refluus amnis*
Aquas retrorsum rettulit.
4 *Subsiliêre ipsi montes, per pascua læta*
Salire vt arietes solent,
Subsidêre itidem colles sub matribus agnos
Salire quales cernimus.
5 *At cur fugisti trepidum mare? reflue cúrnam*
Amnis cucurristi retro?

6 *Saltastis quorsum montes, per pascua læta*
Salire vt arietes solent?
Saltastis quorsum colles, sub matribus agnos
Salire quales cernimus?
7 *Ante Dei tellus tremuisti scilicet ora*
Potentis Iacidum Dei,
8 *Flumina cui rigidæ fudêre ingentia cautes,*
Et rupta stagnauit silex

Psalmus centesimus decimus quintus

ἐυκτικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi decimi quinti

Continet etiam hic Psalmus exemplum publicarum precum maxima cum animi fiducia conceptarum pro reip. salute aduersas prophanas gentes, quamuis quod fuerit hoc bellum & ad quæ tempora sit referendus Psalmus non constet. Ego vel ad Iosaphati historiam retulerim descriptam 2. Paralipo. 20. vel ad similes vsus in genere dictatum Ecclesiæ fuisse crediderim. Continet autem præter illustres aliquot sententias, insignem veri Dei cum falsis numinibus collationem, & docet præterea perspicuè, non nostra vlla commoda, sed solam veri Dei gloriam, vltimum ac summum finem nostrarum precum esse oportere.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS

1 *QVod ex hoc periculo liberationem à te petimus, Iehoua absit vt petamus quasi vlli iustitiæ nostræ debitam: neque vt aliqua nobis inde propria gloria seu dignitas accedat, sed vt potius nomini tuo consulas, id est vt inde quã sis in promittendo munificus, & quam ve-*

INTERPRETATIO.

1 NOn nobis Iehoua, nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam, propter veritatem tuam.

2 Quare

vac in tuis promissis præstandis liquidò appareat.

1 *Obsecro enim, cur istos diutius tolerarijs per ludibrium rogitantes, vbi est istorum Deus?*

2 Quare dicent gentes istæ, vbi nunc *est* Deus eorum?

2 *Deus noster, ô infelices, de quo vbinam sit quæritis, in cælis est, longè alia maiestate quàm terrenus vllus princeps præditus, cuius tum potentia tum liberrima voluntate cuncta sunt initio creata, & nunc quoque administrantur.*

3 Atqui Deus noster, *est* in cælo, & omnia quæ voluit fecit.

4 *Vestra vero simulachra, si materia spectetur, aurum sunt & argentum ac proinde res emortuæ & omnis sensus expertes: sin vero artificij ratio habeatur, sunt hominum manibus fabricata.*

4 Sed idola istorum *sunt* argẽtum & aurum: opus manuum hominum.

5 *Os habent & muta sunt, quid igitur vobis respondebunt? oculos habent & cæca sunt, quomodo igitur quid hic agatur perspexerint.*

5 Os illis, & non loquuntur: oculi illis, & non vident.

6 *Aures habent & surda sunt, quorsum ergo illis preces fundit? nares habent & nihil odorantur, quorsum igitur illis suffitus & sacrificiorum nidor.*

6 Aures illis, & non audiunt: nares illis, & non odorantur.

7 *Manus habent, nec quidquam contingunt, quid igitur vobis tribuerint? pedes habent & gradiri nequeunt, guttur habent, nec vocem edunt, quinam igitur ad vos iuuandos accurrerint?*

7 Manus illis, & non palpant: pedes illis, & non ambulant: non clamant gutture suo.

8 *Et vt omnia vno verbo dicã,*

8 Similes illis sunt, qui fa-

quid obſtat quominus vos ipſi illorum adoratores tam ſitis amentes & ſtupidi quàm illi ipſi trunci & lapides, quibus confiditis?

9 At tu, Iſrael, confide Iehoua, certo omnium qui ſpem in eo ponunt clypeo ac propugnatori

10 Tu inprimis Aaronis proles, quam cateris & doctrina & exemplo praire oportet, confidito Iehoua, certò omnium qui ſpem in ipſo poſuerunt clypeo ac propugnatori.

11 Quotquot deinqne Iehoua cultum profitemini, confidite Iehoua eorum qui ſpem in ipſo ponunt clypeo ac propugnatori.

12 Iehoua, ne dubitate, noſtri curam gerit Beabit ille, beabit Iſraelis poſteros. Beabit Aaronis genus.

13 Beneficus enim eſt erga ſynceros ipſius cultores Iehoua, tum nobiles, tum etiam viliſſimos quoſuis.

14 Vos, inquam, ille, vos & poſteros veſtros nouis beneficijs magis ac magis cumulabit.

15 Vos enim in ſuam gratiam recepit Iehoua qui cælum & terram condidit:

16 Et excelſiſſimos illos cæloſ ſibi retinens vnde rebus omnibus dominatur, vſum terra & infinitorum bonorum, quibus illam exornauit, hominibus ſingulari benignitate cõceſſit.

17 Nempe vt ſint in terra ipſius

ciunt ea: & quiſquis illi confidit.

9 Iſrael confide Iehouæ: auxilium eorum *qui ipſi fidunt* & clypeus eorum ipſe *eſt*.

10 Domus Aaron, confidite Iehouæ: auxilium eorum *qui ipſi fidunt* & clypeus eorum *eſt* ipſe.

11 Qui timetis Iehouam, confidite Iehouæ: auxilium eorum qui ipſi fidunt & clypeus eorum *eſt* ipſe.

12 Iehoua memor eſt noſtri: benedicet, benedicet domui Iſrael: benedicet domui Aaron.

13 Benedicet timentibus Iehouam, paruulis ſimul cum magnis.

14 Adiiciet *bona* Iehoua ſuper vos, ſuper vos & filios veſtros.

15 Benedicti vos *eſtis* Iehouæ qui fecit cælum & terram.

16 Cæli cælorum ſunt Iehouæ: terram autem dedit hominibus.

17 Mortui non laudabunt *te* Deus;

gloria præconet: quod certè præstare non possunt mortui, quibus ipsa mors vsum linguæ adimens silentium indixit.

Deus: neque vllus eorum qui descendunt in silentiũ.

11 *Libera nos igitur, Deus, vt superstites iam nunc & in perpetuũ gloriam tibi canamus. etiam laudate Iehouam.*

18 Sed nos benedicemus Deo ex nunc & vsque in seculũ Haleluiah.

Psalmus centesimus decimus quintus, dicolos distrophos, carmine elegiaco, vt Psalmus nonus.

1 *Haudquâquam, haudquâquam Deus optime Ma-* *Sed tibi cedat honos sit decus omne tibi. (xime,*
2 *Tu clemens etenim, tu verax, Et tua Gentes nobis,*
Querere nunc vbi sint numina, Sancte, sines?
3 *Atqui tu cœli es Dominus, tu conditor orbis,*
Arbitrioq́; regis condita cuncta tuo.
4 *Istorum verò quid sunt simulachra Deorum?*
Scilicet artificis fusa metalla manu.
5 *Ora quibus, sed muta: quibus sunt nescia lucis*
6 *Lumina, neutra vllis auris aperta sonis.*
Nasus odoratus expers, manus vtraq́; tactus:
7 *Non habiles quôquam membra mouere pedes.*
Guttura quæ nullas possint profundere voces,
8 *Suntq́; etiam cultor cultaq́; imago pares.*
9 *Israel æterno tu verò fidito Regi*
Hic siquidem clypeus præsidiumq́; tibi.
10 *Aronis soboles æterno fidito Regi,*
Hic siquidem clypeus præsidiumq́; tibi.
11 *Tu pius es quicunque, æterno fidito Regi,*
Hic siquidem clypeus præsidiumq́; tibi.
12 *Israëlidas etenim semper memor iste beabit.*

Hoc erit Aronis tuta fauente domus.

13.14 *Iſte ſuum veritos numen iuuenesq; senesq;*
Augebit, cumulans dona priora nouis.
Illorumq; etiam ſobolem tutabitur idem,
15 *Auctori ô mundi gens bene chara Deo.*
16 *Qui cœlum ipſe ſibi ſeruans, mortalibus iſta*
Cuncta dedit vaſti rura tenenda ſoli.
17 *Sic te quandoquidem in terris laudare vetantur*
Quos tumulo clauſos mors vetat ipſa loqui,
18 *Nos quibus hîc abs te vitæ conceditur vſus,*
Dicemus laudes tempus in omne tuas.

Pſalmus centeſimus decimus ſextus

εὐχαριστικός.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi decimi ſexti.

Siue ad Dauidem, quem ex morte præſentiſſima & maximis etiam animi anguſtiis admirabiliter ſæpiſſimè à Domino liberatum eſſe conſtat, ſiue ad alium quempiam hunc Pſalmum referamus, continet inſignis gratiarum actionis exemplum, ex quo intelligere licet quouſque interdum ſoleant optimi etiam & integerrimi quique deiici: ad quem confugere tunc oporteat: quàm denique ſit felix omnium tentationum exitus, modò impatientiam iniecto fidei freno cohibeamus.

Eiuſdem Pſalmi

PARAPHRASIS.

1 *OMnis amor meus eſt Iehoua, ſupplicantis vocem exaudiens,*
2 *Et attentas mihi aures prabens, quamobrem etiam illum quandiu viuam implorabo.*
3 *Ecce vinculis mortis conſtrictus tenebar: ipſa me ſepulchri anguſtia animi doloribus in-*

INTERPRETATIO.

1 AMo Iehouam quòd audiat vocem meam, & precationem meã.
2 Et *quòd* inclinet aurem ſuam mihi: & diebus meis *illum* inuocabo.
3 Circumdederant me funes mortis, & anguſtiæ ſepulchri interceperant me: tribu-

terceptum occuparant.

4 Tum ego Iehouæ nomen inclamans, quæso, inquam, Domine, misserrimam animam meam liberato.

5 Et quid hic aliud dixerim quam quod re ipsa sum statim expertus, nempe vere mitem in suos, vere in præstandis promissis iustum esse Iehouam? summe misericordem esse Deum nostrum?

6 Iehouam denique simpliciter & candide sese gerentes tutari, vt qui mihi ad extrema redacto tam oportune sit opitulatus?

7 Agedum igitur animula mea, redi ad te nunc, & conquiesce, quandoquidem tam insignis tibi à Iehoua contigit rerum commutatio.

8 Siquidem tu, Iehoua, e morte vitam meam eripuisti, oculorum meorum lachrymas compescuisti, pedes meos quominus ruerem retinuisti.

9 Ita vt iam incolumi & saluo mihi inter viuos coram re licuerit versari.

10 Credidi enim Iehouæ promissis, & idcirco sum loquutus fide videlicet mihi, quantumuis ingentibus doloribus oppresso, vocem & verba suppeditante.

11 Fateor enim me eausque deiectum fuisse, vt quo me verterem nescirem, & vndique fu-

bulationem & dolorem natus eram.

4 Et nomen Iehouæ inuocaui, dicens: Obsecro Domine, libera animam meã.

5 Clemens est Iehoua & iustus: & Deus noster est misericors.

6 Custodit simplices Iehoua: exhaustus eram, sed attulit mihi salutem.

7 Reuertere anima mea in requiem tuã: quia Iehoua commutatione vius est superte.

8 Quia eripuisti animã meam è morte: oculum meum è lachrymis: & pedem meum è lapsu.

9 Ambulo coram facie Iehouæ, in terris viuentium.

10 Credidi, ideò loquutus sum: ego afflictus eram valdè.

11 Ego dixi in trepidatione mea: omnis homo mẽdax.

Eluans eò inclinarem vt statuerem apud me, tum ipsos homines, tum quicquid agitant nihil esse.

12 Hac autem periculosissima tẽtatione tuis viribus superata, Iehoua (quinam etenim vanum esse potest quod te auctore suscipitur, aut quinam nihili esse possunt apud te quos tua gratia dignatus es?) quid tibi vicissim pro omni beneficiorum genere repẽderim quibus tu me affeciſti?

12 Quid rependam Iehouæ omnia beneficia eius in me super me.

13 Sumam nimirum in manus libaminis vasculum, teq; nominatim appello, Iehoua, hanc liberationem me tibi acceptam ferre palam testificabor:

13 Calicem liberationum accipiam: & nomen Iehouæ inuocabo.

14 Et quæ tibi, Iehoua, in ipso periculo constitutus voui, nunc teste vniuerso populo persoluam.

14 Vota mea Iehouæ reddam nunc coram toto populo eius.

15 Agnosco igitur & profiteor quod res est, minimè te videlicet beneficiarios tuos aspernari, imò charissimos habere, nedum vt illos temerè morti obijcias.

15 Prætiosa in oculis Iehouæ mors beneficiariorum eius.

16 Sanè igitur, Iehoua, ego sum seruus tuus, seruus, inquam, atque adeò verna tuus, ideoq; vincula quibus adstringebar dirupisti.

16 Age Iehoua, certè ego seruus tuus sum: ego seruus tuus, filius ancillæ tuæ: dirupisti vincula mea.

17 Ego verò vicissim, sicuti par est, tibi hanc hostiam laudis cædo, & nomen tuum inuoco.

17 Tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Iehouæ inuocabo.

18 Vota quorum sum reus tibi nunc coram vniuerso populi

18 Vota mea Iehouæ reddam nunc coram toto populo eius.

tui cœtu persoluo,
18 Idq; in adu tua atrijs, Iehoua, & in media Ierosolymorũ vrbe. Laudate Iehouam.

eius.
19 In atrijs domus Iehouæ: in medio tui Ierusalem, Haleluiah.

Idem Psalmus centesimus decimus sextus monocolos, carmine heroïco, vt octauus.

1 *PEctore te toto, Deus optime, diligo, nostris*
Vocibus attentum, promptumq; audire precantem,
2 *Et quoties supplex te casibus inuoco duris,*
Spernentem iustus surda nunquam aure querelas.
3 *Constrictus siquidem laqueo iam mortis, & ipso*
Iam tumuli angusto conclusus carcere, totus
Vndique mœrore oppressus, sæuoq; dolore,
4 *Has tibi profudi, Deus, imo ex pectore voces:*
Seruato miseram hanc animam Deus obsecro, clemens,
5 *Iuste idem vindex, misereri & prompte tuorum,*
6 *Simpliciumq; hominum custos: nec plura loquutum*
Seruasti iam semianimem, inque extrema redactum.
7. 8 *Nunc igitur requiesce anima his defuncta periclis*
Quam Deus ipse neci eripuit, flentemq; repressit,
9 *Nutantemq; manu tenuit, rediuiuus vt eius*
Ante oculos, vitæ peragam quæ tempora restant.
10. 11 *Hæc mihi verba fides dictauit scilicet vna,*
Afflicto miserè & veluti iam perdita nobis
Cuncta forent, hominum mendacia vota querenti.
12 *Sed tibi quas tandem grates, Deus alme, rependam*
13 *Tot donis cumulatus ego? tibi nempe sacratas*
Ipse redux sacrum fundam libamen ad aras:
14 *Et te voce vocans, populorum adstante corona,*
15 *Vota tibi gratus soluam: tibi nanq; tuorum*

Haud quaquam mors est vilis, quod seruulus ipse
16.17 *Imo verna tuus, ruptis en sentio vinclis.*
Ergo tibi laudis cadet hostia, teq; precatus,
18.19 *Iam nunc vota tibi, populis spectantibus ipsis,*
Aede sacra soluam gratus, mediaq; Sione.

Psalmus centesimus decimus septimus,

ΘΕΟΡΗΤΙΚΟΣ.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi decimi septimi.

Prædicitur isto breuissimo quidem sed excellentissimo Psalmo, vocatio gentium, interprete Paulo Roma. 15. 11. simulque ostenditur Euangelii summa, gratiæ videlicet ac veritatis Dei exhibitio interprete Iohanne, Ioh. 1. 17. Itemq; finis, nempe adoratio Dei in spiritu & veritate, vt spirituale esse regnum Messiæ, nouerimus. Deinde docemur hic quoque quodnam sit huius regni subiectorum munus, & quæ bona sint illis expectanda.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Laudate nunc Iehouam abiectis fictitijs omnibus dijs, gentes omnes: omnes populi gloriam eius celebrate.*	1 Laudate Iehouam omnes gentes: celebrate eum omnes populi.
2 *Nunc enim demum vicit ingens illa ipsius benignitas in nos omnes effusa: & nobu exhibita est aterna illius à Iehoua promissa salutis veritas. Laudate Iehouam.*	2 Quia exuperauit super nos misericordia eius: & veritas Iehouæ in æternũ, Haleluiah.

Idem Psalmus centesimus decimus septimus, monocolos, carmine Iambico dimetro acatalectico, vt decimus tertius.

1 *Cantate laudes numini*
Vos orbis omnes incolæ,

Et lata terrarum sola,
Gentes tenentes vndique.

Immensa nanq; nos super
Eius patet clementia,
Cunctisq; constat seculis
Perennis eius veritas.

Psalmus centesimus decimus octauus.

εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi decimioctaui.

Assentior iis qui hunc longè præstantissimum Psalmum quamuis apud Hebreos inscriptione careat, Dauidi tribuunt, & sub ipsius regni primordia, quum vicinæ gentes illum essent adorituræ, scriptum fuisse arbitrantur, siue in paschatis siue in tabernaculorum festo: tum vt Deo gratias ageret post tantas superatas difficultates, tum vt qui tandiu ipsi restiterāt sese Deo restitisse agnoscerent, & populus vniuersus Regem sibi diuinitus datum eò libentius amplecteretur. Ista verò sic de se & de rebus præteritis Dauidem scripsisse, vt ad Messiam, cuius ipse typus erat potissimùm pertinerent, apparet ex Es.8.14.& 28.16.Matth.21.42.Act.4.11.Rom.9.33. Ephe.2.20.1.Pet.2.7.& ita fuisse apud veteres Iudęos hunc Psalmum in synagogis explicatū Hieronymus testatur, quod manifestè confirmatur lætis illis populi acclamationibus ex hoc Psalmo desumptis, quum eum ipsum postremo in vrbem ingressu exciperent, quem paulò post sacerdotum & seniorū hortatu, tanta cum sæuitia repudiarunt. Quæ verò capitis cōditio fuit, eandem quoque membrorum esse oportet, vt minimè mirum sit pios veritatis assertores ab iis qui Ecclesiæ videri volunt architecti tanquam blasphæmos & hæreticos reiici, ac tādem quoque Pilatis crucifigendos tradi. Sed vicissim neque euerti lapis ille angularis, neque ædificium illi impositum dirui vllis viribus aut artibus potest.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *Ela palàm agnoscite & prædicate summè bonum*

INTERPRETATIO.

1 PRædicate Iehouam bonum esse: Nam in se-

esse Iehouam. perpetua enim est eius benignitas.

2 *Hoc fateatur nunc Israel: perpetua enim est eius benignitas.*

3 *Hoc fateatur nunc Aaronis genus. perpetua est enim eius benignitas.*

4 *Hoc fateantur nũc omnes synceri Iehoua cultores, perpetua enim est eius benignitas.*

5 *Ego quidem, exemplum huius immensæ benignitatis singulare, in extremis, vt nostis, angustijs illum implorare non destiti: & ille me, sicut vos ipsi cernitis, exauditum in amplissimum hunc locum euexit.*

6 *Itaque Iehouam pro me facere, atque adeò mihi præsto adesse expertus, abest vt cuiusquam hominis vires aut minas reformidem.*

7 *Etenim Iehoua ipse dux est eorum qui mihi auxilium ferunt, vt ambigere nullo modo possim quin meos qui supersunt inimicos, sim ab eo iustis pœnis affectos hisce oculis aspecturus.*

8 *Vah, quanto præstat Iehoua quàm homini fidere!*

9 *Quãto præstat Iehoua quàm vllis quantumuis excellentibus hominibus fidere!*

10 *En circuncingunt me gentes plurimæ, sed illas Iehouã appellans certissimè excindam.*

culum *perdurat* eius benignitas.

2 Hoc dicãt nunc Israel: nam in seculum *perdurat* eius benignitas.

3 Hoc dicat nunc domus Aaron, nam in seculum *perdurat* eius benignitas.

4 Hoc dicant nunc timentes Iehouam: nam in seculum *perdurat* eius benignitas.

5 Ex angustia inuocaui Deũ: respondit mihi *educens me* in latitudinem Deus.

6 Iehoua mecum *est*: non timebo: quid fecerit mihi homo?

7 Iehoua mecum *est* inter auxiliatores meos: & ego videbo in iis qui me oderunt, *quod merentur*.

8 Melius est fidere Iehouæ, quàm spem reponere in homine.

9 Melius est fidere Iehouæ, quàm spem reponere in principibus.

10 Omnes gentes circumdederunt me: in nomine Iehouæ certè excindam eos.

11 Circum-

Circuncingunt me, inquam, & undique obsident, sed illas Iehouam appellans certissimè excindam.

12 Circucingũt me conferti hostes tanquam apum examina, sed tanquam igni iniectos statim illos suffocaro, & Iehouã appellans certissimè ipsos excindam.

13 Nam antea quoque me crudelissimus hostis adeò grauiter impulit vt iamiam corruiturus viderer, sed Iehoua rẽtem sustentauit.

14 Hunc igitur prò vnico meo robore amplector: hũc ego seruatorem meum agnosco, & carminibus celebro.

15 Hinc illa mihi ex suis tabernaculis succinentium & mecum exultantium iustorũ voces, Nũc profectò Iehoua dextera sua fortissima robur exeruit.

16 Nunc illam suam dexteram extulit Iehoua: nunc Iehoua dextera sua fortissima robur exeruit.

17 Ecce me igitur adhuc viuum, & opera Dei enarraturum.

18 Nam vt ille me duriter admodum ceciderit, vita mea tamen pepercit.

19 Cedò igitur, porta mihi tam diuoclusa, ad quem solos iustitia amãtes adire fas est, mihi nunc tandem pateat, vt illac ingressus Deum celebrem.

20 Est enim Iehoua consecrata,

11 Circumdederũt me, etiam cinxerunt me vndique: in nomine Iehouæ certè excindam eos.

12 Circumdederunt me sicut apes: extincti sunt vt ignis spinarum in nomine Iehouæ excindam eos.

13 Impellendo impulisti me, vt caderem: sed Iehoua adiuuit me.

14 Robur meum & canticum meum *est* Deus: & fuit mihi liberator.

15 Vox exultationis & de liberatione *auditur* in tabernaculis Iustorum: dextera Iehouæ fecit fortiter.

16 Dextera Iehouæ *est* exaltata: dextera Iehouæ fecit fortiter.

17 Non moriar sed viuam: & narrabo opera Dei.

18 Castigando castigauit me Deus: sed morti non tradidit me.

19 Aperite mihi portas iustitiæ ingressus in eas, Deum celebrabo.

20 Hæc porta *est* Iehouæ: iu

ta idioque ſolùs iuſtis patet.

21 Hic te celebrabo, Iehoua, vt qui me exaudituſ liberaris.

22 Lapis enim, quem ipſi architecti tanquam, nullo modo conuenientem vſque adeò pertinaciter adhuc reiecerunt, non modò nũc in adificio cõſetur, verum etiam vt præcipuus totam ipſius ſtructuræ molem ſuſtinet.

23 Opus profectò verè diuinum, & quod meritò ſpectatores omnes in admirationem rapit.

24 Agite igitur, quandoquidem hunc longè iucundiſſimũ diem Iehoua nobis illuceſcere, ſanctis illum gaudijs totum tranſigamus.

25 Quaſo, Iehoua, Regem diuinitus nobis datam ſerua, quaſo, quaſo, inquam, Iehoua, regi proſpera omnia tribue.

26 Bene ac beatè ſit illi Dei nomine ac mandato ad nos regendos aduenienti. fauſta vobis quoq; domus Iehoua propitijs incolis precamur.

27 Vnicus Deus eſt Iehoua nobis præluces: adductum agnũ ad altaris cornua funibus deuincite.

28 Tu Deus meus es, celebrabo te: tu Deus meus es, laudes quàm altiſſimè tibi decantabo.

29 Fatemini Dominum ſummè bonum: eſt enim benignitas eius ſempiterna.

ſti intrabunt in eam

21 Celebrabo te, quia exaudiuiſti me: & fuiſti mihi ſaluti.

22 Lapis quem reprobauerunt ædificantes, euaſit caput anguli.

23 A Iehouafactum eſt iſtud, *quod* mirabile eſt in oculis noſtris.

24 Hæc eſt dies *quam* fecit Iehoua: exultemus & lętemur in ea.

25 Obſecro, Iehoua, ſeruã: obſecro, Iehoua, proſperum ſucceſſum da, obſecro.

26 Benedictus qui venit in nomine Iehouæ: benedicimus vobis *qui eſtis* è domo Iehouæ.

27 Deus *eſt* Iehoua, & illuxit nobis: deuincite agnum funiculis, vſque ad cornua altaris

28 Deus meus es tu, celebrabo te: Deus meus, exaltabo te.

29 Agnoſcite Dominũ *eſſe ſu*mè bonum: nam in ſeculũ *perdurat* eius benignitas.

Idem

Idem Psalmus centesimus decimus octauus, monocolos, versu trochaïco dimetro catalectico, vt Psalmus vicesimus tertius.

1 *Elia numen laudibus*
Efferamus optimum,
Cuius extat omnibus
Seculis clementia.
2 *Israel hunc prædica,*
Cuius extat omnibus
Seculis clementia.
3 *Hunc Aronis inclyti*
Prædicate posteri,
Cuius extat omnibus
Seculis clementia.
4 *Quotquot hunc veremini,*
Hunc Deum fatemini,
Cuius extat omnibus
Seculis clementia.
5 *Pressus hunc angustiis*
Sum precatus vnicum,
Ille me ex angustiis
Liberauit vnicus.
6 *Nactus hunc ego ducem.*
Quo pauore terrear?
7 *Fretus immo vindicis.*
Huius ira Numinis,
Lætus hostes funditus
Intuebor perditos.
8 *Præstat isto scilicet*
Quàm viris mortalibus,
Præstat isto scilicet,

Quamlibet potentibus
Nitier quàm regibus.
10 *Ecce nam me cinxerant*
Mille gentes vndique:
Fretus ipſe numine,
Nomen eius inuocans
Mille gentes reppuli.
11 *Me profectò cinxerant,*
Hinc & inde cinxerant,
Vnius quos numinis
Inuocato nomine
Irruentes reppuli.
12 *Mille me inquam gentium*
Maximo cum murmure
Cinxerant exæmina,
Sed velut mox concidit
Flamma ſpinis ſubdita,
Omnis ille ſic furor
Corruens euanuit,
Vnius quem numinis
Inuocato nomine
Mox ego compeſcui.
13 *Ergo tu hoſtis nixus es*
Et dolis & viribus
Innocentem ſternere,
Dextra ſed me numinis
Corruentem fulciit.
14 *Robur ergo tu mihi,*
Carmen ô Deus, mihi,
Cui ſalutem debeo.
15 *Ergo mecum plaudite,*
Ergo mecum cantibus

Ora iusti soluite.
16 *Magna nánque numinis*
Nunc patrauit dextera,
Fortis illa Numinis,
Eminet nunc dextera:
Magna veri Numinis
Nunc patrauit dextera.
17 *Mortis ergo retibus*
Dissolutis, Numinis
Totus in laudes feror.
18 *Ille nánque mebonus*
Sic cecîdit verbere,
Sic flagellis contudit,
Vt tamen superstiti
Salua vita manserit.
19 *Eia nunc tandem mihi*
Trita iustis limina,
Ianitores, pandite,
Gestienti debitas
Ferre laudes Numini,
20 *Sacra dico Numini,*
Nota sanctis limina,
Hic vbi tuis Deus
Iura das sanctissima.
21 *Hic vbi laudes tibi*
Qui benignus supplicem
Liberasti, mi Deus,
Quas mereris, concinam.
22 *Non parum quem prouidi*
Architecti spreuerant,
Anguli sedet lapis
Pondus ipsum sustinens.

23 *Hoc Dei verè est opus,*
Hoc stupet quisquis videt.
24 *Ergo quem nobis diem*
Numen illud optimum,
Numen illud maximum
Iussit illuscere,
Transigamus saltibus,
Exigamus cantibus.
25 *Tu datum nobis Deus*
Quæso, Regem protege,
Quæso Regem dirige.
Quæso Regem sospita.
26 *Sit beatus cælitus*
Missus hic diuinitus.
Vos item Sacrarij
Ter beatos incolas,
Rector ille cælitum
Omnibus beet bonis.
27 *Nunc Deum sese Deus*
Esse verè comprobat,
Splendido nigras fugat
Qui tenebras lumine.
Eia frondes cædite,
Eia flores spargite,
Obligatæ cornibus
Stent ad aras victimæ.
28 *Tu Deus mihi, Deus:*
Voce te Deum cano,
Te, Deus mi, prædico,
29 *Eia numen laudibus:*
Efferamus optimum
Cuius extat omnibus

Seculis

Seculis clementia.

Pſalmus centeſimus decimus nonus.

εὐκτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi decimi noni.

Iſtius Pſalmi tantò excellentioris quantò longior eſt, viginti duobus videlicet octoſtichis conſcripti, quorum ſingula à ſingulis Hebraici alphabeti literis inchoantur, hic ſcopus eſt præcipuus, vt homines ad doctrinæ cœleſtis ſtudium alliciantur. Tractatio verò tota partim θεϊκὴ in genere videlicet proponitur, partim ὑποτακτικὴ, Propheta ſeſe prò eorum quæ docet exemplis proponente, & preces, querelas, conſolationes, & gratiarum actionem paſſim admiſcente. Doctrina verò tota poteſt ad hæc capita præcipua reuocari.

Doctrinæ cœleſtis nomine, (ſiue partem illam intelligamus quæ facienda præcipit, & non facienda inhibet, legis nomine anguſtiore ſignificatione accepto: ſiue alteram partem in qua quid ſit nobis ad ſalutem credendum docetur, quam Euangelium vocamus) ea demum ſignificari quæ ſunt à Deo ipſo patefacta & ſcriptis ſacris comprehenſa.

Doctrinam hanc eſſe diuinitus patefactam, non vt illam duntaxat intellectu comprehendamus, ſed vt eam vnuſquiſque tanquam vitæ ſuæ normam ſerio indefeſſoque ſtudio ſequatur.

Vt illam & amplecti & ſequi velimus & poſſimus, poſtulandum eſſe neceſſariò Dei ſpiritum, qui tenebras ab intellectu depellat, & affectus penitus deprauatos corrigat.

Quamuis mundus partim perſcutorum metu, partim calamitatum magnitudine territus; partim etiam falſa vtilitatis ſpecie deceptus, aliud quoduis iter potius ingrediatur, eos tamen ſolos qui viam Dei verbo præſcriptam inſiſtant rectum conſilium capere, quæcunque ſe in hac vita difficultates offerant: & tandem quoque veram æternamque vitam iis donari.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS. INTERPRETATIO.

Octostichon primum. ALEPH.

1 *O Beatos integra ac inculpata vita homines, & ad doctrina à Iehoua præscripta normam incedentes.*

1 BEati integri in via: ambulãtes in doctrina Iehouæ:

2 *Beatos, inquam, illos qui obseruant quod ille sibi placere testatus est, & syncerè ac sollicitè ipsum quarunt.*

2 Beati custodiẽtes testimonia eius: & *qui* toto corde exquirunt eum.

3 *Dediti quidem certè non sunt sceleribus, nec iniustitiæ student qui viam ab ipso monstratam insistunt.*

3 Certe non dant operam iniquitati *qui* in viis eius ambulant.

4 *Nec enim tu Iehoua, temere quicquam mandasti, vel quæ duntaxat intelligeremus aut inaniter cõsideraremus, sed vt illa summo studio præstarentur imperasti.*

4 Tu præcepisti mandata tua custodiri valde.

5 *Quòd vtinam mei mores sic auctore te componantur, vt in edictis tuis studiosè seruandis constantissimè perseuerem.*

5 Vtinam firmẽtur viæ meæ, ad custodienda edicta tua.

6 *Tunc enim mihi rectè succedent omnia quum ad omnia præcepta tua mentis oculos cõuertero.*

6 Tunc non pudefiam, cum respexero ad omnia præcepta tua.

7 *Quia nimirum vitæ tum demum & syncerè te colam quũ hanc vel illam tui celebrandi rationem minimè sequutus, iustissimas tuas leges edidicero.*

7 Celebrabo te cum rectitudine cordis: cum didicero leges iustitiæ tuæ.

8 Edicta

1 *Certum est igitur mihi atque constitutum edicta tua seruare. Tu verò me laborantem nunquam deserito.*

8 Edicta tua custodiam: ne me derelinquas vsquequaque.

Psalmus centesimus decimus nonus, cuius singula octosticha peculiari carminis genere sunt expressa.

ALEPH, Octostichon primum, dicolon distrophon vt Psalmus primus.

1 *O Te beatum quisquis huius integer*
Decurris æui trænitem,
Deíque sanctis obsequutus legibus,
Hoc quicquid est vitæ exigis.
2 *O te beatum voce quisquis ipsius*
Præscripta quondam Numinis
Mandata seruas innocens, & intimè
Scrutaris vsque sedulus.
3 *His nanq; demum vera virtutis via,*
Rectiq; teritur orbita,
Sequuti qui illum vnicum vitæ ducem,
A turpi honestum diuidunt.
4 *Iure ergo tu miseris Deus mortalibus*
Tanti istius boni dator,
Quæ iura nobis tradidisti, seriò
Custodienda præcipis.
5 *Meos quòd vtinam sic pedes prorsus regas,*
Quacunq; parte incessero,
Tuarum vt extra sanctionum semitam
Nusquam imprimam vestigium.
6 *Securus omnis nanq; tunc infamiæ*

Omnisque damni vixero,
Quum mentis aciem legibus prorsus tuis
Intentus omnem aduertero.
7 *Tunc rite soluam debitas laudes tibi,*
Puro profectas pectore.
Alia reposita mente quum iustissima
Præcepta tua congessero,
8 *Ergo quid optem, quidue statuero magis,*
Quàm legibus tuis regi?
At tu, Deus mi, longiore ne mora
Me supplicantem distine.

Octostichon secundum.

BETH.

PARAPHRASIS.

9 *CEdo qua tandem ratione iuuentus per se ad omne vitium præceps, purè & sanctè mores suos instituet? nempe si qua nobis loquimur ex studiosè custodiat,*

10 *Ego certè toto pectore te requiro: tu verò qui vt hoc vellē in me effecisti, prohibe prætereamne qua cupiditate abreptus, à præceptis tuis aberrē.*

11 *Sermonem quidem tuum tāquam pretiosum thesaurum in imo corde gero reconditum ne qua in re te offendam.*

12 *Sed nisi tu ipse, Iehoua omni laude maior, doctor & magister mihi fueris, nihil sanè efficero. Itaque tu ipse me edicta tua doceto.*

13 *Tunc ego ipse palam loquem, leges ore tuo sanctissimo di-*

INTERPRETATIO.

9 QVinam cōmēdabit adoleſcēs viam ſuā? ſi cuſtodiat verbum tuum.

10 Toto corde meo quæſiui te: ne me aberrare facito à præceptis tuis.

11 In corde meo abſcondi ſermonem tuum, ne peccem tibi.

12 Benedictus tu Iehoua: doce me edicta tua.

13 Labiis meis narrabo omnes leges oris tui.

14 Via

statas enarrabo.

14 *Ex hoc enim vno vt viâ teneam quam tibi placere testatus es, longè maiorem capio voluptatem, quàm si omnes omnium thesauros essem nactus.*

14 Via testimoniorum tuorum delector, sicut super omnes diuitias.

15 *Tua igitur mandata meditabor assiduè, & ad obseruandas vias tuas animum totum conuertam.*

15 Mandata tua meditabor & respiciam ad vias tuas.

16 *Tuis, inquam, edictis mentem oblectabo, neque verborũ tuorum vnquam obliuiscar.*

16 Edictis tuis oblectabo me non obliuiscar verborum tuorum.

BETH. Octostichon secundum monocolon, versu heroico, vt psalmus octauus.

1 *REctiùs incedet quânam ratione iuuentus?*
Quas numen leges præscripsit, docta tueri.

2 *Ergo, Deus, tota penitus te mente requiro:*
Ac tu animum dictis rege, ne periturus oberret.

3 *Nánq; tuas gesto defixas pectore leges,*
Offensi accersam meritas ne Numinis iras.

4 *Ah bone, (nanq; tua est Miserari propria virtus)*
Sermones me rite tuos, tua iura doceto.

5 *Ecce tuo quondam mandata ex ore profecta*
Narraui, & populus narrantis ab ore pependit.

6 *Nec magè cernit opes auidè quas captat auarus,*
Quàm tua sua cupidè quondam præcepta sequutus.

7 *Hæc eadem me cura tenet, noctésque diésque*
Præscriptas toto meditantem pectore leges.

8 *Hæ mihi deliciæ iuuat hæc me sola voluptas,*
Vsque tua vt memori mandata in mente reponam.

Octostichon tertium GIMEL.

PARAPHRASIS.

17 *AT tu, Domine, me tibi addictum seruum vicissim eodem complecti fauore perge, vt superatis difficultatibus superstes ea qua nobis loquutus es obseruem.*

18 *Euolue velamen illud quod omnem mea mentis oculu vera lucis vsum adimit, vt arcana verè admiranda ex illa doctrina tua caelesti emicantia conspiciam.*

19 *Peregrinor enim ego in terris, alio nempe ad melioremillam caelestem vitam contendens. Itaque precepta tua, qua videlicet eò nos deducũt, ne, quaso, me celato.*

20 *Tanto siquidem legum tuarũ cognoscendarum ac prastandarum desiderio totus assiduè & tum secundis tum aduersis rebus flagro, vt iste me ardor absumat.*

21 *Feroces & contumaciter tibi reluctantes increpare & perdere consueuisti: & sunt meritò destinati exitio quicunq; precepta tua auersantur.*

22 *At isti nihilominus omni probro & contumelia me afficere consueuerunt: sed tu ista procul à me summoue, quandoquidem testatã nobu tuam voluntatem sequor.*

23 *Etenim ipsi quoque proceres*

INTERPRETATIO.

17 BEnefac seruo tuo: viuam & custodiam verbum tuum.

18 Aperi oculos meos: & cõspiciam mirabilia ex doctrina tua.

19 Peregrinus sum in terrâne abscondas à me mandata tua.

20 Attrita est anima mea præ desiderio: desiderando iudicia tua omni tempore.

21 Increpas superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

22 Auolue à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua custodiui.

23 Etiam principes sedent & aduersum

& optimates, una cæuntes consilium aduersum me ceperunt, & mihi detrahunt: ego verò, dum isti mecũ sic agunt, tuis meditandis edictis totum me trado,

Ha sunt enim mea delitiæ, hi sunt viri quorum consilijs vtor.

aduersum me loquuntur: seruus tuus meditatur edicta tua.

24 Etiã testimonia tua oblectationes meæ *sunt &* viri consilii mei.

GIMEL, Octostichon tertium, monocolon, versu phalæcio hendeca syllabo, vt psalmus secundus.

1 *HVc ades, bone, seruulo roganti,*
Vt veré rediuiuus vsque viuam,
Sermones auidè tuos sequutus,

2 *Cæco lumina tu mihi ministra,*
Quibus cernere cuncta disciplinæ.
Arcana illa tuæ stupenda possim.

3 *Ah ne me miseræ huius inquilinum*
Vitæ inter tenebras sinas vagari,
Tuæ lumine veritatis orbum.

4 *En langore animus iacet subactus,*
Et desiderio iugi intuendæ
Tam iustæ sapientiæ liquescit.

5 *Nempe perdere tu soles superbos,*
Et cuncti pereant oportet, abs te
Præscriptam sibi qui viam relinquunt.

6 *Ne me ergo expositum relinquere probris,*
Hoc dum nomine rideor, quòd vnis
Tuis viuere legibus peroptem,

7 *De me vt sic quoque garriant potentes,*
Quid tum? me iuuat interim tuarum
Me totum obsequio dicare legum.

Octostichon quartum.

DALETH.

PARAPHRASIS.

25 *FAteor me tamen nō posse non grauissimè tot indignissimis iniurijs excruciari, vsque adeò vt videri iam posim exanimis & sepulchro affixus. Sed tu mihi vitam restitue, quemadmodum hoc ipso verbo tuo polliceris, à quo vno consilium & consolationem peto.*

26 *Nam ego tibi res omnes meas exponere cōsueui, neque tu mihi consilium à te postulanti vnquā defuisti. Edicta igitur tua magis ac magis me doceto.*

27 *Fac, inquā, in dies in his difficultatibus vt quæ via sit tuis mandatis cōsentanea cognoscam, & in illius admirabilis sapientia qua in illis elucet consideratione conquiescam.*

28 *Sic enim opus est facto, siquidem præ mœrore totus colliquesco. Surrige me igitur collapsum sicut verbo tuo promisisti.*

INTERPRETATIO.

25 ADhæsit pulueri anima mea: viuifica me secundùm verbum tuum.

26 Vias meas narraui, & respondisti mihi doce me edicta tua.

27 Viam mandatorum tuorum fac vt intelligam: & meditabor mirabilia tua.

28 Stillat anima præ mœrore: erige me secundum verbum tuum.

29 *Remoue procul à me quæcunque me à vero & recto poſſunt abducere, & potius hoc mihi tribue vt viam teneam doctrinæ tuæ præſcriptam.*

29 Viam falſitatis amoue à me: & doctrinam tuam largire mihi.

30 *Hanc enim vt veram ſelegi, tuaſque leges cæteris omnibus antepono.*

30 Viam veritatis elegi: leges tuas *mihi* propoſui.

31 *Adhærere, inquam, ijs quæ teſtimonio tuo ſunt probata ſtudeo, Iehoua: cuius inſtituti mei ſicito, rogo, ne me vnquam pœniteat.*

31 Adhæreo teſtimoniis tuis Iehoua: noli me pudefacere.

32 *Ego vero ex his anguſtijs abs te velut in ampliſſimũ locum eductus, totum vitæ meæ curriculũ, præcuntibus mihi præceptis tuis, conficiam.*

32 Viam mandatorum tuorum percurram: vbi dilataueris cor meum.

DALETH, Octoſtichon quartum, monocolon, carmine trochaïco dimetro catalectico, vt Pſalmus viceſimus tertius.

1 *PVtris en cadaueris*
Totus inſtar fœteo.
Tu tuis ſermonibus
Me iacentem recrea.

2 *O meas qui res tibi*
Explicantem millies
Audijſti, me, rogo,
Edoce leges tuas,

3 *Quicquid, inquam, præcipis,*
Quæſo, fac intelligam,

Vim vt tuam admirabilem
Vsque & vsque cogitem.

4 *En meum istud anxium*
Colliquescit corculum,
Ah tua potens Deus
Voce stratum surrige.

5 *Fac ne aberrem in devios*
Falsitatis tramites,
Imò legibus tuis
Me benignus dirige

6 *Nam quibusuis hanc tuam*
Veritatem prætuli:
Nec tua illa abs regula
Vsquam ocellos torqueo.

7 *Totus, inquam legibus*
Hæreo tenax tuis:
Et meorum me hostium
Porriges ludibrijs?

8 *Immò ab his angustijs*
Liberatus omnibus,
Vsque decurram tuas
Expeditè semitas.

Octostichon quintum.

H E.

PARAPHRASIS.

33 DOce me, Iehoua, vitæ rationem tuis editis ex-

INTERPRETATIO.

33 DOce me Iehoua viã edictorum tuorum: & custo-

plectam, de qua per meipsum ne cogitare quidem possum, vt illam ad extremum vsque insistam.

34 *Fac vt doctrinam tuam probè perspectam habeam quam obseruem, totóque pectore custodiam.*

35 *Dirige me praterea iter istud præceptorũ tuorũ ingressum, quandoquidem nulla re magis oblector.*

36 *Animum meum in contrariam partem sese sponte abripientem, quæso vt ab omni turpi lucro auersum, ad ea complectenda inflectas qua tibi placere testarũ.*

37 *Cohibe quoque oculos meos, ne vanissimarũ rerum specie illecti decipiantur, sed me potius te ducem secutum in veram vitam asserito.*

38 *Et seruo tuo re ipsa ratum facito quod es verbo tui timentibus pollicitus.*

39 *Opprobriũ illud inhibe quod non temere metuo: nam leges tua bona sunt ac proinde iniquum fuerit illarum studium in me damnari.*

40 *Ecce nihil est mihi tuis mandatis optatius. Tu verò me pro tua promissa misericordia aduersus omnia pericula salutem præsta.*

34 Fac me intelligere vt obseruem doctrinam tuam & custodiam illam toto corde.

35 Fac me incedere in via præceptorum tuorum: quoniam in ea mihi placeo.

36 Inclina cor meum ad testimonia tua: & non *ad* cupiditatem.

37 Auerte oculos meos ne videãt vanitatem: in via tua viuifica me.

38 Cõfirma seruo tuo sermonem tuum, qui *est* ad timorem tui.

39 Aufer à me opprobrium quod timeo: quia leges tuę bonæ.

40 Ecce concupisco mandata tua: in iustitia tua viuifica me.

HE, Octostichon quintum, dicolon distrophon, carmine elegiaco, vt Psalmus nonus.

custodiam eam ad finem.

1 TV legum monſtrato mihi præſcriptæ tuarum,
Tu mihi quod cæpam dirige tutus iter.
2 *Fac illas penitus norim, fac denique poſſim*
Illarum notas ire redire vias.
3 *Hûc greſſus deflecte meos: nânque vna voluptas,*
Vna, inquam, leges ſunt mihi cura tuæ,
4 *Fac me diuitijs inhiem fallacibus imò,*
Sis mihi tu potius, tu mihi ſolus amor.
5 *His procul illecebras oculis arceto: ſit vno*
Vera mihi nutu viuere vita tuo.
6 *Abs te equidem fidus dependeo ſerũulus vno*
Res fac pollicitas exitus ipſe probet.
7 *Ah prohibe, (iuſtum eſt etenim quod præcipis omne)*
Probra meum lædant tot metuenda caput.
8 *Ecce tuis mihi nil iußis optatius vſquam,*
Tu bonus vſque tua me tueare manu.

Octoſtichon ſextum VAV.

PARAPHRASIS.

41 FAcito, Iehoua, vt illam tuam multiplicem clementiam ego quoque re ipſa experiar, & libera me ſicuti facturum te dixiſti.

42 Vt habeam quòd iſtis reſpondeam qui me contumelijs idcirco afficiunt, quòd à verbis tuis pendeam.

43 Ne, quæſo, patitor vt iſtorum iniurijs aut impatientia victus quicquã aliud quàm verax illud tuum verbũ loquar, aut vt illo deſtitutus penitus obmuteſcam. Nam expecto

INTERPRETATIO.

41 ET veniant mihi miſericordiæ tuæ Iehoua: ſalus tua ſecundum ſermonem tuum.

42 Vt reſpondeam probris me afficienti: verbum quin confido verbo tuo.

43 Et ne cripias ex ore meo verbum veritatis vſquequaque: quia iudicia tua expecto.

44 Et

dū iſtos pœnis quas leges tua ſceleratis minitantur afficias.

44 Quicquid autem iſti in me moliantur, ſemper ac perpetuò doctrinam nobis à te traditā obſeruabo:

45 Ac proinde quaſi latiſſima via incedens, ſecuro tranquilliſque animo degam tuis mandatis addictus.

46 Quinetiam coram ipſis regibus confidenter de ijs quæ nobis teſtatus es diſſeram.

47 Méque tuis præceptis, re mihi lōgè chariſſima, oblectabo.

48 Tua, inquam, præcepta, quibus nihil eſt mihi iucundius, vtraque manu capeſſam, ediſtáque tua meditari nūquam deſiſtam.

44 Et cuſtodiam doctrinam tuam ſemper: in ſeculum & vltrà:

45 Et ambulabo in latitudine: quia tua mandata exquiſiui.

46 Et loquar de teſtimoniis tuis coram regibus: & non pudefiam.

47 Et oblectabo me præceptis tuis, quæ diligo.

48 Et tollam manus meas ad præcepta tua quæ dilego: & meditabor ediſta tua.

VAV, Octoſtichon, ſextum, monocolon carmine Iambico, dimetro acatale ćtico, vt Pſalmus decimus tertius.

1 *BEnignitatis mi Deus*
Iube tuæ ſim particeps,
Vt te periclis erutus
Vera loquutum ſentiam.

2 *Iſtiſque me ridentibus*
Sermone ſuffultum tuo,
Os improbis quo præſtruam
Sermo vicißim ſuppetat.

3 *De veritate fac tua*
Conſtanter vſque diſſeram,

Nec debitæ pœnæ malis
Me fallax expectatio.

4 *Tunc legibus totus tuis*
Et vsque & vsque pertinax
Hærebo, ne vel tantulum
Aberrem ab illis deuius,

5 *Tum liber apricum in locum*
Eductus ex angustijs,
Noctes diésque diligens
Tuis vacabo legibus.

6 *Tunc optimatum in ædibus*
Regúmque in ipsa regia,
Legum tuarum interritus
Edisseram præstantiam.

7 *Edicta tunc quantôpere*
Tua ô Deus mi, diligam,
Re comprobabo, his vnicè
Toto acquiescens pectore.

8 *Tunc illa pansis obuius*
Amplectar, inquam, brachijs,
Nil illa præter vnica
Noctes diésque cogitans.

Octostichon septimum ZAIN.

PARAPHRASIS.

49 *FAc vt te memorem esse*
experiar eorum qua mi-

INTERPRETATIO.

49 MEmento verbi tui
seruum tuum: super
quo

hi ſerno tuo loquutus ſperare me inſtiſti.

quo feciſti me ſperare.

50 *In omnibus enim miſerijs meis hæc vnica mea eſt conſolatio, ſermo videlicet tuus, quo interueniente alioquin exanimus vita reſtituor.*

50 Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea: quia ſermo tuus viuificat me.

51 *Nam quantumlibet arrogantes iſti me idcirco derideant, nihilominus à doctrina tua ne tantillum quidem declino.*

51 Superbi deriſerunt me plurimum: à doctrina tamen tua non declinaui.

52 *Et quas tibi pœnas homines iſtiuſmodi dederint memoria repetens, maximam inde conſolationem capio.*

52 Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Iehoua: & conſolationem capio.

53 *Summopere nihilominus coborreſcens quum iſtos doctrinam tua contemptores conſpicor, quibus eadē illa pœna imminent.*

53 Horror apprehendit me propter impios derelinquentes doctrinam tuam.

54 *Quinetiā tātum abeſt vt exul animum deſpondeam, vt contrà canendo tuis laudibus occuper, argumento ex edictis tuis deſumpto.*

54 Cantiones fuerunt mihi edicta tua, in domo peregrinationum mearum.

55 *Immo medijs etiam noctibus, depoſitis cæteris curis, nominis tui memor de obſeruanda doctrina tua pernigil cogito.*

55 Recordatus ſum nocte nominis tui, Iehoua: & cuſtodio doctrinam tuam.

56 *Et hoc ego huic rei acceptum fero, quòd obſeruandis tuis mandatis incumbo.*

56 Hoc factum eſt mihi: quia mandata tua cuſtodio.

ZAIN, Octoſtichon ſeptimum, dicolon, triſtrophon, primus verſus eſt Choriambicus tetrameter acatalecticus; ſecundus & tertius ſunt choriambici dimetri.

1 Quod verbo es totiès pollicitus mihi,
Et quo spes mea nititur,
Reipsa perficito, Deus.
2 Nam spes me miserum hæc recreat vnica,
Vox me, inquam, miserum tua,
E mortis reuocat specu,
3 Nec te idcirco minus sollicitè sequor,
Quòd me turba procacium
Addictum tibi rideat.
4 Istos nanq; memor tu quoties, Deus,
Ira contuderis ferox,
Sic addo ipse animos mihi.
5 Hos ergò maneant quæ mala perfidos,
Alta mente recogitans,
Totus territus horreo.
6 Sed mœstum patria nunc licet exulem,
Ad cantus hilarem tamen,
Leges sollicitant tuæ.
7 Ipsas ergo tui haud nominis immemor
Noctes peruigil exigo,
Iussis inuigilans tuis.
8 Sic, te auctore, mihi, muneris istius,
Mandatis penitus tuis
Addictum iuuat immori.

Octostichon octauum

HETH.

PARAPHRASIS.

57 Inhient aly quibuscunque volent rebus. Ego omnes opes meas in eo sitas esse statuo, Iehoua, vt iys quæ nobis loquutus es, obsequar.

INTERPRETATIO.

57 Portio mea Iehoua dixi, ad custodiendum verba tua.

58 Pre-

Preces effundo coram te minimè simulatas: at tu, quemadmodum ore tuo pollicitus es, mei miserere.

58 Precatus sum faciem tuam toto corde: miserere mei secundum sermonem tuũ.

Non sum ego ex eorum numero qui rectam an pravam coram te viam insistant nihil curãt, sed sollicitè quod iter mihi tenendum esset investigaui, & vestigia in ijs fixi qua tibi placere testatus es.

59 Reputaui vias meas: & cõuerti pedes meos ad testimonia tua.

Neque verò sum cunctatus quum ita servem habere cognouissem, sed mox tuis obseruandis præceptis incubui.

60 Festinaui & non distuli, vt custodirem præcepta tua.

Et quamuis improbi coniuratione in me facta facultates omnes meas sint depradati, doctrina tamen tua neutiquã obliuiscor.

61 Cœtus improborum spoliauerunt me: sed doctrinæ tuæ non sum oblitus.

Imò media ipsa nocte, quo tẽpore cateri somno indulgent, exurgo & exempla commemoro, qua tu in sceleratos istiusmodi edidisti.

62 Media nocte surgo ad te celebrandum: super iudiciis iustitiæ tuæ.

Sed & si quem tui timẽtem, & edictorum tuorum obseruantem esse noui, hunc mihi sodalem adsciſco.

63 Socius *sum* ego omnibus, qui te timent: & qui custodiunt mandata tua.

Iehoua, qui nullos terrarum incolas relinquis beneficentia tua expertes, hoc vnum à te peto, vt edicta tua ex te magistro condiscam.

64 Bonitate tua, Iehoua, plena est terra: edicta tua doce me.

HETH, Octostichon octauum, tricolon tetrastrophon, vt Psalmus tertius.

1 Firmum stat istud propositum mihi,
Vnare in istac esse sitas opes
Censere cunctas, si iubentis
Imperium fuerim sequutus.
2 Te corde supplex, mi Deus, integro,
Stans ante vultus ecce precor tuos:
Aurem ergo præbeto benignus,
Polliciq; memor, precanti.
3 Vitæ seuerus censor ego meæ,
Quemcunq; monstras tu mihi tramitem,
Contemptor vltrò omnis pericli,
Progredior pede mox sequaci.
4 Nullius, inquam, iam patiens moræ
Quocunq; tu me voce tua voces,
Præscriptum iter nusquam relinquens
Te sequor intrepidus vocantem.
5 Et turba quanuis illa rapax bonis
Priuarit olim me semel omnibus,
Haud seniore idcirco cura
Te veneror, Deus, imperantem.
6 Noctis per altæ muta silentia
Surgo, scelestos vi domitos tua
Et brachio fractos potente,
Increpitans fidibus canoris.
7 Quicunque purè te veritus colit,
Vltroq; iussis obsequitur tuis,
Huic hæreo constans amico,
Hunc sequor vsque comes sodalem.
8 O tu vniuersæ munificus tuis
Tellurisorbem qui cumulas bonis,
Vnum hoc mihi præsta roganti,
Vt tua percipiam imperata.

Octo-

Octostichon nonum.

TETH.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
65 *EGisti, fateor, benignissimè cum seruo tuo, sicut verbo promiseras.*	65 BEnignè egisti cũ seruo tuo Iehoua: secundum verbum tuum.
66 *Sed est quod à te præterea petam, nempe vt me veram illã scientiam doceas cum eo iudicio coniũctã, quo possim velut ex saporis gustu singula probè discernere, quandoquidem à tuis præceptis pendeo.*	66 Bonitatem gustus & sciẽtiam doce me: quia præceptis tuis credo.
67 *Antequam essem ferula tua domitus, lasciuiebam vagus, nunc verò sermonibus tuis obtemperare didici.*	67 Priusquam humiliarer ego vagabar: sed nunc sermonem tuum custodio.
68 *Sed rursum à te optimo & munificentissimo peto, vt me hæc ipsa edicta doceas.*	68 Bonus *es* tu & beneficus: doce me edicta tua.
69 *Nullum est certè calumniæ, nullum fraudis genus, quod isti audaciæ proiectæ homines aduersum me non concinnauerint, qui tamen efficere non potuerunt quin toto pectore tuis mandatis obseruandis studerem.*	69 Concinnauerũt super me mendacium superbi: ego autem toto corde custodio mandata tua.
70 *Et illi quidem rebus secundis, tuaq́ benignitate abusi, quasi adipe obstructis sensibus stolidi & vecordes euaserũt, ego verò doctrinæ tuæ meditatione me oblecto.*	70 Impinguatum est sicut adeps cor eorum: *sed* ego doctrina tua me oblecto.
71 *Fateor igitur maximo bono meo factum vt istis arumnis domitus intelligendis edictis tuis idoneus euaderem.*	71 Bonum est mihi quod afflictus sum: vt discam edicta tua.

72 *Doctrina siquidem quam nobis ore tuo tradidisti, quibusuis auri & argenti cumulu infinitè præstat.*

72 Melior est mihi doctrina oris tui: quàm millia auri & argenti.

TETH, Octostichon nonum, dicolon distrophon, vt Psalmus decimus quartus.

1 *O Qui me fidei semper memor, optime, summis*
Pridem beasti commodis,
2 *Fac vera à falsis possim dignoscere, prudens,*
Tuisq; iussis credulus:
3 *Ipse equidem errabam nil olim expertus acerbum,*
Ferula eruditus nunc tua.
4 *Ab bone, & in miseros pater vsque benigne, rogantem*
Tu iura me tua edoce,
5 *Vt, sua concinnent quamuis commenta superbi,*
Legibus adhæream tuis.
6 *Deliciis illi corpusq; animumq; saginent,*
At tu vnica voluptas mihi.
7 *O mihi sub ferula exactos fœliciter annos,*
Quæ reddidit docilem tibi.
8 *Ite procul, procul ite auri argentiq; talenta,*
Vna mihi Lex Dei, omnia.

Octostichon decimum IOD,

PARAPHRASIS.

73 *TV, qui manibus olim tuis hominem finxisti & efformasti, ac proinde solus illum prorsus à seipso destructum instaurare potes, tri-*

INTERPRETATIO.

73 MAnus tuæ fecerunt me, & firmauerunt me: da mi intelligere, vt discam mandata tua.

74 Timen-

ut mihi intellectum vt præcepta tua condiscam.

74 *Nam sic quoque fiet vt omnes tui timentes vehementer exultent, vbi me verbo tuo fretum viderint hoc à te beneficium consequutum.*

74 Timentes te videbunt me & lætabuntur quia verbum tuum expectaui.

75 *Ipsa siquidem experientia didici, Iehoua, nihil te nisi iustè agere, & in eo quòd vsque adeo duriter me habuisti, nihil à te factum quod veritati tuæ repugnet.*

75 Noui Iehoua, quòd iustitia sunt tua iudicia: & cum veritate afflixisti me:

76 *Sed præsto sit, quæso, mihi consolando tua bonitas, quod ipse seruo tuo promisisti.*

76 Sit quæso clementia tua ad consolandum me: secũdum sermonem tuum ad seruum tuum.

77 *Adsit, inquam, mihi immensa illa tua clementia vt reuiuiscam, quandoquidem vnica tua doctrina me oblectat.*

77 Veniant mihi miserationes tuæ vt viuã: quia doctrina tua oblectationes meæ.

78 *Pudefiant irritis conatibus feroces isti qui tam peruersè mecum, & quidem nullo merito meo, se gesserunt: ego vero tãto propensiore animo mandatis tuis meditandis totus incumbam.*

78 Pudefiant superbi, quia falso subnerterunt me: ego meditabor mandata tua.

79 *Sic fiet vt tui timentes, & quibus illa non sunt incognita quæ nobis testatus es, sese mihi adiungant.*

79 Conuertentur ad me, qui timentes: & qui nouerunt testimonia tua.

80 *Hoc igitur mihi largire, vt cognita edicta tua syncero corde obseruem, ne pudefiam.*

80 Sit cor meum integrum in edictis tuis: vt non confundar.

10 D, Octostichon decimum, dicolon distrophon, vt Psalmus centesimus decimus tertius.

1 O Tuis qui me manibus creasti,
Hominemq; finxisti Deus,
Mente fac verè sapiente leges
Possim tuas edisce re.

2 Numen vt quisquis reuerètur istud,
Lætetur in me contuens,
Abs tuæ vnius solitum beato
Pendere vocis exitu,

3 Quippe iam reipsa dedici, seuerè
Afflixeris me quamlibet,
Iure sic abs te fieri, immò pactam
Sic te fidem persoluere.

4 Sed laborantem tua me illa summa
Soleatur age benignitas,
Nanque te pridem memini misello
Sic polliceri seruulo:

5 Fac tua fretus maneam superstes
Multiplici clementia,
Quem tuis vnius iussa immorari
Totum, immoriq; legibus.

6 At superbi isti indecores facessant,
Mihi immerenti qui imminent,
Dum tuas verso meditorq; leges
Toto, Deus mi, pectore:

7 Sed iube contrà pia te timentum
Se turba coniungat mihi,
Et tuæ quotquot bonitatis illo
Puro beasti lumine.

8 Hoc mihi solùm tribuas roganti,
Te mente purus vt colam,
Nempe nullius penitus futurus
Sic particeps infamiæ.

Octosti-

Octostichon vndecimum.

CAPH.

PARAPHRASIS	INTERPRETATIO
81 *DEficit me omnis animus dum cunctantem liberationem verbo tuo promissam expecto.*	81 DEficit ad salutem tuã anima mea: verbum tuum expecto.
82 *Ipsi me oculi deficiunt, dum sursum eos attollo, in ea quæ mihi loquutus es intentus, & in hanc subinde vocem erumpens. Eheu quando me tandem consolaberis!*	82 Defecerunt oculi mei ad sermonem tuum, dicendo, quando consolaberis me!
83 *Itaque præ squalore & mærore quasi vter fumo torrefactus euasi, nec tamen propterea sum edictorum tuorum oblitus.*	83 Certè factus sum sicut vter in fumo: edicta tua non sum oblitus.
84 *Eheu quàm diuturna futura sunt ista, & quando tandem in istos qui me persequuntur iustas pœnas decernes!*	84 Quot sunt dies serui tui? quando facies de persecutoribus meis iudicium?
85 *Nam etiam (quod disertè in doctrina nobis præscripta vetuisti) fossas mihi intercipiendo excauarunt.*	85 Foderunt mihi superbi foueas: quod non *est* secundum doctrinam tuam?
86 *Sed quicquid illi seu vi seu fraude moliantur, res ipsa declarabit firmum & verum esse oportere quicquid præcepisti. Tantum tu mihi indignissimè oppresso succurre.*	86 Omnia præcepta tua *sunt* veritas: falsò me persequũtur, adiuua me.
87 *Etsi enim isti me ad terram pessundatum pene in nihilum redegerunt, mandata tamen tua minimè deserui.*	87 Fere consumpserunt me in terra: ego tamen non dereliqui mandata tua.
88 *Vitam igitur mihi pro bonitate singulari tua restitue, vt*	88 Secundum bonitatem tuã viuifica me: & custodiam testimonia

quæ nobis pro tuo testatus es testimonia oris tui.
quam studiosissimè observem.

CAPH, Octostichon vndecimum dicolon distrophon, prior versus est Iambicus trimeter acatalecticus: posterior elegiacus.

1 *AH mente anhela langueo impatiens moræ,*
Pollicita expecto dum repetita mihi.
2 *Vix fessa sursum attollo lumina, clamitans,*
Quando age, quando feres tu mihi dexter opem?
3 *Qualis camino appendet vter torridus,*
Talis ego leges pectore verso tuas.
4 *Ah quot mihi supersunt dies, hostis meus*
Quando tibi iustas sentiet esse manus?
5 *Fodêre scelerati scrobes mihi inscio,*
Quod vetitum constat legibus esse tuis.
6 *Sermone nil vsquam est tuo fidelius,*
Perfidiam contra me iuuet ista fides.
7 *Penè ecce iaceo stratus istarum manu,*
Erma fixa gero pectore iussa tamen.
8 *Bonitate fac tua reuiuiscam, Deus,*
Vt tua sint vitæ regula, scita, meæ.

Octostichon duodecimum.

LAMED.

PARAPHRASIS.

89 *ET, quasi, cur de promissorum tuorum firmitate dubitem, Iehoua, qui videam in eo quod, licet immensum quoddam sit opus, est tamen multò minoris momen-*

INTERPRETATIO.

89 *IN æternum, Iehoua, verbum tuum permanet in cælis.*

90 In

ti quàm tuorum salus, nempe in calorum machina, velut in sculptam esse eius quod semel loquutus es firmitatem? Itaque vt piorum cœtus infinitis tempestatibus in terris agitetur, est tamen firmum futurũ quod de ipsius in cœlis perpetua quiete tibi constitutum esse verbo tuo patefecisti.

90 *Nullis certè seculis veritas tua labefactabitur. Nam & ipsa terra moles ita consistit vt est à te suis basibus firmata.*

91 *Et hæc omnia sicut ab initio sunt à te directa & constituta, perseverant, tibi nimirum vt domino mancipata.*

92 *Quod nisi res istas ex doctrina nobis à te tradita didicissem, vnde profectò incredibilem voluptatem cepi, nempe iampridem calamitatibus obrutus perijssem.*

93 *Absit ergo vt tuorum vnquam mandatorum obliuiscar, quibus debeo me vitam profiteor.*

94 *Serua me igitur, tuus quum sim & tuorum editorum sedulus observator.*

95 *Hoc enim student pro viribus improbi, vt me perdant: at ego me totum vt quæ nobis testificatus es, considerandis addico.*

96 *Nam perfectissima & absolutissima quæque video tamen finiri. Sola præcepta tua*

90 In generationem & generationem veritas tua: firmasti terram & permanet.

91 Ad leges tuas stant hucusque quoniam omnia *sunt* serui tui.

92 Nisi lex ita *fuisset* delectationes meæ, tunc periissem in afflictione mea.

93 in seculum non obliuiscar mandatorum tuorum: quoniam per illa viuificasti me.

94 Tuus ego sum, serua me: quia mandata tua inquiro.

95 Me expectauerunt impij vt me perderent: testimonia autem tua considerabo.

96 In quauis perfectione vidi finem: *sed* lata *sunt* præcepta tua valdè.

in immensum & infinitum proferuntur.

LAMED, Octostichon duodecimum, dicolon distrophon. Prior versus est heroicus: alter est dactylicus tetrameter Alcmanius acatalecticus, cuius mensuram vide suprà Psalmo quadragesimo secundo.

1 *QVàm sine firma tuo quæ manant ore profecta,*
Cælorum docet ardua moles:
2 *Et tua iussa probat nullos vi olandæ per annos,*
Firma suo stant pondere tellus.
3 *Nam te cuncta, tuo posita & perstantia nutu,*
Auctorem dominumq; fatentur.
4 *Quod ni ergo issent tua me præcepta iacentem,*
Ipsa oppressus mole perissem.
5 *Hæc igitur me perpetuò meminisse iuuabit,*
Ipsam queis ego debeo vitam
6 *Tu seruato tibi addictum, tuaq; vnica toto*
Pronum pectore iussa sequutum.
7 *Nilq; tuas præter media ipsa in morte reposiue*
Versantem sub pectore leges.
8 *Cætera magna licet sua claudunt tempora solum*
Mœræ est verbum numinis expers.

Octostichon decimum tertium

MEM.

PARAPHRASIS.

97 *QUàtopere doctrinam tuam diligo! totos certè dies in illa meditan-*

INTERPRETATIO.

97 QVam diligo doctrinam tuam: tota die ipsa est meditatio mea.

da consumo.

98 Neque id frustrà me fecisse experior, siquidem ex præceptis tuis multò sapientior omnibus aduersarijs meis quantuis dignitate & auctoritate pollentibus, euasi, sapientiã videlicet nactus quæ me nũquam sit desertura

98 Aduersariis meis sapientiorem me reddidisti præceptis tuis: quoniã ea sunt mihi in perpetuum.

99 Sed & ipsis doctoribus meis ac magistris doctiorem me reddidisti, quoniam videlicet non humanis commentis sed vnius ijs meditandis quæ tu nobis pro solida eruditione commẽdasti, me totum addixi.

99 Omnibus doctoribus meis prudentiorem me fecisti quia testimonia tua sunt meditatio mea.

100 Senibus denique quibusuis peritior sum factus, mandatis tuis videlicet non tantum cognoscendis, sed etiam re ipsa præstandis intentus.

100 Senibus sum intelligentior: quia mandata tua seruaui mihi.

101 Pedes enim meos cohibui ne viam quæ ad malum ducit ingrederer, sed vt potius iter quod nos ipse ore tuo docuisti, perpetuo tenerem.

101 Ab omni semita mala prohibui pedes meos: vt custodirem verbum tuum.

102 Nec à legibus tuis, te magistro nimirum & monitore fretus, deflexi.

102 A legibus tuis non discessi: quia tu docuisti me.

103 Et certè sermones illos tuos palato meo gratiores & suauiores sensi quàm si mella degustassem.

103 Quã dulces fuerunt palato meo sermones tui: supra mel ori meo.

104 Tua denique præcepta veram prudentiam me docuerũt & idcirco cæteras institutiones vt prauas & falsas abominor.

104 Ex mandatis tuis factus sum prudens: propterea odi omnem semitam falsitatis.

MEM, octostichon decimum tertium, dicolon

dicolon distrophon, vt Psalmus tricesimus primus.

1 IPse tuas auido amplectar quàm pectore leges,
Dieſq; mediter integros, noſti Deus.
2 Et ſanè, ſtupeat meritò quàm callidus hoſtis,
Tua mihi iura conferunt prudentiam.
3 Intentumq; tuis paulatim euadere dictis,
Me doctiorem ſenio doctoribus.
4 Quin etiam euado ſenibus prudentior ipſis,
Mandata ſeruans corde tua ſub intimo
5 Ergo via ne fortè mala veſtigia figam,
Intentus vſque tuis adhæreo vocibus.
6 Teq; iter ignaro mihi monſtrantem vſque ſequutus,
Tui haud relinquo iuris vſquam tramitem.
7 O tua quàm noſtro ſunt ſuauia iuſſa palato,
Quàm melle dulciora mellitiſſimo!
8 Nanque hæc prudentem me reddunt vna, docentq;
Odiſſe prauam falſitatis ſemitam.

Octoſtichon decimum quartum

NVN.

PARAPHRASIS.

105 FVit igitur eritq; verbum illud tuum facis inſtar mihi gradienti pralucentis, & lucerna ſemitam mihi commonſtrans.

106 Sic enim me ſaturum, & inſtiſſimas tuas leges obſeruaturum, addito etiam iureiurando, promiſi, quod re ipſa præſtabo.

107 Tu me viciſſim, ſummopere

INTERPRETATIO.

105 LVcerna pedibus meis eſt verbum tuum & lumen ſemitæ meæ.

106 Iuraui & ſtabiliam ad ſeruandum leges iuſtitiæ tuæ.

107 Afflictus ſum vſque val-

vexatum, Iehoua, ſalutem præſta, ſicut verbũ tuũ pollicetur.

108 Sunt tibi oris mei vota & ſponte a laudes grata, Iehoua, & leges tuas magis ac magis me doceto.

109 En vitam meam omnibus caſibus perinde expoſitam ac ſi in vola illam geſtarem, nec tamen doctrina tua ſum oblitus.

110 Laqueos mihi tetenderunt improbi, nec tamen à tuis præceptis aberraui.

111 Sunt enim mihi qua nobis teſtatus es, perpetui nec vnquam alienandi patrimonij vice, nec vllam aliunde quàm ex his vnis voluptatem capio.

112 Totũ cor deniq; perpetuò & ad extremum uſq; halitũ obſeruandis edictis tuis addixi.

de: Iehoua viuifica me ſecundum verbum tuum.

108 Voluntaria oris mei quæ ſo habe accepta, Iehoua: leges tuas doce me.

109 Anima mea eſt in manu mea ſemper: & doctrinam tamen tuam non ſum oblitus.

110 Poſuerunt impij laqueũ mihi: & à præceptis tuis non aberraui.

111 Hæreditatis loco habeo teſtimonia tua in æternum: quia lætitia cordis mei ſũt.

112 Inclinauit cor meum ad præſtandum ſtatuta tua in æternum, ad finem vſque.

NVN, Octoſtichon decimum quartum, dicolon tetraſtophon, vt Pſalmus decimus nonus.

1 *Est tuus noſtris pedibus lucerna*
Sermo: per mundi tenebras euntem,
Iſte me ſolus ſiquidem coruſca
Luce gubernat.

2 *Quod prius ſanctè tibi pollicebar,*
Rurſus hoc ſanctè tibi pollicebor,
Iuſta ſyncero tua præſtiturum
Pectore iuſſa.

3 *Ah, Deus, vàldè premor vndiquâque,*
Tu iacentem me recrea benignus,
O mihi verbis toties diſertis
Certa loquute.

4 *Quas tibi laudum fero consecratas*
Victimas vltro, facilis probato:
Me, sanctarum venerandaque legum
Scita docto.

5 *Hanc miser quamuis animam quibusuis,*
In vola gestem expositam periclis,
Nulla me legem penitus tuarum Ob-
linio cœpit.

6 *Et meæ quamuis sceleratus hostis*
Non semel, vitæ laqueos tetendit.
Me tamen nunquam malus euagantem
Abstulit error,

7 *Omnium est instar mihi prædiorum*
Lex mihi nunquam tua deserenda,
Hæc mihi in quouis supereſt voluptas
Vera dolore.

8 *Hinc fero totus, sedet hoc in alto*
Pectore infixum, tua scita toto
Corde sectari, regat hosce donec
Spiritus artus.

Octostichon decimum quintum

SAMECH.

PARAPHRASIS.

113 *INstabiles, & modo in hanc modo in illam partem in religione declinantes abominatus, doctrinam tuam habeo vnice charam.*

114 *Tu mihi perfugium es in quo delitescam, tu mihi clypeus es in iis qua loquutus es prorsus acquiescens.*

INTERPRETATIO.

113 INstabiles odio habeo doctrinam tuam diligo.

114 Latibulum meum & clypeus meus es tu: verbo tuo confido.

115 Declinate

115 *Abite procul à me sceleratio vt Dei mei præcepta tanta, purius obseruem.*

116 *Tu me, Iehoua, sicut facturũ te dixisti, fulcito alioqui periturum, neque me expectatione frustratum dedecorato*

117 *Sustenta me potius, & saluus euadens, edictis tuis assidue maximo cum gaudio operam dabo.*

118 *Omnes quippe à tuis edictis aberrantes ad terram prostratos, fraudibus ipsorum euanescentibus, conculcas.*

119 *Omnes, inquam, improbòs quibus terra oppleta est, quasi scoriam abijcis, ideo nihil est mihi voluntatis tua testimonio iucundius.*

120 *Sed totus intereà præ timore tui, & illa in sceleratos seueritate tua cohorresco.*

115 Declinate à me scelesti: & custodiam præcepta Dei mei.

116 Sustenta me Iehoua secundum verbum tuum vt viuam: & ne pudefacias me ab expectatione mea.

117 Suffulci me, & saluus ero: & considerabo edicta tua semper.

118 Conculcas omnes aberrantes ab edictis tuis: quia res vana dolus eorum *est*

119 *Tanquam* scorias abijcis omnes impios terræ: ideo diligo testimonia tua.

120 Horruit à timore tui caro mea: & legibus tuis timui.

SAMECH, Octostichon decimum quintum, dicolon distrophon, vt Psalmus quinquagesimus nonus.

1 *IN stabiles exosus ego, tua scita calente*
Pectore totus amo.

2 *Tu mihi perfugium, clypeus tu sola tuenti*
In tua verba mihi.

3 *I procul, i scelerata cohors, mihi grata voluntas*
Numinis vna mei.

4 *Pollicitus serua moribundum, ne tua fallat*
Me tua sponsa salus.

5 *Tu me, inquam, serua retinens: tua iussa capessam*

Vt tibi seruus ego.
6 *Errones meritò conculcas, fraus quibus omnis.*
Omnia vana parit.
7 *Abijcis vt scoriam sceleratos, hinc tua lex est*
Vnica cura mihi.
8 *Arrectis horresco, comis, dum hos cogito qualis.*
Quantáque pœna manet.

Octostichon decimum sextum
AIN

PARAPHRASIS.

121 *COmmini scantur illi impudentur quod volent. Ego ita me gessi vt nemo conqueri meritò possit præterius & æquum fuisse à me quicquam in ipsum admissum. Ne me igitur, quaso, calumniatorum libidini expone.*

122 *Imò potius quasi sponsione mea causa facta, cave mihi ne à superbis iniu opprimar.*

123 *Oculi enim ipsi me deficiunt iam pridem liberationi mihi abs te promissa, & iustissimæ sermonis tui præstationi intentum.*

124 *Neque quum hoc peto quicquam quod sim commeritus peto, sed hoc vnum potius, vt me seruulum tuũ benignitate tua digneru, & de tuis edictis erudias.*

125 *Agedum, obsecro, quum sim ego seruus tibi mancipatus, tribue hoc mihi, vt qua nobis testatus es, sic vt par est, in-*

INTERPRETATIO.

121 FEci iudicium & iustitiam: ne tradas me opprimentibus me per calumniã.

122 Sponde pro seruo tuo in bonum: ne opprimant me superbi.

123 Oculi mei defecerunt ad salutem tuam: & ad sermonem iustitiæ tuæ.

124 Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam: & edicta tua doce me.

125 Seruus tuus ego sum: da mihi intelligentiam, vt cognoscam testimonia tua.

126 Tempus

telligam & amplectar.

126 Tempus enim ipſum flagitat, Iehoua, vt manum operi admoueas, quum iſti doctrinã tuam plane labefactarint.

126 Tempus eſt, Iehoua agendi: diſſipauerunt doctrinam tuam.

127 At mihi contrà quouis & quantouis auro ſunt præcepta tua pretioſiora.

127 Propterea dilexi edicta tua, præ auro & obrizo.

128 Siquidem tua mandata omnia dico certiſſimam eſſe rectitudinem, & quicquid nos ab illis abducit, vt ad nos fallendos appoſitum, deteſtor.

128 Propterea omnia mandata tua omnino recta duxi: omnem ſemitam mendacij odi.

AIN, Octoſtichon decimnm ſextum, dicolon diſtrophon, Prior verſus eſt heroicus: alter phalæcius hendecaſyllabus,

IVſtè ac integrè geſſi me ſemper in hoſtem,
Fac né mole ruam calumniarum.
Tu me interueniens ſponſor ſeruato ruentem
Ne me, mi Deus, obruant ſuperbi.
Defecêre oculi optatam dum ſpero ſalutem,
Promiſſæ & fidei exitus beatos.
Fac tuus experiar te ſeruulus vſque benignum,
Iura & me tua tu doce Magiſter.
Addictoq; tibi vires, animumq; capacem
Legum ſuppedita bonus tuarum.
Nanque tuis penitus inſſis, Deus alme, refixis,
Dextræ tempus adeſt tuæ exerendæ.
Idcirco nobis quæ tu mandata dediſti,
Sunt auro mihi charioraque puro.
Fallendiq; viam exoſus, quod præcipis, vnam
Recti illud ſtatuo boniq; normam.

Octostichon decimum septimum.

PE,

PARAPHRASIS.

129 *Ores admirabiles in ijs quæ nobis testaris comprehensas, vt iure me prorsus ijs attentissimè considerandis dedideri.*

130 *Etenim ipsum ad te illic audiendum limen ingressis, sese lux quædam inenarrabilis cõspiciendam effert, mentes ipsas non tam fulgore perstringens, quàm latifico splendore collustrans, & sua sibi rudi tatis conscios vera sapientia informans.*

131 *Anidè itaque tua præcepta, sicut sitibundi solent, hausi cupidissimè expetita.*

132 *Respice me igitur mei anhelantis misertus, prout te gerere erga tui nominis amantes consueuisti.*

133 *Dirige me, vt extra sermonum tuorum viam ne vestigium quidem ponam, néue mihi affectus vllus tua voluntati repugnans dominetur.*

134 *Tuere me & asserе ab improborum fraude & calumnijs, vt ab ijs liber, seruandis tuis mandatis incumbam.*

135 *Iube mihi seruo tuo splendorem illius tui vultus illucescere, & edicta tua doce me.*

136 *Oculi certe mei lachrymis redundarunt, cernente me doctrinam tuam contemptum.*

INTERPRETATIO.

129 REs mirabiles sunt testimonia tua: ideò seruauit ea anima mea.

130 Limen sermonum tuorũ illuminat: & intelligentiam præstat paruulis.

131 Os meum aperui, & hausi quia præcepta tua anidè desideraui.

132 Respice ad me & miserere mihi: secundum ordinationem erga diligentes nomen tuum.

133 Gressus meos dirige sermone tuo: & nulla iniquitas dominetur mihi.

134 Redime me à calumnijs hominum & custodiam præcepta tua.

135 Faciem tuam illumina super seruum tuum: & doce me edicta tua.

136 Riui aquarum defluxerũt ex oculis meis: quod non custodiant doctrinam tuã.

RE,

RE, Octostichon decimum septimum, dicolon distrophon prior versus est heroïcus: alter est trochaïcus dimeter, catalecticus.

1 *ADmiranda tua est verè doctrina, mihiq́,*
Iure cunctis charior.
2 *Hæc siquidem cæcos illustras limine ab ipso,*
Sapereq́, infantes docet.
3 *Idcirco hanc inhians hausi, & fuit una voluptas*
Hæc mihi, istam noscere.
4 *Respice me, clemens, cultores numinis æquus*
Semper vt tui soles.
5 *Tute meos gressus verbo rege, ne mihi forte*
Prauitas vlla imperet.
6 *Et leges seruare tuas seruato paratum,*
Hostium à mendacijs.
7 *Abrecrea vultu seruum radiante, tuasq́,*
Me bonus leges doce.
8 *In lachrymas equidem dissoluor totus, in istos*
Intuendo perfidos.

Octostichon decimum octauum.

TSADE,

PARAPHRASIS.

137 *IVstus es sane, Iehoua, & rectum est quicquid decernis.*

138 *Et qua nobis testatus es, cognosci & obseruari tanquam iustissima, & veluti absolutissimam veritatis normam, merito præcepisti.*

139 *Idcirco totus amore tui in-*

INTERPRETATIO.

137 IVstus es Iehoua: & rectæ leges tuæ *vel rectus es iudicijs tuis.*

138 Mandasti iustitiam testimoniorum tuorum: & veritatem valde.

139 Constrinxit me zelus tu-

flammatus absumor, quod verba tua videam ab aduersarijs meis contemni.

quia obliti sunt verborum tuorum aduersarij mei.

140 Nam profectò sermonibus tuis nihil est purius, quamobrem etiam ego seruus tuus incredibili studio & amore ipsos complector.

140 Purus est sermo tuus vehementer: & seruus tuus dilexit illud.

141 Adeò quidem vt quamuis idcirco mē ab istis vilem & abiectum censeri videam, tamen præceptorum tuorum studium minime abijciam.

141 Paruus ego sum & contemptus: sed mandata tua non sum oblitus.

142 Vnica enim illa institutaregula nobis abs te tradita perpetua est, eademq; verissima ac solidissima, mutationi ac tandem etiam interitui obnoxijs cæteris & sententijs & legibus quas humana sapientia dictauit.

142 Iustitia tua est iustitia in seculum: & doctrina tua est veritas.

143 Idq; sum ego vt ipsa expertus, summam ex ijs non modò consolationem sed etiam oblectationem nactus, quum in maximis miserijs & angustijs versarer.

143 Oppressio & angustia inuenerunt me: præcepta tua sunt oblectationes meæ.

144 Perennis enim boni fons est quod nobis voce tua testatum esse voluisti. At tu facito vt id magis ac magis intelligam, veram sic vitam victurus.

144 Iustitia testimoniorum tuorum *durat* in seculum: intellectum da mihi vt viuam.

TSADE, Octostichon decimum octauum, dicolon distrophon. prior versus est phalæcius hendecasyllabus: alter choriambicus dimeter.

1 IVstus es mundi Deus imperator,
Iustum, quod fieri iubes,

2 Iusta

2 *Iusta sunt, inquam penitusq́; firma,*
Quæ tu tam rigidè iubes.
3 *Ira exæstuo, verba quòd superbus*
Hostis sic tua negligat.
4 *Nil quibus purum magis est, tuoq́;*
Charum mancipio magis.
5 *Paruulus vilisq́; licet, sacratæ*
Legis viuo memor tuæ.
6 *Ius tuum æternum, tuaq́; est perennis*
Abs te tradita veritas.
7 *Hinc malis etsi premar vndiquâque,*
Leges me recreant tuæ,
8 *Iusta nam verè tua iura perstant,*
Hinc viuam vt sapiens, dato.

Octostichon decimum nonum.

COPH.

PARAPHRASIS	INTERPRETATIO
145 *TOto pectore te inclamãtem, Iehoua, tuisq́; seruandis edictis intentum exaudi.*	145 CLamaui toto corde, responde mihi Iehoua: edicta tua seruabo.
146 *Serua me, inquam, opem tuam implorantem, nec de re vlla magis quàm de ijs quæ nobis testatus es custodiendis cogitantem.*	146 Inuocaui te, serua me & custodiam testimonia eius.
147 *Crepusculum ipsum matutinum nosti me sonoris meis precibus anteuertere consueuisse, nempe verbis tuis confisum.*	147 Præuêni crepusculum & clamaui: quia verbum tuum expectaui.
148 *Nec vlli profectò vigiles tam sollicite excubias agũt, quàm ego sedulus fui in meditandis sermonibus tuis.*	148 Præuenerunt oculi mei custodias, ad meditandum sermonem tuum.
149 *Vocem igitur meam exau-*	149 Vocem meam audi se-

ds, Iehoua, pro clementia singulari tua: & prout ipse in legibus tuis facturum te pollicitus es, exanimem instaura.

cundum clementiam tuã: Iehoua secundum legem tuam viuifica me.

150 *Vides quàm ex propinquo me adoriantur qui scelerum assidui sectatores quàm longissimè à doctrina tua recesserunt.*

150 Appropinquauerunt persecutores scelesti, à doctrina tua longè recesserunt.

151 *Sed tu propior etiam, sat scio, mihi adhæres, quoniam tum minis tum promissionibus quas tuis præceptis adiunxisti, necesse est sua veritas constet.*

151 Prope es tu Iehoua: & omnia præcepta tua *sunt* veritas.

152 *Et sum iam pridem re ipsa expertus illa sic esse abs te cõstituta, vt euerti nunquam possint.*

152 Initio *iam pridem* cognoui de testimoniis tuis, quòd in æternum fundaris ea.

COPH, Octostichon decimum nonum, dicolon distrophon. prior versus est Iambicus trimeter acatalecticus: alter est Iambicus dimeter acatalecticus.

1 *AVdito Deus & corde & ore clamitantem,*
Parereq́, cupidum tibi.
2 *Te ego inuoco, erue clamitantem me Deus mi,*
Te liberatus vt colam.
3 *Ipsius ortus solis anteuerto clamans,*
Tua ad vna verba credulus.
4 *Attentior me nullus excubitor, sacratas*
Meditante leges sedulo.
5 *Audi ô benigne & mortuum in vitam repone,*
Ceu legibus caues tuis.
6 *Quo lege longius à tua impij recedunt,*

Hoc

Hoc imminent propius mihi,
At tu vicissim mihi Deus propinquus adsitu,
Vt est ratum quod præcipis.
Hæc me anteactis docuit usus ipse seclis,
Immota stare quæ iubes.

Octostichon vicesimum,
RES,

PARAPHRASIS.

133 *Dispice, quæso, quàm grauiter premar, & me libera doctrinam abs te nobis dictatam minimè oblitum.*

134 *Tu ipse ad quem ab iniquissimis aliorum indicijs prouoco, causa mea disceptator & iudex esto: & prout da iure meo ex præscripto sermonis tui statuerit, assere me & salutem præsta.*

135 *Enimuero magis illi periclitantur quàm ego. Nec enim salus est à quoquam magis remota quàm ab istis improbis qui edicta tua refugiunt.*

136 *Nec ego tamen vlla mea iustitia fretus auxilium à te peto: sed quum te, Iehoua, longè clementissimum esse constet tu me, quæso, pro more tuo cõserua.*

137 *Quantumuis enim plurimi sint ac prapotentes à quibus opprimor & in extremas angustias adigor, nequaquam tamen ab ijs quæ tu nobis testatus es deflexi.*

INTERPRETATIO.

133 Vide afflictionẽ meã & erue me: quia doctrinam tuam non sum oblitus.

134 Discepta causam meam & redime me: secundum sermonem tuum viuifica me.

135 Procul ab impijs salus: quia edicta tua non quæsiuerunt.

136 Miserationes tuæ multæ Iehoua: secundum leges tuas viuifica me.

137 Multi sunt persecutores mei, & oppressores mei: sed à testimonijs tuis non declinani.

158 Imò nulla ex re maiorem ægritudinem concepi, quàm quòd istos vsque adeò præfracte & impudenter animaduerterem sermones tuos aspernari.

158 Vidi prævaricatores & tædio fum affectus quòd sermonem tuum non custodierint.

159 Habe igitur mei rationem cui mandata tua charissima semper fuerunt, & pro bonitate singulari tua perennem serua.

159 Vide quòd mandata tua dilexi: Iehoua secundum bonitatem tuam vivifica me.

160 Primarium illud est in verbo tuo, quòd est firmissimum: estq; immota in æternum iustitiæ tuæ regula.

160 Caput verbi tui est veritas: & in perpetuum omnis ordinatio iustitiæ tuæ.

RES, Octostichon vicesimum dicolon distrophon Prior versus est heroïcus, alter Iambicus dimeter catalecticus.

1 RESpice me miserum, miserum Deus erue, legum
Vsque memorem tuarum.

2 Tu te mihi iudex esto, meq; eximе morti,
Olim vt mihi es loquutus.

3 Quo mage nempe tuas leges fugit impius, illum
Hoc mage salus abhorret.

4 O Deus immensùm clemens, me reddito vitæ.
Fidei vt decet tenacem.

5 Vndique me multi vexantq; premuntq;, nec vlli
Me in deuia abstulêre,

6 Ingemui potius, tua sic contemnere iussa
Istos videns sceleстos.

7 Tu verò tua quæ bonitas, me reddito vitæ
Legum tuarum amantem.

8 Vera à principio tua semper iussa fuêre,
Eruntq; iusta semper.

Octosti-

Octostichon vicesimum primum.

SCHIN.

PARAPHRASIS.

161 *Potentissimi quique me, & quidem nihil tale cõmeritum, persequuntur: sed expauescere ad sermones tuos quàm ad illorum minas malo, ne te potius quàm illos offendam.*

162 *Et quamuis abnegatione tui videar magnum lucrũ facturus, potius est mihi tamen quantauis opima præda, gaudium quod ex sermonibus tuis percipio.*

163 *Fraudes odi & detestor, doctrinam tuam complexus.*

164 *Atque adeo tantum abest vt illorum exemplum sequar, vt cõtrà septies quotidie insignia iustitiæ tuæ iudicia intuẽs, laudes tuas concelebrem.*

165 *Tranquillitas certè summa, veraque securitas, & ab omni casu tuta, iis demum obtingunt qui doctrinæ tuæ studio tenentur.*

166 *Spem igitur liberationis à te mihi ventura apud me foueo, Iehoua, seruandis interim tuis præceptis intentus.*

167 *Certum enim mihi est quæ tu nobis testatus es amore summo amplecti, & quàm diligẽtissimè seruare.*

168 *Et quàm id syncerè faciam, id est quàm non simulatè mã-*

INTERPRETATIO.

161 PRincipes persecuti sunt me gratis: sed à sermone tuo expauit cor meum.

162 Delector sermone tuo sicut qui educit prædã multam.

163 Fraudem odi & detestor: doctrinam tuam diligo.

164 Septies quotidiè laudo te, propter iudicia iustitiæ tuæ.

165 Pax multa diligentibus doctrinam tuam: & non est illis offensio.

166 Expectaui salutem tuam Iehoua: & præcepta tua feci.

167 Custodiuit anima mea testimonia tua: & diligo illa valde.

168 Seruaui mandata tua & testimonia tua: quoniam

datis & vt omnibus qua nobis teſtificatus es incumbam, tibi, quo teſte & conſcio ago quicquid ago, quàm optimi cõ ſtat.

omnes vitæ meæ coram te.

SCHIN, Octoſtichon viceſimum primum, dicolon diſtrophon. prior verſus eſt Iambicus dimeter acatalecticus, poſterior eſt heroïcus.

1 *ME perſequuntur innocentem principes,*
Vnica ſed meus hic animus tua dicta veretur.
2 *Sermone lætor nec minus hilaris tuo*
Quàm ſpoliis gaudet miles ditatus opimis.
3 *Odi ipſe fraudes, omnis impatiens doli,*
Legum perpetuo deuinctus amore tuarum.
4 *Laudo diebus ſepties te ſingulis,*
Iuſtitiam admirans, mundi qua flectis habenas.
5 *Tuis ſecunda omnia cadunt cultoribus,*
Omnia ſecuris lapſus, turpiſque ruinæ.
6 *Idcirco placidus te, Deus mi, vindicem*
Expecto, tua ſolliciè mandata ſequutus.
7 *Amore ſiquidem totus illorum ardeo,*
Teſtatas toto complectens pectore leges.
8 *Teſtata iuſſa, inquam, tua illa perſequor,*
Vt noſti, ô morum teſtis vindex q́, meorum.

Octoſtichon viceſimum ſecundum, THAV,

PARAPHRASIS

169 *CLamores mi vſque ad te perueniant, Iehoua,*

INTERPRETATIO.

169 APpropinquet clamor meus in conſpe-

& verbi tui intelligentiam mihi largire.

170 *Perueniant, inquam, ad te preces meæ: & eripe me ſicuti te facturum verbo promiſiſti.*

171 *Liberatus autem ego, edictaque tua edoctus, laudes tibi ore meo quaſi ex oberrimo fonte ſcaturientes effundam:*

172 *Tuoq́. ſermones lingua perſonans, nihil eſſe tuis præceptis iuſtius, longe latéque prædicabo.*

173 *Sed age tu mihi, qui tua mãdata cæteris rebus omnibus prætuli, tua manu opitulator.*

174 *Nam abs te uno, Iehoua, totus pendeo, & ab unica doctrina tua ſolatium peto.*

175 *Iube igitur vitam mihi prorogari, vt in tutelam tuam iuſtiſſimi vindicis receptus, perpetuas tibi laudes canam.*

176 *Eheu, ſicuti vides, profugus huc & illuc velut aucula procul à grege oberrans, omnibus periculu expoſitus diſcurro, Tu verò, beniguiſſime paſtor, ſeruulum hunc tuum præceptorum tuorum minimè oblitum quare, repertúmque reſtitue.*

ſpectum tuum Iehoua: ſecundum verbum tuum fac me intelligentem.

170 Veniat deprecatio mea in conſpectum tuum: ſecundum verbum tuum eripe me.

171 Eructabunt labia mea hymnum: cum docueris me edicta tua.

172 Pronunciabit mea lingua ſermonem tuum: quia omnia mandata tua *ſunt* iuſtitia, *id eſt, iuſta.*

173 Sit manus tua ad auxiliũ mihi: quia mandata tua elegi.

174 Deſiderani auidè ſalutem tuam Iehoua: & doctrina tua oblectatio mea *eſt.*

175 Viuet anima mea & laudabit te: & leges tuæ adiuuabunt me.

176 Errauí ficut ouis perdita, quære ſeruum tuum: quia præcepta tua non ſum oblitus.

THAV, Octoſtichon viceſimum ſecundum, tricolon triſtrophon. Primus verſus eſt heroïcus: alter Dactylicus Dime-

ter hypercatalecticus : tertius Iambicus dimeter acatalecticus.

1 *Clamores præsens Deus exaudito vocantis,*
Pollicitamq́, mihi
Tandem exhibe prudentiam
2 *Tu voces, inquam, præsens audito precantis,*
Pollicitiq́, memor,
His me periclis erue.
3 *Tunc ego te toto memorabo fortiter ore,*
Quid tua ira ferant
Edoctus abs te scilicet.
4 *Sermones tunc lingua tuos hæc nostra sonabit,*
Tunc tua iura canam,
Quibus sit æquius nihil.
5 *Fac modo præ rebus tua cunctis dicta sequuto,*
Vt mihi fortis opem
Illa tua præstet dextera.
6 *Tu mihi certa salus, tua me, Deus Optime, iussa,*
Quæ mala cunque premant,
Rebus iuuant in omnibus,
7 *Te laudesq́, tuas saluus fac carmine dicam,*
Fac tua iusta fides
His me iuuet in angustiis.
8 *Amissam ceu pastor ouem, tu quæso, vagantem,*
Haud tamen immemorem
Tui, require seruulum.

Psalmus centesimus vicesimus qui est Ascensionum primus εὐκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vicesimi.

Hunc Psalmum & alios quatuordecim ordine consequen-

tes

tes Hebraica inscriptio Psalmos MAHALOTH, id est graduũ vocat, vt omnes fere interpretantur, eo nomine intelligentes gradus quibus insistebant Leuitæ, vnde fuerint decantati, & tales fuisse gradus aliquos constat ex Nehem. 9. 4. Ego, quod cuiusdam præiudicio dictum sit, istam sententiam probare non possum, sed Psalmos ASCENSIONVM interpretor celebrando Israelitarum ex Babylone reditũ peculiariter consecratos, & plurali numero, id est ascensionum, non ascẽsionis Psalmos vocari, quoniam non simul rediit populus, sed alij sub Zorobabele, alij aliquanto post sub Ezra alij denique cũ Nehemia reuersi sũt, quo demum tempore, quum de integro diuinus cultus esset ordinandus, & politia restituenda, tum hi Psalmi tum etiam reliqui in vnum corpus ab Ezra collecti existimantur, & hi quidem ei beneficio peculiariter prædicando destinati: quos etiam probabile est postea fuisse ab iis potissimum decantari solitos qui ad solennia festa in templum ascẽdebant. Notum est enim vbiq; in sacris literis, Ascendere sẽper dici propter vrbis situ, & propter templi dignitatem, qui Ierosolimam adibant, adeò vt etiam Ierosolimæ nomen interdum reticeatur veluti Act. 18. 22. Cur autem ita sentiam ea potissimum ratione ducor, quod (vt in singulis argumẽtis docebo) sic distributi sint hi psalmi, vt videãtur populũ primùm sese ad abitum comparantem, deinde iter ingressum, ac deinceps in vrbẽ appulsum & instaurandis rebus incũbentem, ac deniq; iam vrbe temploq; restituris sese mutuò ad sacra ciuiliaq; officia cohortantem, inducere. Neq; his obstat quòd ex iis psalmis tertius-quintus, duodecimus decimus tertius, decimus quartus, Dauidi octauus autem Solomoni tribuũtur. Nihil enim obstat quominus iam olim alia occasione vel generali argumẽto ab illis aut ab aliis etiam scriptis Psalmi postea ad istud beneficium peculiariter celebrandum fuerint accõmodati, sicut disertè probatur ex Psalmo huius ordinis septimo. Primus igitur istorum mihi quidem videtur populi personam repræsentare sese ad exitum cõparantis, & partim deplorantis diuturnæ inter prophanas gentes captiuitatis miseriam partim Deum precantis ne concessus reditus vllis hostiũ calumniis impediretur, sicuti reuerso in Iudæã populo his artibus diu impeditam vrbis instaurationẽ fuisse legimus. Has autem gentes puta Babylonios & Persas, non suis sed vicinorũ Arabiæ populorũ efferatissimorũ nominibus appellat, veluti si hodie nimium multos populos quorũ sæuitia nota est Tur-

cas & Scythas appellaremus. Hoc enim sic accipiendum esse patet ex eo quòd populus Dei nunquam in Arabiam translatus est captiuus, & ne Dauidi quidem ista tribus cōmodè possunt. Vsus autem huius Psalmi hic quoque magnus est, quum sæpe cogantur pij impiorum crudelitate ad vltimas vsq; terras profugere. Quod si quando contigerit, aut si in media patria atque adeò inter cognatos vel affines reperiantur Meschitæ & Kedareni, qualis sors est Ecclesiæ in mundo versantis, retinenda semper est pietas, concipiendæ assiduæ preces, pernestigandus vbicunque est aliquis piorum cœtus, denique cauendum semper ne cum lupis vlulando tandem & ipsi ex ouibus lupi euadamus.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *VOcem igitur ad te sustuli, Iehoua, in his angustijs, & tu me tandem exaudisti.*	1 AD Iehouam in angustia mea clamaui: & respondit mihi.
2 *At nunc præterea, ne sit irritum istud beneficium, illud superest, vt me à mendacium hominum fraudulentia calumnijs asseras, qui quod vi obtinere non possunt, hijs artibus impediant.*	2 Iehoua libera animā meā ab ore falsiloquo: à lingua fraudulenta.
3 *Cedò verò quisquis tale quidpiam facitas, quid ex hac fraude commodi vel emolumēti conseqūtus?*	3 Quid dabit tibi, & quid addet tibi lingua fraudulenta.
4 *Sunt tamen, fateor, admodum acuta fraudulenta lingua tela, & quorum vulneris incendia nō minus difficulter quàm iuniperorum pruna extinguuntur.*	4 *Est vtique* sagittæ robusti hominis acutæ, & vt carbones iuniperorum.
5 *Hei mihi, tam diu ne me inter prophanos & inmanes istos Meschitas & Kadarenos patria exulantem versarit*	5 Hei mihi quòd exulo in Meschech & habito inter tentoria Kedar.

6 Dia

6 *O longissimam & anima mea acerbissimam moram cum istis ab omni pace & tranquillitate alienissimis!*

7 *Nam ego quidem nihil aliud quàm pacem quæro, sed quò magis illos mitigare conor, eò magis illorum odia & inimicitias accendo.*

6 Diu habitauit anima mea cum hostibus pacis.

7 Ego pacem *expeto*, sed dũ loquor, ipsi ad bellum *se comparant.*

Idem Psalmus centesimus vicesimus, monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo, vt secundus..

1 *NVmen ô toties mihi vocatum,*
Expertum toties mihi vocanti,
2 *Tu me à criminibus calumniantum,*
Tu me à fraudibus hisce mentientum
Linguarum obsecro vindicato iustus.
3 *Et verò tibi quid, sceleste, lingua,*
Lingua, inquam, tibi falsa commodarit?
4 *Telis scilicet hæc par est acutis,*
Dextra qualia præpotente iacta,
Carbonésque refert, diú diúque
Vrentes semel ignibus receptis.
5 *Hei mihi nomadum Mesechæorum,*
Hei mihi nomadum Kedaræorum,
In mapalibus hisce commoranti!
6 *Et eheu nimium diu immoranti*
Hos inter placidæ quietis hostes.
7 *Quos componere si tumultuantes*
Amica studeam allocutione,
Tanto in bella ruunt ferociores.

Psalmus centesimus vicesimus primus qui est Ascensionum secundus.

παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vicesimi primi.

Inducitur hoc Psalmo populus Dei iter ingressus & ad Iudeæ mõtana in quibus vrbs prostrata iacebat, oculos, Danielis exemplo quod Dan. 6. describitur, cõuertens denique aduersus itineris tam lõgi támque molesti difficultates sese erigens, repetito beneficentiæ Dei exemplo non dissimili, quum populum suum ex Aegypti seruitute liberatum nube interdiu aduersus solis ardores, & ignis columna aduersus noctis incommoda tueretur. Hæc autem omnia quum sint typi spiritualis illius auxilij quo Filius Dei peregrinantem in mundo Ecclesiam suam admirabiliter conseruat, ac etiam totidem pignora ne in hac quidem vita defuturum nobis in desertis quantumlibet asperis quicquid ad eam transigendam requiritur, satis ex eo cognosci potest quàm sit piis omnibus necessaria doctrina hoc Psalmo comprehensa.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *ADvos, montes, in istis alioqui insuperabilibus difficultatibus, oculos conuerto, ad quos videlicet, contendo & vnde venturũ mihi demum auxilium confido.*

2 *Ipsum videlicet Iehouã, qui quum sit cæli terræq; cõditor, minimè quidem illis montibus quasi termino quodam imperium suum circumscripsit, sed illos tamen montes sibi delegit ex quibus nobis signum præsentiæ ac benevolentiæ suæ ostentaret.*

INTERPRETATIO.

1 ATtollo oculos meos ad montes: vnde veniet auxilium mihi.

2 Auxilium meum à Iehoua qui fecit cælum & terram.

3 Non

3 *Nunquam igitur ille patietur vt in hoc itinere vel tantillum sic offendas vt concidas aut regredi cogaris: & vt multi in pernitiem tuam excubent, ipse pericula omnia præuenturus custos est nostri pervigil futurus.*

3 Non dabit ad lapsum pedem tuum: non dormitabit custos tuus.

4 *Tuendi enim sui Israëlis curam quum ipse vltro proprio quodam studio in se receperit, ne dormitabit quidem, nedum vt stertens vos opprimi patiatur.*

4 Ecce non dormitabit, neque dormiet custos Israel.

5 *Sit igitur hoc tibi certò constitutum, & hac vna spe in omnibus difficultatibus confirmator: Iehouam esse tuum custodem, Iehouã esse tibi aduersus omnes procellas vmbraculi vice: ad latus denique tuum adesse, nunquam tibi defuturum.*

5 Iehoua *est* custos tuus: Iehoua *est* vmbra tua: *est* ad manum dexteram tuam.

6 *Et, vt olim adfuit ex Aegypto reuertenti, sic nunc quoq; & aduersus Solis ardores interdiu, & aduersus noxios humores à Luna excitari solitos, tibi noctu adfuturum.*

6 Interdiu sol nõ vret te neque luna nocte.

7 *Iehoua denique aduersus incommoda omnia saluũ te præstabit: vitam, inquam, tuam tutabitur.*

7 Iehoua custodiet te ab omni malo: custodiet animam tuam.

8 *Denique, quacunque perges, aderit ille tibi ex vno loco egredienti, aderit in alium locum ingredienti, neque in hac duntaxat perfectione sed perpetuò tibi gubernator est futurus.*

8 Iehoua custodiet egressum tuum & ingressum tuum: ab hoc tempore & vsque in seculum.

Idem Psalmus centesimus vicesimus primus, monocolos, carmine trochaïco dimetro catalectico, vt psalmus vicesimus tertius.

1 ERgo vos ô montium
Specto tandem vertices,
Rebus vnde perditis
Certa prodibit salus.

2 Nempe tu sacro sedens
Montis in cacumine,
O potens soli Deus
Atque cœli conditor.

3 Israël hic est tua
Qui reget vestigia,
Iste custos peruigil
Vsque te tutabitur.

4 Nánque custos hic dies
Atque noctes excubans,
Vsque somni sedulus
Omnis expers exigit.

5 Hic Deus custos tibi,
Præbet hic vmbram tibi,
Fidus hic tuum comes
Deseret nunquam latus.

6 Luce non te lampade
Sol aduret torrida,

Luna

Luna te vaporibus
Non liquabit humidis.

7 *Israël hic te malis*
Asserens ab omnibus,
Te solo tandem tuo
Collocabit sospitem.

8 *Tutus ibis, hoc duce,*
Et redibis quolibet,
Nunc & vsque in vltima
Seculorum secula.

Psalmus centesimus vicesimus secundus qui est Ascensionum tertius.

παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi cẽtesimi vicesimi secundi.

Inducitur hoc Psalmo populus Dei inter se de mox inchoanda vel iam cœpta vrbis instauratione sibi cõgratulans, eóq; trahens Psalmum superioribus seculis à Dauide scriptũ, quum primum extrueretur illa ciuitas sacrarium Dei simul & caput regni futura. Et hæc quidem duplex dignitas illius ciuitatis fuit, sic tamen vt sacrarium politiæ ciuili manifestè anteponatur, quum ista quidem esset in genere beneficium Ecclesiæ Dei cum multis etiam prophanis populis commune, illa verò sit Ecclesiæ proprium & peculiare bonum. Tantum hoc vtrunq; donum vtinam agnoscant & studiosè retineant vrbes & status quibus id nostra memoria diuinitus est concessum.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *O Faustum & iucundum nuntium. Extabit domus Iehouæ sacrata, in quam ibimus.*

INTERPRETATIO.

1 GAudio sum perfusus propter eos qui dixerunt mihi, domum Iehouæ ibimus.

2 *Viſemus te, & in tuis porticibus conſiſtemus, Ieruſalem.*

3 *Nec iam inſtar vici, diſperſis hinc inde domunculis conſperſa, ſed contiguis ædibus, & vrbis ſpecie exædificata conſpicieris.*

4 *In primis quidem vt illuc tributim populus ille Deo ſacer, ritu diuinitus Iſraeli ad Iehoua celebrandum nomen cõſtituto, conueniat.*

5 *Deinde quòd tribunalia, tribunalia, inquam, Dauidi & ipſius poſteris ad ius cuique reddendum ibi ſunt diuinitus collocata.*

6 *Itaque quum in huius vrbis conſeruatione poſita videatur totius populi ſalus, agite precemur pro Ieroſolyma & omnium qui ipſi fauent incolumitate.*

7 *Pacata ſis intus & foris, & omni bonorum genere ſis vndique toto turrium tuarum ambitu cumulata.*

8 *Nec has preces immeritò pro tua incolumitate profundo, quum omnium noſtra gentis familiarum ſalus in te ſit repoſita.*

9 *Denique, quum in te ſibi domicilium poſuerit Dominus Deus noſter vt ibi purus ipſius cultus exerceatur, quanta maxima fieri contentione poterit, conſeruare te & amplificare ſtudebo.*

2 Stabunt pedes noſtri in atriis tuis, Ieruſalem,

3 Ieruſalem *qua* ædificaris vt ciuitas: quæ conſociata es ſimul.

4 Vt illuc aſcendant tribus, tribus Dei in teſtimonium Iſraeli: ad celebrandum nomen Iehouæ.

5 Quia illic collocata ſunt ſolia ad iudicium: ſolia domus Dauid.

6 Precamini pacem Ieruſalem: proſperentur diligentes te.

7 Sit pax in munitione tua proſperitas in turribus tuis.

8 Propter fratres meos & propinquos meos, loquar *id eſt precabor* nunc pacem intra te.

9 Propter domum Iehouæ Dei noſtri, quæram bonum tibi.

dem

Idem Psalmus centesimus vicesimus secundus, monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo, vt psalmus secundus.

1 O Lætum mihi nuntium afferentem,
Fore vt numinis introire nobis
Illam illam liceat potentis ædem.
2 Per te ergò Solyma, & tuas sacratas
Nempe incedere porticus licebit,
3 Et magnæ speciem vrbis intuiri,
Surgentésque simul domos videre,
4 Et spectare tribus, tribus sacratas,
Pacti eius memores, Deus quod olim
Cum suo bonus Israële pepxit:
Illuc pergere quo iubet, supremo
Lætas carmina Numini canentes:
5 Et surgens domui sacrum Dauidis
A te conspicuum tribunal illud,
Vnde iura petant ferantq, cuncti.
6 Huic ergo assidua precatione
Optate omnia fausta ciuitati.
Sic vobis quoque fausta cuncta cedant,
7 Huic quotcunque pij fauetis vrbi:
Pax, vrbs sacra tuas perennet arces,
Lædat noxa tuas nec vlla turres.
8 Quum salus sit enim tua ista nostris
Communis simul omnibus propinquis,
Quî non cuncta tibi precer secunda?
9 Deus denique quum peculiarem,
Istanc ipse sibi dicarit ædem,
Certè pectore te iunabo toto.

Psalmus centesimus vicesimus tertius, qui est Ascensionum quartus.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vicesimi tertij.

Hoc Psalmo inducitur Dei populus imbecillis aduersus potentum vicinarum regionum gubernatorum infinitas iniurias, Deum Opt. Max. quàm ardentissimè deprecans, quæ historia copiosè describitur apud Ezrã & Nehemiam. Quod vtinam his nostris simillimis tẽporibus Ecclesia eodem consilio & remedio vtatur.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *ET si omnia sint mihi in terris infesta, minimè tamen animum despondeo: sed ad te cælis insidentem mentis & corporis oculos attollo.*	1 AD te leuo oculos meos: qui habitas in cælis.
2 *Ad quem enim serui potius quàm ad suorum dominorum opem confugerint? & ad quã sese potius ancilla quàm ad hera sua auxilium peritura conuerterit? Itaque haud secus oculos ad Iehouam Deum nostrum intendimus, nõ prius desituri quàm nostri misereatur.*	2 Ecce sicut oculi seruorum ad manum *id est opem* dominorum suorum: sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ: ita oculi nostri ad Iehouam Deum nostrũ donec misereatur nostri.
3 *Agedum igitur, Iehoua, miserere, miserere, inquam, nostri, siquidem nihil nobis abiectius fingi potest.*	3 Miserere nostri, Iehoua, miserere nostri: quia valde satiati sumus despectione.
4 *Et abundè ac plus satis potentium istorum superbissimorũ hominum ludibrijs ac contumelijs sumus oppleti.*	4 Admodum satiata est sibi *apud se* anima nostra ludibrio diuitum & cõtemptu superborum.

Idem

Idem Psalmus centesimus vicesimus tertius, dicolos distrophos, vt psalmus primus.

1 *COelestis ad te regiæ rex, turgida*
Attollo fletu lumina.
2 *Nam seruulus qualis miser herum respicit,*
Dominamque serua oculis notat,
Aeterne sic te noster aspicimus Deus,
Miseris opem vsque dum feras.
3 *Fer opem, Deus fer opem obrutis ferocium*
Iniuria & ludibrijs,
4 *Vide vt misellos diuitum superbia*
Inundet intolerabilis.

Psalmus centesimus vicesimus quartus quī est Ascensionum quintus

εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vicesimi quarti.

Sicut in superiore Psalmo populus quasi sub onere fatiscens ingemiscebat, ita nunc fide erectus & tum accepto lætore nuntio à Persarum Regibus, tum Ezræ ac Nehemiæ precibus prudentia & fortitudine, vitatis hostium insidiis, exultans inducitur, & Deo gratias agens: cuiusmodi beneficentiæ diuinæ exempla vidimus non pauca hoc ipso nostro quamuis miserrimo seculo, & posteri proculdubio nostri suo tempore intuebuntur.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.		INTERPRETATIO.
1 *FAteatur nunc & prædicet ingenuè Israel, absque Iehoua qui nobis omni præ-*	1	ABsque Iehoua qui fuit pro nobis: dicat nunc Israel.

fidio humano destitutù adfuit.

2 *Absque Iehoua, qui nobis alioqui perditis adfuit, quum homines in nos certatim insurgerent:*

2 Absque Iehoua, qui fuit pro nobis, quum insurgerent contra nos homines.

3 *Viuos certè nos illi deglutiuissent tanta fuit illorum in nos inflammata rabies.*

3 Tum viuos deglutiuissent nos: cum excandesceret furor ipsorum in nos.

4 *Iam, inquam, nos instar aquarum rapidissimarũ euertissent, & veluti torrentis impetu obrutos abripuissent.*

4 Tunc aquæ inundassent nos torrens transiisset super animam nostram.

5 *Iampridem violentissima procella nos subuersos cooperuissent.*

5 Tunc trãsiissent super animam nostram aquæ tumidæ.

6 *Laus sit Iehouæ, qui prohibuit ne truculentæ & immanes istæ bestiæ nos unguibus arreptos, dentibusq; sæuissimis comminutos vorarent,*

6 Benedictus *sit* Iehoua: qui non dedit nos *in* prædam dentibus eorum.

7 *Vita certè nostra perinde ac auicula retibus istorum aucupum erepta est. & illorum quidem laquei rupti sunt, nos autem liberati sumus.*

7 Anima nostra sicut auis erepta est è laqueo aucupũ laqueus ruptus est, & nos liberati sumus.

8 *Totum autem hoc beneficium unius Iehouæ cæli terrærúmque conditoris bonitati acceptum feramus oportet.*

8 Auxilium nostrum *fuit* in nomine Iehouæ, qui fecit cælum & terram.

Idem Psalmus centesimus vicesimus quartus dicolos distrophos, vt primus.

1 *AGedum fatêre hoc Israël, & hoc prædica,*
Nisi adfuisset nunc Deus,

2 *Nisi adfuisset nunc Deus, tanto ferox*
Quum irrueret hostis impetu,

3 *Nos ille vivos tantus hostilis furor*

Iam

Iam deuoraſſet integros,
4 *Aut vorticibus iremus vndarum obruti,*
Altóque merſi gurgite,
5 *Et putrida rapido natarent alueo*
Hæc verſa iam cadauera.
6 *At te, Deus, qua laude nos dignabimur,*
Rapti ex leonum faucibus?
7 *Nos nempe ruptis aucupum iſtis retibus,*
En ſoſpites euaſimus,
8 *Et iſtud omne munus eſt tuum, Deus,*
Cœli ſoliq́, conditor.

Pſalmus centeſimus viceſimus quintus, qui eſt Aſcenſionum ſextus.

διδακτικὸς.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi viceſimi quinti.

Inſtaurata iam-tandem vrbe & politia rurſum ſtabilita, docetur populus Dei quo fundamento deinceps inniti debeat, argumento ab ipſius vrbis ſitu deſumpto: typo videlicet Dei tum roboris, tum patefactæ beneuolentiæ, quæ faciat vt ſeueritatem ipſam quoque moderatiſſima caſtigatione temperet. Sed additur pertinere iſtud ad eos demum qui pietatem reipſa teſtentur, cæteris haud aliter quàm prophanæ gentes iuſtas pœnas luituris, etiam ſi in media Dei ciuitate habitent.

Eiuſdem Pſalmi.

PARAPHRASIS.

1 *QVàm immotum ſuo pondere mõtem ipſum Sionẽ eſſe conſpicimus tam certos eſſe iubeo quicunque Iehoua fidunt ſe nũquam eſſe corruituros.*

INTERPRETATIO.

1 QVi confidunt in Iehoua, *erunt* ſicut mons Sion *qui* non commouetur, & in æternũ, perſtat.

2 *Sicut enim Ierosolymorũ vrbem ipsam montibus vndique circumcinctam videmus, ita Iehoua populum suum vndique circunstat, nuuquam illũ deserturus.*

2 Ierusalem montes *sunt* in circuitu eius *sic* etiam Iehoua *est* in circuitu populi sui: & nunc vsque in seculum.

3 *Quod si quando piorum cernicibus incumbit ferreum illud tyrannorum improborum sceptrum, at illis certè tanquam perpetuò mansurum nõ insidet, vt nos ipsi non semel experti sumus: ne fortè desperatione adacti qui antea iustitia studebant, tandem & ipsi ad peccandi licentiam ferantur.*

3 Nec enim quiescet sceptrũ impiorum super sortem *id est, cœtum* iustorum: ne extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

4 *At tu, Iehoua, quemadmodũ adhuc fecisti, bonos & rectè amantes tueri, & nouis tibi beneficijs obstringere perseuera.*

4 Benefac, Iehoua bonis & rectis in cordibus suis.

5 *Et ita sanè futurus ille est. Sed si qui ex ijs quos in populo suo accensẽt Iehoua, à recta via in prauam deflexerint, sciant fore vt eos ad iustas pœnas quantumuis reluctantes haud secus abripiat quam prophanos & sceleratissimos quos suis consuescit. Verus autem Israel solida certáque tranquillitate perfruetur.*

5 Qui verò diuertunt in prauitates suas ambulare faciet *eos* Iehoua cum iis qui operam dant iniquitati: Pax *erit* super Israel.

Idem Psalmus centesimus vicesimus quintus monocolos carmine trochaico dimetro catalectico vt vicesimus tertius.

1 *Vnico quisquis Deo*
Se regendum credidit,

Permanebit

Permanebit arduæ
Ceu Sion immobilis.

2 *Quippe vt ista montibus*
Hinc & inde cingitur
Sic Deus suos bonus
Cingit vsque peruigil.

3 *Nec bonos semper sinit*
Opprimi tyrannide,
Ne boni tandem suas
Scelere polluant manus.

4 *Tu bonis faue Deus,*
Corde tu puros iuua,
Callidos autem pede
Claudicantes lubrico,

5 *Cum scelestis ô Deus*
Puniendos ducito:
Pace verò fac tuus
Perfruatur Israël.

Psalmus centesimus vicesimus sextus, qui est Ascensionum septimus.

εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vicesimi sexti.

Populus Dei tandem ex Babylone restitutus tam insignem σωτηρίαν gratus agnoscit & pro reliquijs exulũ qui tardiores fuerant, & tãdem etiam pœnas ignauiæ suæ dederunt, precatus, lætum exitum iam esse ac deinceps fore prædicat earum miseriarũ quibus Dominus suos castigat aut explorat.

Sic hodie decet eos qui ex Antichristi seruitute eò euaserũt vbi purus Dei cultus viget, pro ijs qui adhuc in eo luto hærent assiduè precari, & sese ad noua, quum Deo visum erit, certamina alacriter comparare.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.

1 *OMnino fatendum nobis est tantum istud esse Dei beneficium, vt quũ nos Iehoua tam ex insperato támque insinuato modo & tempore ex hac miseria tám q̃ diuturna captiuitate in patriam reduceret, nobis somniare videremur.*

2 *Tunc ora in risum solui, tunc lingua latitiam testari, tunc admirantes omnes populi dicere, Mirificum est planè Iehoua in istos beneficium.*

3 *Et certè ita se res habet, Nam si vnquam aliàs, stupendũ est istud Dei erga nos opus, nec immeritò lætamur.*

4 *At tu, Iehoua, vt plenum solidumq̃ istud sit gaudiũ quod nobis tribuis, cæteros quoque reducito, & illo miserrima captiuitatis æstu torrefactos recrea, perinde ac si arentibus Austri regionibus riuos aquarum immitteres.*

5 *Vtcunque sit, res ipsa nobis dem̃ostrat beneficio tuo singulari fiet, vt qui lacrymantes seuerunt exultantes metant.*

INTERPRETATIO.

1 CVm reduceret Iehoua captiuos Sion factí sumus tanquam somniantes.

2 Tunc impletum est risuros nostrum, & lingua nostra exultatione: tunc dixerunt gentes inter se: magnificè se gessit Iehoua ad agendum cum istis.

3 Magnificè se gessit ad agendum nobiscum: facti sumus lætantes.

4 Reduc Iehoua captiuos nostros: sicut torrentes aquarum sunt in Austro.

5 Qui seminant cum lacrymis, cum exultatione metent.

6 Iens

6 *Sic accidere, videmus interdū agricolis, qui quum in pennia non ſine lachrymis per arvum ierint redierint, earum ſemen de promptum ſpargentes, tempore meſſis contrà eunt: redeunt exultantes & gratiis manipulis onuſti.*

6 Iens rediens flet portans ſemē quod depromit: iens rediens cum exultatione portat manipulos ſuos.

Idem Pſalmus centeſimus vicesimus ſextus, carmine Anapæſtico tetrametro acatalectico, vt pſalmus quadrageſimus ſeptimus.

1 *REduces ſubito patria regredi*
In ſola quum nos Solymis exules
Sinerent verſi corda Tyranni,
Eſſe hæc ſomnia mera credidimus.

2 *Tunc riſu hilares ora reſoluimus,*
Tunc cantu hilares ora repleuimus,
Benefacta Dei maxima cunctis
Populum demirantibus in ſuum:

3 *Et meritò nam maxima nobis*
Præbet gaudia Maximus Optimus,
4 *Perge ergo Deus, ceptaq́, perfice,*
Reliquos patrium reuocans in ſolum.

Qualis torridâ ſolis ab æſtu
Rura exhilarat riuus inundans,
5 *Et ceu lachrymans ſerit agricola*
Quæ larga alacer meſſe recondat,

6 *Sic illachrymans it redit aruis*
Mandans semina cara colonus,
Qui post vt redit hilaris, lectis
Complens horrea tota maniplis.

Psalmus cẽtesimus vicesimus septimus, qui est Ascensionum octauus διδακτικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vicesimi septimi.

Hunc Psalmum quũ Hebraica inscriptio Solomoni tribuat, apparet scriptum fuisse ab eo & Populo dictatum extructo templo, & religione constituta, vt Populus tantum bonum agnosceret cuius fulcro tota gẽtis incolumitas nitebatur: neq; in lapideo tẽplo & externis ritibus subsisteret, sed vnusquisq; sese domumque suam Deo consecraret. Fuit igitur post reditum ex captiuitate, post instaurata omnia meritò repetitus, vt rursum doceretur Dei Populus nuper renatus quod sit verę tum œconomię tum politiæ fundamẽtum, & qua ratione beatus ile status qui singulari Dei beneficio post tantas calamitates illi obtigerat, conseruari posset. Summa autem est, pietate veróque Dei cultu stare, familias & ciuitates, nec verè prodesse absq; religione vlla artificia, vllósue quibus sese ciues exerceant labores, piásq; familias esse vera ciuitatum ornamenta: qua de re, vt quædã docuerint tum Philosophi tum Legislatores, dicere tamen non dubito hunc vel vnicũ Psalmũ omnibus omnium illorum libris etiam humanitus consideratis tum sententiarum pondere tum verborum splendore anteponendum. & ô felicem ciuitatem quæ hoc tibi exemplar proponis. Sed vbi tandem extas in orbe terrarum?

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *Est quidem singulari Dei beneficio instaurata ciuitas, refectaq; sunt cum priuatorum domibus mœnia, & rursum agros coli, & vicos ac opida passim erigi, familias denique sobolescere cõ-*

INTERPRETATIO.

1 Nisi Iehoua ædificet domum, frustra laborant qui ædificant eã: nisi Iehoua custodiat ciuitatem, frustra vigilant custodes.

diximus: sit quorsum haec omnia sine Dei veri syncero cultu? Itaque hoc admonere vos & publicè & privatim necesse est mentis oculos. Deus enim ipse tum familias alioqui ruituras extruat, tum civitates, alioqui vel suo maximo malo ad tempus staturas, vel mox delendas, custodiat & tutetur oportet.

1 *Etsi enim prudentes, solertes, impigros servos habeant domini, & civibus eiusmodi abundet civitas quapiam, in quibus damnato otio, prima luce excitati ad operas suas consurgant, vespere maximis laboribus partum tenuemque cibum capturi (qua iustissima est etiam anarorum poena) frustra tamen, nisi Deus illis laboribus & commodis qua inde percipiuntur, faveat, omnis hac opera consumitur. At verò suis non quidem otiosis, sed sic tamen laborantibus ut sese neque diffidentia, neque anaritia, neque alijs affectibus humana vita carnificibus excruciant, omnia necessaria benignissimè Dominus quasi per iocum largitur.*

2 Frustra *est* vobis mane festinando surgere, serò quiescere & comedere panem dolorum: *id est, anxietate & labore partum:* itidem dabit *Deus* dilectis suis somnum.

3 *Hinc illa soboles, civitatum seminarium non casu, non vinus natura vi, non labore aut industria, sed, ut res ipsa non panitus cacis demonstrat, Iehova benignitate patribus collata.*

3 Ecce hæreditas Iehovæ *sunt* filii, & merces fructus ventris.

4 *Alterum Dei beneficium est, quum liberi diuinitus nati firma sunt valetudine, & in flore ætatis tam robusti, vt vela esse dixeris validi cuiuspiam iaculatoris manu vibrata.*

4 Sicut sagittæ in manu potentis robustæ: ita filii adolescentiæ.

5 *Felix ille qui huiusmodi sagittis pharetram oppletam gestat, cui si quis forte mouetur, non sit defensio defuturæa.*

5 Beatus vir, qui impleuerit pharetram suam ex illis: non pudefient dum loquentur inimicis suis in porta.

Idem Psalmus centesimus vicesimus septimus dicolos distrophos, vt primus.

1 *HEus nascituris qui subinde posteris*
Domum perennem fabricas
Quæcunq; numinis ipsius non stat manu,
Constructa, concidit domus.
Audite propugnaculis qui fortibus
Arcetis hostium minas,
Quotcunq; numen non tuetur excubans,
Ruant oportet mœnia.
2 *Frustra ergo solis ortus anteuertitis,*
Vespere reuersuri vltimo,
Multoq; ventres pascitis famelicos
Partis labore frustulis,
3 *Suos benignus quam beata nutriat*
Deus quiete sospites,
Datoq; prolis copiosæ munere,
Vteroq; ditet fœcili.
4 *Qualia valente excussa tela brachio,*
Rapido feruntur impetu.
Talem iuuentæ robore virenti satam
Sobolem piorum cernimus.

O ter

O ter beatos hos sagitis qui latus
Grauida pharetra cingitis.
vos nulla cœtu in publico vis hostium
Tacere coget turpiter.

Psalmus centesimus vicesimus octauus qui est Ascensionum nonus διδακτικὸς.

οἰκονομικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vicesimi octaui.

Psalmus iste eôdem spectans atque superior, nempe vt restitutus in integrum Dei Populus, quod esset suum munus intelligeret & quasi certis tabulis descriptum haberet, merè est œconomicus, & duo summa & præcipua veræ œconomices præcepta docet, nempe timorem Dei re ipsa testatum & manuum laborem: quorum duorum illi pios omnes sine exceptione obstringit, iste verò sic accipiendus est non quasi singulis labor manuarius præcipiatur, sed vt otio & ignauia omnibus interdictum sciamus, & cuique suas attributas siue corporis siue ingenij vires quibus sibi victum paret, aut iam parto rite vtatur. Sed & illud obseruandum est hic compellari omnes homines tanquam coniuges, quòd hæc vocatio sit ordinaria, à qua quàm non liceat homini temerè discedere (nedum vt Satanica vota cœlibatus vsquam aut sacris literis aut cuiusquam exemplo comprobentur) docet miserabilis eornm conditio qui orbem terrarum in Sodomam & Gomorrham aut etiam aliquid deterius transformarunt.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Vita huius beatè transigenda hæc vera ratio est si quis verum Dei cultum teneat & ex eius præscripto viuat.*	1 Beatus omnis qui timet Iehouam & qui ambulat in viis eius.
2 *Quisquis enim sic te geres, etiam si tam tenui sis sorte vt*	2 Laborem manuum tuarũ vtique manducabis: beatus

manuum opera victum in diē tibi parare cogaris, Deus tamen efficiet vt inde tibi victus suppetat: & hoc tibi dabit vt bene ac beatè sic viuas.

es & bene tibi erit.

3 *Imò genus quoque tuum propagabit. Erit enim apud te domi coniux instar vitis fructifera, videlicet fructum longè suauissimum tibi proferens, quos tanquam oliuarum termites ordine spectabis dispositos & ad mensam tuam collocatos.*

3 Vxor tua *erit* sicut vitis fructifera in penetralibus domus tuæ: filij tui sicut plantulæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.

4 *Ecce igitur sic beabit Iehoua cunctos sui timentes.*

4 Ecce certè sic benedicetur vir timens Iehouam.

5 *Beabit, inquam, te, quisquis sic te geres, Iehoua ille ex Sionis arce, facietque vt florētem videas Ierosolymam quandiu superstes eris.*

5 Benedicet tibi Iehoua è Sion: & videbis bona Ierusalem, omnibus diebus vitæ tuæ.

6 *Et tum domi denique sobolem tuā propagari, tum publicè Israëlem alta pace fruentem conspicias.*

6 Et videbis filios filiorum tuorum: & pacem super Israel.

Idem Psalmus centesimus vicesimus octauus, dicolos distrophos, vt psalmus primus.

1 *O Te beatum quem Dei regit timor*
Rectos per eius tramites.
2 *Te numine propitio laboribus tuis,*
Innoxiæ pascent manus:
3 *Te vitis instar fertilis, propagine*
Coniux beabit plurima.
Quales nouellos ordine satos termites
Lætus colonus prospicit,

Talis

Talis viventium caterua liberûm
Tuas coronabit dapes.
4 *Nanq; hæc parata sunt Dei timentibus*
Maioraq; istis præmia.
5 *Sionis (inquam) ex arce cœlestis pater*
In te bona omnia depluet:
Solymam vt beatam, & sospitem cernas domum,
Quarta in nepotum secula:
6 *Totum Israëlem denique videas bonæ*
Pacis fruentem commodis.

Psalmus centesimus vicesimus nonus qui est Ascensionum decimus εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi vicesimi noni.

Populus Dei post tot calamitates restitutus, gratias agit Deo de tot beneficiis, tanquam vni illorum auctori, & idem sibi in futurum pollicens, contrà hostibus suis certam perniciem impendêre prædicit.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *AGedum, merito nunc dicat Israel, sæpè me ab ipsa vsq; iuuentute mea isti diuexarunt,*	1 SAepe afflixerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel.
2 *Sæpe me à iuuentute mea diuexarunt, nec tamen, vt ipsa res ostendit, victores euadere potuerunt.*	2 Sæpe afflixerunt me à iuuẽtute mea, nec tamen potuerunt *quicquam* contra me.
4 *Nam ipsi quidẽ, fateor, quasi aratro inducto protractis vndique lõgissimis sulcis me sauciarunt:*	3 Supra dorsum meum arauerunt aratores & produxerunt sulcos suos.
4 *Sed verax ille & iustus suorũ vindex Iehoua tandem omnia improborum lora concidit.*	4 Iehoua est iustus: concidit funes impiorum.

5 *Sic nimirũ omnes Sionis hostes ignominia pleni, conatibus irritis terga vertent:*

6 *Eruntq; iin speciem quidem elati, & aliquandiu virentes, sed herba similes supra tecta domorũ enata, quæ priusquã assurgat, exarescit:*

7 *Quã neque plena manu quisquam demetit, neque manipulatim digerit qui messem coaceruat.*

8 *Et cuius causa viatores messoribus acclamantes nũquam dixerint, Beet vos calitus Iehoua messe copiosissima, auctore Iehoua vobis labores vestri quam optime succedant.*

5 Pudefient, & vertentur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

6 Erunt sicut herba tectorum, quæ antequam euellatur (*vel gramen quod antequam emergat*) arescit.

7 Qua non implet manum suam messor: neque sinum suum manipulos colligens.

8 Neque dicunt transeuntes: Benedictio Iehouæ sit super vos: benedicimus vobis in nomine Iehouæ.

Idem Psalmus centesimus vicesimus nonus dicolos distrophos, vt psalmus decimus quartus.

1 *Me sæpe à puero dicat nunc Israel, hostis*
Aggressus omni est impetu,
2 *Me sæpe à puero aggressus crudeliter hostis,*
Sed irritis conatibus:
3 *Et qualis sulcos immitis ducit arator,*
Sic tergus inarauit meum.
4 *Illorum sed enim funes, contortaq; lora,*
Vindex bonorum discidit.
5 *Sic dilapsa ruet multo suffusa pudore*
Phalanx Sionis hostium.
6 *Haud herbæ absimilis, summi quæ culmine tecti*
Vix prodiens exaruit,
7 *Cuius messe sinus non vnquam diuite messor,*

Non

Non spicilegus impleuerit,
8 *Cuius colonis nemo frugum copiam*
De more largam comprecans,
Vestris benignus, dixerit, laboribus,
Cæli Deus ab arce faueat.

Psalmus centesimus tricesimus, qui est Ascensionum vndecimus εὐκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tricesimi.

Populus Dei de patriæ vrbisque instauratæ possessione retinenda laborans, promissis tamen diuinis & experta Dei beneficentia fretus, erigit sese hoc Psalmo olim inter pœnitentiales numerato, id est, inter eos quos canere consueuerant quum publicè pœnitentes cætui Ecclesiæ reconciliabantur: quem postea precibus pro defunctis ridiculè latini applicarunt, nullo, vt puto, prætextu probabiliore quàm quòd initio Psalmi dicatur de profundis clamaui, tanta fuit aliquot seculis spiritus erroris efficacia.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *EX intimis cordis penetralibus, ex altissimo gurgite in quem sum demersus, inclamo te, Domine.*	1 EX profundis clamo ad te, Iehoua.
2 *Exaudi vocantem, Domine, & sonoris precibus meis attende.*	2 Domine audi vocē meā intentæ sint aures tuæ ad vocē deprecationum mearū.
3 *Extrema, fateor, commeritus sum, Deus. Quid enim aliud dixero? Verum si peccata obseruaueris, Domine, ecquis tandem ira tua iustissima sustinenda par vnquam fuerit?*	3 Si iniquitates obserues Deus: Domine quis subsistet?
4 *Atqui longè aliter se res habet, quoniam alioqui tuus inter homines nullus vnquam cultus extitisset. Hominum*	4 Sed apud te est propiciatio, vt timearis.

igitur peccata vincit misericordia tua. Est enim apud te excogitata & nobis tradita tui nobis reconciliandi ratio, vt inter homines agnoscaris & celebreris.

5 *Itaque licet nocētissimus, Iehoua tamen opem expecto, Iehoua, inquam, opem confidenter expecto: quoniam se mihi affuturum verbo suo testatus est, cui planè fidem habeo.*

5 Expecto Iehouā, expectat anima mea: & in verbum eius *spero.*

6 *Nullus igitur nocturnus vigil, vigil, inquam, nocturnus nemo, neq; audius neque certius diluculū expectat, quàm ego sum ad Domini mihi opitulaturi aduentum intentus.*

6 Anima mea *intenta est* ad dominum: præ custodibus ad mane, præ custodibus ad mane.

7 *Agedum igitur, Israel, certa cum spe Iehouam præstolare: Iehouam illum immense clementem, & quem toties assertorē ac vindicem es expertus.*

7 Præstolare, Israel, Iehouā: quia apud Iehouam clementia: & multa apud eum redemptio.

8 *Hic ille est profectò qui Israelem nunc quoque, condonātis ipsi peccatis semel omnibus, liberabit.*

8 Et ipse redimet Israelem ex omnibus iniquitatibus ipsius.

Idem Psalmus centesimus tricesimus, vt psalmus decimus octauus.

1 *RAucos è mediis gurgitibus sonos*
Fundentem facilis, mi Deus, audias,
2 *Audi quæ miserum ferrea me iubet*
Inclamare necessitas,
Audi (inquam) facilis quæ precor, ô bone.
3 *Nam si fortè hominum crimina quælibet*
Vlcisci placeat vindice dextera,
Iræ par quis erit tuæ?

4 *At non is Deus est, quem iuuet asperæ*
Mentis duritiei: quin potius parem
Te blandum canimus: quæ propria est tui
Laus & gloria numinis.
5 *Ergo nostra malis mens licet obruta,*
In te respiciens, deposito metu,
Quæ verbo es toties pollicitus mihi,
Felix gaudia præcipit.
6 *Non sic sollicito tyro vigil metu,*
Obseruat tacitas dum tenebras fugans
Aurora excubias finiat, & suo
Saluum restituat duci.
7 *Felix Isacidum nunc agedum genus*
Secura in Dominum mente recumbito,
Cui promptum in veniam pectus, & intima
Regnat corde benignitas.
8 *Hic est ille datæ qui fidei memor,*
Deletis penitus criminibus tuis,
Depulsisq; semel commeritis malis,
Te totum asseret, Israel.

Psalmus centesimus tricesimus primus, qui est Ascensionum duodecimus.

τῶν ἀναβαθμῶν.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tricesimi primi.

Psalmus isthe cum historia Dauidis cui tribuitur in Hebraica inscriptione, comparatus, verè modestiæ, quam humilitatem vulgò vocant, certum exemplum præbet: eius videlicet hominis qui Deum cimeus, neminem despiciens, intra conditionis suæ fines manet. Est autem postea idem hic Psalmus populo reduci dictatus, vt sicut præcedente Psalmo admonitus fuit ne rebus aduersis concideret, ita contra sibi caueret ne prosperis rebus insolesceret.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *TEstem aduoco te, Iehoua, aduersus omnium calumnias, me neque vt in hanc dignitatem eueherer studuisse, neq; eò abs te nunc prouectum intumuisse, aut oculos ad res sublimes intendisse: neque rebus magnis quibus aliquam mihi præstantiæ opinionem compararem, quæue captum meum excederent, meipsum vltrò immiscuisse.*	1 IEhoua non est elatum eor meum, neque incedo in rebus magnis, & mirificis supra me.
2 *Quòd ni contrà sorte mea cõtentus animum ipse meum abs te vno dependens compescui, sicut ablactatum infantulum docent solam matrem, nutricis oblitum, respicere: nisi, inquam, apud me sic fui vt ablactatus infans affectus, à te sanè repudier.*	2 Nisi posui & quietam tenui animam meam, sicut est ablactatus super matre suam; sicut ablactati super me anima mea.
3 *Sic tu quoque, Israel, & nunc & semper in posterum in vno Iehoua conquiesce.*	3 Spera Israel in Iehouam, ex nunc & vsque in seculũ.

Idem Psalmus centesimus tricesimus primus dicolos distrophos, vt primus.

1 *ANimam Deus non insolenter extuli,*
Superciliáue fustuli.
Nec magna, nostrisue altiora viribus,
Quæsita sunt vnquam mihi.
2 *Tu testis esto mihi Deus, quæcunque me*
Sors pressit vt libet aspera.
Ni ceu puellus matris vbera qui tener

Oblita

Oblita nondum respicit,
Ni animam quietus cohibui (inquam) ceu recens
A lacte depulsus puer.
At tu Deo confide sortis Israel
In seculorum secula.

Psalmus centesimus tricesimus secundus, qui est Ascentionum decimus tertius.

ἐυκτικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tricesimi secũdi;

Solomon templum Deo consecrans 2. Paralip. 6. tres huius Psalmi versiculos extremæ suæ orationi totidem verbis inseruit, vt satis liqueat hunc Psalmum, quem tunc Dauid scripserit quum area extruendo templo Dei inuenta, tempus illud sibi iam tum proponeret quo inædem ipsam extructam arca erat introducenda, valde postea notum & celebrem fuisse. Itaque instaurato post reditum templo & vniuerso diuino cultu, fuit meritò repetitus, & in illa, sicuti probabile est, solenni pompa cum præcedentibus & subsequentibus ascensionum Psalmis decãtatus, quæ describitur Nehem. 12. Continet autem luculentam repititionem promissionis tum regni Dauidici tum extruendi templi & plenissimæ Leuitici sacerdotij constitutionis, quod vtrumque fuisse constat æterni tum regni tum sacerdotij Christi typum vt & ipsemet Dauid ipsum Christum adumbrauit: quibus de causis pretiosum hunc Psalmum semper haberi in Ecclesia oportet, cuius testimonio fides etiam nostra confirmetur. Discimus præterea ex hoc Psalmo veræ Ecclesiæ notas visibiles, cultum videlicet diuinum in duabus potissimùm rebus nempe in verbi diuini prædicatione syncera, sacramentorum administratione legitima positum; rursus quodnam sit verbum verè diuinum, & quæ minimè adulterina sacramenta, quibus videlicet Christus verus & vnicus seruator nobis annuntiatur, id est qualem ipsemet sese & omnem Patris de salutis nostræ ratione voluntatem plenissimè tum per se tum per Prophetas & Apostolos Ecclesiæ suæ patefecit. Deniq; ex hoc Psalmo docemur benedictiones vtriusque vitæ pijs esse diuini-

tus constitutas, impiorum verò irritos omnes fore conatus: & quàm sollicitè pro regni Christi propagatione, atque pro illarum politiarum incolumitate precari teneamur in quibus hospitia Ecclesiæ præbentur.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *FAc vt te memorem esse appareat, Iehoua, promissorum quibus te Dauidi obstringere voluisti, & quantu ex miserijs illum eripueris, minimè certè vt illum postea perdas, sed vt promissa ipsi facta præstes.*	1 MEmento, Iehoua, Dauidis & omnis afflictionis eius.
2 *Nam ipse vicissim tibi Iehouæ, potenti Iacobi Deo ac proinde periurij seuerissimo futuro vltori, sese cum iureiurando & his disertis verbis obligauit.*	2 Qui iurauit Iehouæ, vouit forti Iacob *dicens.*
3 *Si domum meam vnquam ingrediar, si lectum vnquam petiero.*	3 Si introiuero in tabernaculum domus meæ: si ascendero super stratũ lecti mei.
4 *Si somnum oculi mei viderint, si palpebris nictauero.*	4 Si dedero somnum oculis meis: palpebris meis dormitationem.
5 *Priusquam Iehouæ sedem nactus fuero, quàm potens ipse Iacobi Deus incolat.*	5 Donec inuenero locum Iehouæ: habitacula forti Iacob.
6 *Ecce igitur huc vsque subinde sedes ista est commutata. Fuit enim aliquando, vt audiuimus, versus Ephratam, in Silo videlicet nunc euersa: & tempus fuit quum in agro Iearimaorum illam inueniremus.*	6 Ecce audiuimus eam *scilicet habitationẽ* apud Ephrata: inuenimus eam in agris Iaar.
7 *At nunc tandem inuento vbi cõsistat loco, eò proficiscemur, ibiq; ad subsellium cui insi-*	7 Ingrediemur in habitationes eius: adorabimus ad scabellum pedum eius.

8 Surge

det, sacram videlicet ipsius arcam prostrati, ipsum adorabimus.

8 *Agedum igitur, Iehoua, proficiscere in eum locum in quo non sicut antea moram aliquã trahas, sed vt in fixo domicilio, arca videlicet tui roboris tessera ibi collocata, permaneas.*

8 Surge Iehoua *venturus* in requiem tuam: tu & arca roboris tui.

9 *Hic ergo sacerdotes tibi consecrati, & tum doctrina pura tum sanctis moribus ornati, munere suo ritè defungantur: hic tui beneficiarij triumphum tibi canant.*

9 Sacerdotes tui induantur iustitia: & beneficiarij tui exultent.

10 *Hic promissionis memor cum Dauide seruo tuo sancita, regnum à te in ipsius posteritate stabilitum conserua.*

10 Propter Dauid' seruum tuum ne auersare faciem vnctorum tuorum.

11 *Iurasti enim Dauidi tuo, Iehoua, certo & irreuocabili decreto in hac verba: ex te nasciturum in solio tuo collocabo.*

11 Iurauit Iehoua Dauidi certò, nec inde se auertet, *dicens*, ex fructu ventris tui ponam super solium tuum.

12 *Quod si filij tui posteri fœdus meum & conuentiones meas quas docebo eos etiam filij eorum vsque in seculum sedebunt super solium tuum.*

12 Si custodierint filij tui fœdus meum & conuentiones meas quas docebo eos etiam filij eorum vsque in seculum sedebunt super solium tuum.

13 *Elegit autem sibi Sionem ipse Iehoua, eamq; sibi sedem, quoniam sic illi visum est, his expressis verbis destinauit.*

13 Quoniam elegit Iehoua Sion: dilexit eam in sedem sibi.

14 *Hac perpetua quies mea futura est, & hic demum, quoniam sic mihi visum est, vt loco mihi grato habitabo.*

14 Hæc requies mea *erit* in ęternum hic habitabo, quia dilexi eam.

15 *Ipsius annona quàm diligentissimè prouidebo, & si qui fu-*

15 Victui eius benedicent benedicam pauperes eius sa-

erint illic inopes, nunquam eo cibo ad hanc vitam necessario destitui patiar.

16 Sacros meos ministros in primis, quibus alioqui nulli sunt fundi attributi, undiquaque tuebor, meiq; beneficiarijs nouam quotidie gaudij occasionem prabebo.

16 Et sacerdotes eius induam salute: & beneficiarii eius exultando exultabunt.

17 Ibi faciam vt Dauidu vertex conspicuus magis ac magis attollatur, & si quando rebus ipsius imminuatur, rursum tamen pullulet: ibi regni a me constituti tanquam sucu splendor inextinctus orbem terrarum olim illustraturus, lucebit.

17 Illic germinare faciã cornu Dauidis: paraui lucernam Christo meo.

18 Et omnes quidem eius hostes infamia complebuntur, ipsius verò diadema summas tandem gloria efflorescet.

18 Inimicos eius induam probro: & super ipsum florebit diadema eius.

Idem Psalmus centesimus tricesimus secundus, monocolos, vt Psalmus secundus.

1 *Dauidis Deus ô tui memento,*
Dauidis mala tanta tota, passi,
2 *Qui voto, Deus ô potens Iacobi,*
Iuratus tibi semet obligauit:
3 *Nunquam septa meæ, inquiens, reuisam*
Domus, nec repetam cubile lassus,
4 *Istis somnum oculis videbo nunquam,*
5 *Nusquam has clausero palpebras, priusquam*
Locum inuenero, quo potens Iacobi
Aeternus Deus ille conquiescat.

5 Ecce

6 *Ecce audiuimus Ephratæa versus*
Te sedes posuisse iura quondam,
Quas in planitie lacrimeorum
Post inuenimus esse collocatas.
7 *Ad deinceps stabili tibi sacratæ*
Nobis visere te licebit ædi.
Et throni ad solium tui iacentes,
Gratas inde tibi precem feremus.
8 *Tu ergò Deus huc adesto tandem,*
Captatam vt capias diu quietem:
Tu tu, inquam, atque tibi arca consecrata.
9 *Hîc virtutibus omnibus iubeto*
Insignes tibi seruiant ministri,
Dignarisq; tuo ipse quos amore,
Laudes assiduè tuas celebrent.
10 *Et vernæ ipse tui memor Dauidis,*
Ne regnum tibi sperne consecratum.
11 *In verba hæc siquidem Deus, Dauidi*
Iurasti, irrita quæ nefas putare.
Ex te exorta tuo, inquiens, sedebit
Me iubente throno propago felix.
12 *Quod si fœderis illa iura nostri,*
Quæ curabo tui vt sciant nepotes,
Seruent rite tui, Dauid, nepotes,
Ipsis ecce nepotibus nepotum
Istum perpetuum thronum dicabo.
13 *Sion nanque mihi adlubescit vna,*
Hæc mihi statio, hæc quies perennis,
14 *Hîc demum mihi considêre gratum.*
Paxo ne malæ regnet hîc egestas,
15 *Largas sufficiens dapes egenis.*
16 *Hîc seruabo sacros mihi ministros,*

Hic me turba hilaris colet piorum,
17 *Cornu hic surgere viuidum Dauidis,*
Et splendere procul iubebo Regi
Accensam assiduè meo lucernam.
18 *Hic ignominiæ ac pudore saxo*
Ipsius semel hostibus sepultis,
Rex illustre throno sedens in alto
Gemmante erigat vt caput corona.

Psalmus centesimus tricesimus tertius, qui est Ascensionum decimus quartus,

διδακτικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tricesimi tertij.

Dauid, cui in Hebraica inscriptione Psalmus iste tribuitur, procul dubio illum scripsit quum post ciuilia octo annorum bella omnes tribus ad eum vngendum regem conuenissent 2. Sam. 5. & prioris Paralip. 11. nempe vt illos ad deponendas omnes discordias, & omnibus officiis publicè priuatimque colendam mutuam amicitiam hortaretur. Sic igitur postea visum est eiusdem psalmi repetitione studium pacis reuerso populo inculcare, vtpote maximè necessariæ, quum adhuc esset imbellis, & vndique à vicinarum gentium infensissimis gubernatoribus tum vi tum proditionibus peteretur, vt ex Ezræ & Nehemiæ historijs liquet. Continet autem excellens & mirum in modum elegans encomium non simpliciter σοφῆς φυσικῆς, non communis amicitiæ, de qua re multa quoque præclarè prophani alioqui scriptores dixerunt, sed sanctæ illius Charitatis, cuius vnus Spiritus sanctus auctor est, pios omnes in Christo primogeniti inter multos fratres, vni Patri cœlesti adiungens. Eam autem copulationem non quæuis vtilitas, cuius ratione Poetæ mitis epithetis pacem cohonestarunt adeò vt eam etiam inter suas Deas recensuerint, sed diuina omnia tum præsentis tum futuræ vitæ beneficia consequuntur, ab illo videlicet in nos effusa, ex cuius plenitudine in subiecta cohærentia membra deriuantur. Meritò igitur charitas ista cum rore cœlesti comparatur, vt cœlitus & quidem gratis

gratis illam tribui nobis agnoscamus: itemque cum sacro Aaronis vnguento ex capite ad limbum vsque vestis diffluente, quòd Aaron quidem fuerit Christi æterni nostri sacerdotis typus, vnguentum autem illud Spiritum sine mensura in nostrum caput, id est in ipsum Christum, effusum adumbrarit, inde subiecta membra id est Ecclesiam totã sanctificans, cuius etiam fragrantia Patri cœlesti grati sumus, iuxta illud Io. 14.21. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam illum.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *Ecce quàm bella simul & felix est ista rerum commutatio, quòd videlicet fratres qui prius dissidebant cernimus tum corporibus tum animis cõiunctissimos. Itaque velim assiduè vos cogitare & meditari, nihil esse fraterna vestra cõiunctione neque vtilius neque suauius: siquidem præterquàm quòd Deus ex vno eodémq; patre nẽpe Abrahamo nos nasci voluit, quæ ratio non est nullius momenti: eodem præterea spiritu suo nos sibi selectos in familiam adsciuit.*

2 *Planè igitur refert fraterna pax ista balsamum illud tam suaue tamq; pretiosum quod summi Pontificis verticis & barbæ superfusum, inde ad sacra vsque vestis limbum defluit.*

3 *Liceat illam quoque conferre cum rore illo dulcissimo & fœcundissimo tum in Hermonis tum in Sionis montana in-*

INTERPRETATIO.

1 Ecce quam bonum & quàm decorũ est, habitare fratres, etiam simul.

2 Sicut oleũ illud pretiosum *effusum* super caput, quod descendit super barbam barbam Aaron, quod descendit super oram vestimenti eius.

3 Sicut ros Hermon & qui descendit super montes Sion. Quia illic mandauit Dominus benedictio-

cidente. Nam vbi viget hæc concordia, ibi, Deo cœlitus mandante, commoda omnia perpetuo mansura redundant.

nem, & vitam in perpetuam.

Idem Psalmus centesimus tricesimus tertius, dicolos distrophos, vt primus.

1 *QVàm bella res est, & quàm amabilis est amor*
Fraterna iungens pectora!
2 *Non balsamum illi conferas, cuius nitet*
Vertex Aaronis vnguine,
Fragranti odore barbam & auream togam
A summo ad imum proluens:
3 *Non roris vber, Hermonis herbidi iuga,*
Iuga & Sionis inebrians.
Nánque hic benigna summus effundit manu
Pater vsque & vsque opes suas.

Psalmus centesimus tricesimus, quartus, qui est Ascensionum vltimus,

διδακτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tricesimi quarti.

Huic argumento post varios ad populum pertinentes sermones tandem finis optimus imponitur exhortatione ad Sacerdotes & Leuitas directa, quum diuinus cultus sit huius nauigij quod Ecclesiam vocamus, & prora & puppis, vt vulgatum habet prouerbium. Admonentur ergo Leuitæ quibus de causis essent in templo Dei collocati, scilicet non vt mutos ritus obirent, sed vt dies ac noctes pro populi salute, id est docendo laudes Dei canendo, precando denique consumerent.

Eiusdem Psalmi

PARAPHRASIS.

1 *ECce vos beati quos ex vniuerso populo Iehoua peculiariter selegit, &*

INTERPRETATIO.

1 ECce benedicite Iehouæ omnes serui Iehouæ: qui statis in domo Iehouæ

quorum sibi dies ac noctes in æde sua appaetium ministerio vtitur, primum quidem apud Deũ vestro munere diligenter fungimini, celebrondis ipsius laudibus sedulò incumbentes.

Iehouæ per noctes.

1 *Precamini, inquam, Iehouam sublatis adytum versus manibus, & illum collaudate, quæ pars est ipsius cultus potissima, atque adeò ipsorum rituum finis.*

2 Tollite manus vestras *ad* sanctuarium: & benedicite Iehouæ.

2 *Deinde populi quoque cœtũ sacris ritè defunctum, sanctáque doctrina instructũ dimittentes Deò commendate, precati vt Iehoua cæli terræque creator, singulos ex Sione omni bonorum genere locupletet.*

3 *Dicite*, Benedicat tibi Iehoua ex Sion, qui fecit cælũ & terram:

Idem Psalmus centesimus tricesimus quartus, monocolos, vt psalmus vicesimus tertius.

1 *VOs Deo serui Dei,*
Excubantes vos Deo,
Eia laudes dicite.

2 *Vos manus sacrarium,*
Versus eia tollite,
Et precantes dicite,

3 *Ex Sionis arcibus.*
Te locupletet soli
Atque cæli conditor.

Psalmus centesimus tricesimus quintus.

εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tricesimi quinti.

In hoc quoque Psalmo Propheta sicut in superiore, Sacerdotes ac Leuitas præcipuè ad Dei laudes publicè celebrandas cohortatur, quibus tamen populum quoque vult tãquam choragis succinere. Argumenta verò laudũ partim ab operibus generalibus quibus immensam tum potentiam tum bonitatem suam cunctis hominibus veluti palpandam præbet, partim à specialibus beneficijs in populum suum collatis sunt desumpta & adiecta antitheſi idolorum amplificata. His autem iisdem testimonijs etiamnum, hodie nos confirmari oportet, & de ijs quotidie nunc quo què Deo gratias agere quum vna & eadem Ecclesia semper extiterit & existat: vt & Deus vnus & fides vna, quamuis duplex fœdus, ratione formæ reuelationis, Deus cum suis inierit.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Ecce vos peculiariter ministerio Iehouæ diuoti, laudate, laudate Iehouam, qualem seſe re ipsa cognoscendum præbuit.*	1 Laudate nomen Iehouæ, laudate, serui Iehouæ.
2 *Vos, inquam, quibus statio & apparitura est in domo ipsa Iehouæ destinata, & quibus est atriorum Domini custodia commissa,*	2 Qui statis in domo Iehouæ, in atriis domus Dei nostri.
3 *Deum verè bonum celebrate, & eius nomen, quo nihil suauius esse potest, celebrate.*	3 Laudate Deũ, quia bonus est Iehoua: cantate nomini eius, quoniam suaue est.
4 *Hic enim sibi Iacobum vnicã suã ipsius bonitate impulsus vt vnicè charũ peculium sẽlegit,*	4 Quia Iacob elegit sibi Deus: Israelem, in peculium sibi.
5 *Et vt de peculiaribus istiũ benuolentia ipsius testimonijs*	5 Certè ego noui quòd magnus sit Iehoua: & Deus noster

nihil amplius dicam, cur non ego affirmarim quod est satis superque perspectum, Iehouã videlicet Deum nostrũ esse verè magnum, & vtcũque stulti mortales sibi numina cõmiscantur omnibus illu ipsorum dijs potentiorem, etiam si tales esse daremus quales esse somniant?

4 Nam isti quũ plures esse Deos statuant, nullum sane ex ijs omnipotentem faciunt: & hos rursum alij otiosos spectatores esse volunt, alij cansis inferioribus deuinciunt, alij absurdissima imò & nefandissima quæq; ipsis palam assingunt. At Iehoua sicut cælum, terram, mare, & gurgites eius omnes condidit, ita etiam illis pro arbitrio suo vtitur.

5 Cuius nimirum imperio nubes ab extremis terrarum finibus assurgentes, materiem ignium & pluuiarum inde simul erumpentium suppeditant: & qui ventos ex suo penu educit.

6 Et ne quis naturalibus causarum finibus hanc Iehoua potentiam infinitam circunscribat, hic est qui in Ægypto primogenita omnia tum hominum tum bestiarum vna nocte trucidauit, quod certè ordini naturæ tribui non potest.

7 Hic etiam in Ægypto Pharaonem Ægyptiosque omnes regi suo nimis obsequentes ser-

poster, præ omnibus diis.

6 Omnia quæcunque vult Iehoua facit in cælis & in terra: in mari & in omnibus abyssis.

7 Ascendere faciens nubes ab extremo terræ, qui fulgura ad pluuiam facit & educit ventum ex thesauris suis.

8 Qui percussit primogenita Aegypti, ab homine vsque ad bestias.

9 Et misit signa & prodigia in medio tui Aegypte: in Pharaonẽ & in omnes ser-

nos, prodigijs & miraculis prostrauit quorum nullum est quod infinitam Iehoua supra ipsam rerum naturam potestatem non demonstret.

10 Imò non Pharaonem solum & Ægyptios, sed gentes alias plurimas earumque potentissimos reges ad internecionem cecidit.

11 Veluti Seonem Amorrhæum, Ogum Basantidu regem, & omnia Cananæorum regna,

12 Quorum ditiones ipsis antea attributas, Israeli populo suo tradidit possidendas.

13 Profecto igitur, Iehoua, sempiterna laudu nomen ipse tibi cõparasti, nec ullu unquã seculu tui memoria extinguetur.

14 In primu autem gloriã tuam conseruatione populi tui tuãque in seruos tuos promptã in veniam benignitate magu ac magn illustrabu.

15 At illa insanorũ populorum simulachra pretiosiora qua venerantur, nihil aliud sunt quam aurum vel argentum hominũ artificio in hanc vel illam formam effictũ.

16 Os habent, sed mutum: oculos habent, sed quibus nihil cernunt.

17 Aures habent, sed auditionis experters: naso praditu sunt, nec tamen spirant.

18 Nec ab illu sanè quicquam in hoc distant illorum opifices ac cultores.

nos eius.

10 Qui percussit gentes multas: & occidit reges fortes

11 Sihon regem Amorrhæum & Og regem Basan & omnia regna Canaan.

12 Et dedit terram quæ fuerat eorum hæreditas, hæreditatẽ Israeli populo suo.

13 Iehoua, nomen tuum est in seculum: Iehoua, memoria tui perdurat in generationem & generationem.

14 Quia iudicabit Iehoua populum suum: & seruis suis erit propitius.

15 Simulachra gentium sunt argentum & aurum: opus manuum hominum,

16 Os est illis & non loquuntur: oculi sunt ipsis, & non vident.

17 Aures ipsis, & non audiũt: nasus ipsis & non est spiritus in ore ipsorum.

18 Sicut illa sunt qui faciunt illa: & omnis qui confidit in eis.

19 Domus

19 *At vos, Israelis genus, Iehouã celebrate vos Aaronis familia, cæteri in Iehoua collaudando praite.*

20 *Laudate Iehouã Leuita, laudate Iehouam qui gnari illius cultum profitemini.*

21 *Iehouæ Ierosolymorum incolæ laudes ex Sione personent sempiternæ.*

15 Domus Israel benedicite Iehouæ: domus Aaron benedicite Iehouæ.

20 Domus Leui benedicite Iehouæ timentes Iehouã benedicite Iehouæ.

21 Benedictus sit Iehoua ex Sion, qui habitat in Hierusalem.

Idē Psalmus centensimus tricesimus quintus, monocolos, vt Psalmus decimus.

1 *CAntate numen ô ministri numinis,*
2 *Caniate numen ædis eius incolæ,*
Nostri excubantes in Dei palatijs.

3 *Deum canite quo nil melius aut pulchrius,*
4 *Vtro Iacobum qui suum allegit sibi*
Et Israelem ceu peculium fouet.

5 *Nánque vnus ille est omnium fortissimus,*
Præ quo potentum sordet omnium decor,
6 *Qui rector vnus & solo, & cœlo præest.*

Huic patet ingens vasti hiatus æquoris,
7 *Hoc imperante densa surgunt nubila,*
Mixtis corruscat æther ignibus micans,

Deprompta subito diuite huius ex penu
Versura mundum, Dominus idem ni vetet
Rapida per auras differuntur flamina,

8 *Huius superba sensit Aegyptus manum,*

Primis & hominum & bestiarum sæcibus
Vna peremptis nocte pariter omnibus.

9 *Et hinc & inde istius horrenda intuens*
Aegypte, signa, concidisti præ metu,
Tecúmque Rex, Regísque adulatrix cohors.

10 *Potente gentes hic cecîdit dextera.*
11 *Regésque fortes, qualis Ogus & Seon,*
Basanis iste, Amorrhæi ille rex soli.

12 *Cæsísq; deinceps Kenaanum regibus,*
Quascúnque terras obtinebant diuites,
Suo Israëli possidendas tradidit.

13 *Iure ergo nomen sempiternum te Deus,*
Aeterna iure fama te solum decet,
Ad posterorum transeat quæ posteros.

14 *Tu nánque populi strenuus vindex tui,*
Tu, fortè si quis te tuorum læserit,
Pœnæ rigorem tollis exorabilis.

15 *At ista manibus fusa quæ suis colunt*
Simulacra gentes aurea aut argentea,
Nos absit esse sentiamus numina.

16 *Muta quibus ora, cæca prorsus lumina,*
17 *Surda auris, omnis nasus expers halitus,*
18 *Est ipse qualis cultor illorum artifex.*

19 *At tu Iacobo sancta gens sancto sata,*

Aronis

Aronia ô stirpe ortus proles Numini,
Celebrate verum laude Numen debita,

20 *Laudate Numen, ô tribus Deo sacra:*
Quicúnque Numen deniq; reueremini,
Afficite dignis Numen ingens laudibus,

21 *Sic, ô Deus, sic ex Sionis arcibus,*
Solyma & beata quam beatus incolis
Perénne resonet nominis decus tui.

Psalmus centesimus tricesimus sextus,

ἔυχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tricesimi sexti.

Idem est argumentum & idem vsus huius magnificentissimi Psalmi atque superioris, sed Dei beneficia tum in vniuersum genus humanum, tum specialiter in Ecclesiam suam collata plenius hic explicantur, & vbique adiicitur carmē intercalare · partim vt omnia hæc beneficia statuamus ab vna Dei liberalissima bonitate proficisci, partim vt non tantum in genere omnia, sed etiam particulatim singula diuinæ erga nos & saluificæ beneuolentiæ testimonia & pignora esse statuamus, quamuis impijs ista beneficentia exitio cedat. Apparet autem ex 1. Paralip. 7. Dauidem esse huius carminis auctorē, quid & solennibus festis & in illustribus victoriis fuerit, vicissim intercalari carmine reperito, maxima cū celebritate decantatū, sicut etiā ostēdit Iosaphati historia. 1. Paralip. 20.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Laudate Iehouā à summa bonitate, quòd perpetua sit eius benignitas*	1 Laudate Iehouā quòd bonus sit: quia in seculū *est* benignitas eius.
2 *Laudate Deum Deorū, quod perpetua sit eius benignitas.*	2 Laudate Deū deorū: quia in seculū *ist* benignitas ei⁹.
3 *Laudate Dominum Domino*	3 Laudate dominum domi-

rium, quòd perpetua sit eius benignitas.

4 *Qui sua vnius vi res mirificas effecit, quòd perpetua sit eius benignitas.*

5 *Qui cælos immensa sapientia sua condidit, quod perpetua sit eius benignitas.*

6 *Qui solũ sustinendis & alendis animalibus terrestribus & aëreis destinatũ super aquarũ ripas extare iussit, quod perpetua sit eius benignitas.*

7 *Qui magna illa duo luminaria creauit, quod perpetua sit eius benignitas.*

8 *Solem diei moderatorẽ, quod perpetua sit eius benignitas.*

9 *Lunam & stellas quæ nocti præessent, quod perpetua sit eius benignitas.*

10 *Qui Ægyptum interfectis primogenitis cecidit, quod perpetua sit benignitas.*

11 *Et Israelem inde liberauit, quod perpetua sit eius benignitas.*

12 *Idq́ solida vi & veluti brachio altè sublato, quod perpetua sit eius benignitas.*

13 *Qui mare iuncosum sic diffidit vt transeunti hac illac iter matim populo pateret, quod perpetua sit eius benignitas.*

14 *Et Israelem per illud medium traduxit, quod perpetua sit eius benignitas.*

15 *Pharaonem autem & omnes*

norum: quia in seculum est benignitas eius.

4 Qui fecit mirabilia magna solus: quia in seculum est benignitas eius.

5 Quia fecit cælos intelligentes: quia in seculum est benignitas eius.

6 Quia extendit terram super aquas: quia in seculum est benignitas eius.

7 Qui fecit luminaria magna: quia in seculum est benignitas eius.

8 Solem ad præfecturam in die: quia in seculum est benignitas eius.

9 Lunã & stellas ad præfecturam in nocte: quia in seculũ est benignitas eius.

10 Qui percussit Aegyptum in primogenitis ipsorum quoniam in seculum est benignitas eius.

11 Et eduxit Israelem è medio eorum: quia in seculum est benignitas eius.

12 Manu forti & brachio extento: quia in seculum est benignitas eius.

13 Qui diuisit mare Carecti in diuisiones: quia in seculum est benignitas eius.

14 Et transire fecit Israelem per medium eius: quia in seculũ est benignitas eius.

15 Et præcipitauit Pharaonẽ &

eius copias illo ipso submersit, quod perpetua sit eius benignitas.

16 Qui populum per incultam solitudinem deduxit, quod perpetua sit eius benignitas.

17 Qui magnos reges plagis affecit, quod perpetua sit eius benignitas.

18 Qui potentes reges cecidit, quod perpetua sit eius benignitas.

19 Sihonem Amorrhaeorum regem, quod perpetua sit eius benignitas.

20 Et Ogũ Basantidis regẽ, quod perpetua sit eius benignitas.

21 Et eorum ditionem possidendam alis tradidit, quod perpetua sit eius benignitas.

22 Possidendam videlicet Israeli seruo suo, quod perpetua sit eius benignitas.

23 Qui quũ oppressi fuimus memor fuit nostri, quod perpetua sit eius benignitas.

24 Et nos hostibus nostris eripuit, quod perpetua sit eius benignitas.

25 Qui omnibus amantibus victum suppeditat, quod perpetua sit eius benignitas.

26 Celebrate Deum cælorũ Dominum, quod perpetua sit eius benignitas.

& exercitum eius in mare rubrum, quia in seculum *est* benignitas eius.

16 Qui deduxit populum per desertum: quia in seculum *est* benignitas eius.

17 Qui percussit reges magnos: quoniam in seculum *est* benignitas eius.

18 Qui interfecit reges potentes: quoniam in seculũ *est* benignitas eius.

19 Sihon regem Amorrhæorum: quoniam in seculum *est* benignitas eius.

20 Og regẽ Basan: quoniã in seculũ *est* benignitas eius.

21 Et dedit terrã eorũ in hæreditatẽ: quoniam in seculum *est* benignitas eius.

22 Hæreditatẽ *inquam* Israeli seruo suo: quoniam in seculum *est* benignitas eius.

23 Qui in humiliatione nostra memor fuit nostri: quia in seculũ *est* benignitas ei⁹.

24 Et eripuit nos ab inimicis nostris: quia in seculum *est* benignitas eius.

25 Qui dat panem *id est escam seu cibũ* omni carni: quia in seculũ est benignitas eius.

26 Celebrate Deum cælorũ quia in seculum *est* benignitas eius.

Idem Psalmus centesimus tricesimus sextus, dicolos distrophos vt psalmus tricesimus primus.

1 Eia Deum celebrate omnes facilémque bonúmque:
Nánque est perennis ipsius benignitas,
2 Eia Deum celebrate, Deûm quem turba veretur:
Nánque est perennis ipsius benignitas
3 Et Dominum domini subdunt cui colla potentes,
Nánque est perennis ipsius benignitas
4 Qui solus toto spársit miracula mundo:
Nánque est perennis ipsius benignitas
5 Miranda cœlorum arces qui condidit arte.
Nánque est perennis ipsius benignitas
6 Qui circumfusis terras expandit in vndis.
Nánque est perennis ipsius benignitas
7 Qui gemino ingentí collustrat lumine cælos:
Nánque est perennis ipsius benignitas.
8 Qui Soli nitidæ commisit lucis habenas,
Nánque est perennis ipsius benignitas.
9 Qui tenebris Lunam & Stellarum præficis ignes:
Nánque est perennis ipsius benignitas,
10 Primigenas magna Aegypti qui strage peremit:
Nánque est perennis ipsius benignitas.
11 Qui valido Israelídem defendit robore gentem:
Nánque est perennis ipsius benignitas.
12 Et priscam in patriam Aegypto indignante reduxit:
Nánque est perennis ipsius benignitas.
13 Qui medias rubri diuisit gurgitis vndas:
Nánque est perennis ipsius benignitas.
14 Diuisique suos traduxit per maris vndas:
Nánque est perennis ipsius benignitas.
15 Qui Pharium medio prostrauit in æquore regem:
Nánque est perennis ipsius benignitas.
16 Pérque Arabum steriles populum deduxit arenas.
Nánque est perennis ipsius benignitas.

17 Immanes

17 *Immanes multa strauit qui cæde gigantes:*
Nánque est perennis ipsius benignitas,
18 *Præcipitésque alta deiecit sede Tyrannos:*
Nánque est perennis ipsius benignitas.
19 *Gentis Amorreæ tenuit qui sceptra Seonem:*
Nánque est perennis ipsius benignitas
20 *Et molem ingentis iactantem corporis Ogum.*
Nánque est perennis ipsius benignitas.
21 *Hisque erepta suæ donauit prædia genti:*
Nánque est perennis ipsius benignitas.
22 *Quæ longa Isacidæ colerent in secla nepotes:*
Nánque est perennis ipsius benignitas.
23 *Qui toties miseros & opis respexi tegentes:*
Nánque est perennis ipsius benignitas.
24 *Et sæuo toties saluos ex hoste recepit:*
Nánque est perennis ipsius benignitas.
25 *Qui quæcunque bonus fecit, nutritque fouétque.*
Nánque est perennis ipsius benignitas
26 *Stellantique potens regnat sublimis in æde,*
Nánque est perennis ipsius benignitas.

Psalmus centesimus tricesimus septimus.

παραμυθητικός.

Argumentum & vsus Psalmi cẽtesimi tricesimi septimi.

Pulcherrimum hunc Psalmum tempore captiuitatis à leuitis cantoribus proculdubio editum, extare voluit Spiritus sanctus, vt nos doceret res maximas & ad nostram consolationem valde necessarias, nempe.

Tempus aliquod esse silenti sub cruce, quum est hora potestatis tenebrarum.

Retinendam semper esse nihilominus constantiam nõ modo in fide sed etiam in zelo, ne silentio veritatem prodamus, aut hominum metu officium deseramus.

Indignos quidẽ esse canes quibus offeratur quod sanctum

est, sed hoc ipsum quòd canes sint non esse, quum de gloria Dei agitur, dissimulandum.

Impunè nunquam suum scelus laturos Ecclesiæ oppressores, ac præsertim eos qui potentiorum sæuitiam aduersus innocentes accendunt.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *Babylonem illam prophanam abreptis, quod Euphratis fluenta, vitato videlicet procul hostium conspectu, mœstissimo cum silentio, profusis etiam lachrymis, culpam simul & dolorem confitebamur, Sionis memoret.*

2 *Et, quamuis cytharas, solatio videlicet nobis in tanta calamitate futuras, aspartassemus tamen quum gemendum potius quàm canendum illo tempore & loco videretur, mutas illas ex salicibus in Babyloniorum conspectu suspenderamus.*

3 *Quum illi ipsi qui nos in hanc miserrimam captiuitatẽ pertraxerant, nostris calamitatibus insultantes, petere à nobis, vt sese nostrorum cantibus & resumptis quas suspẽderamus cytharis oblectaremus, verbis istiusmodi cœperũt, Ehodum, bellos nobis illos vestræ Sionis modulos cantillate.*

4 *Nos verò (ludibrium istud in ipsius Iehoua cõtumeliam redundare impatientissimè ferentes) nequaquã illis acquie-*

INTERPRETATIO.

1 SVper flumina Babylonis, illic, inquam, sedebamus atque adeo flebamus dum recordaremur Sionis.

2 Ad salices in medio eius suspenderamus cytharas nostras.

3 Quum quæsiuerunt ex nobis, qui ceperant nos, verba cantici, & in suspensionibus nostris lætitiam: canite, *inquientes*, nobis ex canticis Sionis.

4 Quomodo cantauerimus canticum Iehouæ in terra aliena?

5 Si

nimus. Etenim quo pudore quáue, conscientia sacras Iehouæ laudes impijs istis hostibus deridẽdas prostituissemus?

5 *Absit verò, absit, Ierusalem, vt licet tam procul à te summotis irrepat tui obliuio: sed dextera hæc nostra singulorum, omnis fidium pulsationis potius obliuiscatur.*

5 Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuiscatur dextera mea *cantici.*

6 *Adhæreat potius palato nostra singulorum lingua, quàm tui immemor sacrum tuum nomen deridendum istis propinet: & nisi quandiu procul à te profugi exulabimus, tandiu dolori indulgeamus, tunc demum quũ tibi restituemur lætitiæ initium abs te facturi.*

6 Adhæreat lingua mea palato meo, si non meminero tui: nisi extulero Ierusalem super caput lætitiæ meæ.

7 *At tu, Iehoua, ne ingratos illos cognatos nostros Idumæos obliuiscere, & quibus hortamentis Chaldæorum immanitatem acuerint, quam die illo funesto tuæ ciuitatis, diruite, diruite illam, clamitarent, ad ipsa vsque fundamenta.*

7 Recordare *istorum* Iehoua aduersus filios Edom, qui dixerunt in die Ierusalem: nudate, nudate, vsque ad fundamentum *quicquid est* in ea.

8 *Atqui tempus erit quo tu quoque Babylon vastaberis: & ista tua felicitas ad eum transferetur qui tecum vicissim sic aget vt tu nobiscum egisti.*

8 Filia Babylonis vastaberis beatus *erit* qui repẽdet tibi retributionem, quam tribuisti nobis.

9 *Et beatus erit qui tuos ipsos quoq; infantulos arreptos saxis illidet.*

9 Beatus qui apprehendet & allidet paruulos tuos ad petram.

Idem Psalmus centesimus tricesimus septimus dicolos distrophos vt Psalmus tricesimus primus,

1 QVi Solymæ memores riguæ Babylonis ad undas,
Mœrore pleni corda, lumina lachrymis,
2 E salicum ramis pendentia spectaremus
Tunc muta, sed canora quondam nablia:
3 Tum qui nos patriis adeò crudeliter oris
Ludibrium sibi futuros traxerant,
Non, non (aiebant) lachrymas vos poscimus istas,
Solymæ sed illos poscimus suaues modos.
4 Siccine nox verò populis ridenda prophanis
Præbere summo sacra carmina Numini.
5 Quin cytharam potius mea nunquã hæc dextra pulset,
Quàm me Sionis capiat vlla obliuio.
6 Hæreat hæc (inquam) potius mea lingua palato,
Quàm chara tu Sion animæ excidas meæ:
Vel, si quando hilares in cantus ora resoluam,
Aliunde sumam gaudij primordia.
7 Tu verò memor esto, Deus, crudelis Idume
Illo in Sionem quid die iactauerit:
Quum sæuis addens animum prædonibus, Eia,
Clamaret, vrbem perdite, ruite, vertite,
8 Atqui tempus erit, Babylon, quum tu quoq; iustæ
Vltoris iræ debitas pœnas dabis.
9 Tunc ô felicem qui matris ab vbere raptos
Illidet asperis puerulos cautibus.

Psalmus centesimus tricesimus octauus,

Argumentum & vsus Psalmi centesimi tricesimi octaui.

Dauid regnum adeptus, & arca in vrbem introducta, de templo quoque extruendo cogitans, Deo gratias agit, prædicens etiam fore vt (quod in Christo demum æterno Dauidis filio impletum est) omnes orbis terrarum reges tantum hoc beneficium agnoscerent ac celebrarẽt. Quoniã verò nullis magis quàm primas in Ecclesia Dei tenentibus insidiari Satanæ

Satanæ organa consueuerunt, preces etiam adiungit, sicut facere nos prosperis rebus decet, de bello aduersus Satanam & mundum nunquam magis quàm inducirarum tempore cogitantes. Precatur autem certo illo spei nostræ triplici fundamento nitens, nempe, quòd omnia Deus perspiciat, demissos fouens, superborum hostis: vtcunque ad tempus conniuere videatur: quod finis opus Dei ἀμεταμέλητον, ac proinde suo tempore necessariò perficiendum.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *CElebrabo te teto pectore, neque me coram magnatum cœtu, ipsis q; adeò angelis arcam tuam stipantibus laudes tuas cantibus quoque psallere pudebit.*

2 *Adorabo te apud palatium tua maiestati consecratum, & de benignitate veritateq; tua canam, quoniam nunc demum celebritatem tibi longè maximam, tam admirabiliter mihi præstito quod fueras verbo pollicitus, peperisti.*

3 *Nam aliquandiu quidem liberationem meam distulisti, sed tamen quoties te implorauí, suppeditato mihi inuicto animi robore, protinus me clamantem exaudiuisti.*

4 *Et certè futurum est, Iehoua, vtomnes orbis terrarum reges, vbi cognouerint quid mihi fueris pollicitus, & quam certo fidem mihi datam præstiteris, tibi gloriam tribuant.*

5 *Illud in primis admirati, quod tam admirabili & inexpecta to modo promissa tua imple-*

INTERPRETATIO.

1 CElebrabo te toto corde meo: coram diis psallam tibi.

2 Incuruabo me apud palatium sanctitatis tuæ, & canam nomini tuo super clementia & veritate tua: quia extulisti super omne nomẽ tuum, verbum tuum.

3 Quo die clamaui, mox exaudisti me: multiplicasti mihi in anima mea robur.

4 Celebrabunt te Iehoua omnes reges terræ: quando audiuerint verba oris tui.

5 Et canent de viis Iehouæ, quòd magna sit gloria Iehouæ.

uerũ, confitentes ea in te maximè tuam potentiam ac gloriam eminere.

6 *Vt qui te re ipsa sit. demonstraru quantumuis sublimi solio resideas, infima tamen & humillima quaque perspicere, & sese efferentes eminus agnoscere, quantumuis ad utrosque conniuere ad tempus videaru.*

6 Quia excelsus Iehoua humilem tamen respicit: & excelsas eminus agnoscit.

7 *Certe etiamsi mediis asperrimis tempestatibus implicitus comperiar, saluum me prastabis: manuq́, hostibus meis quãtumuis truculentis iniecta, dextera me tua liberabis.*

7 Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: superiram inimicorũ meorũ mittes manum tuam, & seruabit me dextera tua.

8 *Perficies enim ipsemet omnino, Iehoua, opus auctore te à me susceptum: quoniam perennis hac tua est benignitas verbis tuis testata, nec quod semel cœpisti imperfectum deseres.*

8 Iehoua *rem* absoluet pro me: Iehoua clementia tua *est* in perpetuum: opera manuum tuarum non deseres.

Idem Psalmus centesimus tricesimus octauus, dicolos distrophos. vt Psalmus decimus quartus.

1 *TE tota, alme Deus, celebrabo mente, canenti*
Succinite cœlitum chori.

2 *Te, Deus, æde colam sacra, bonitate fideq́,*
Illustre nomen prædicans.

3 *Ecquis enim te promissi dictiq́, tenacem*
Non orbe toto personat?

4 *Ipsi te externi reges, quibus hæc tua virtus*
Sat est abundè cognita,

5 *Hoc*

5 *Hoc tantum mirantur opus, teq́, Optime, summis*
Dignum fatentur laudibus.
6 *Quippe Deus ſolio ſedeas licet arduus alto,*
Cuncta ſuper imminens procul,
Cuncta tamen tum magna potens, tum parua, ſuprema
Ex ſede præſens deſpicis.
7 *Tu me igitur feſſum recreabis, tu mihi rebus*
Vires in arctis ſuggeres.
Iniectaq́, manus ſæui me prorſus ab hoſtis
Tutum furore proteges,
8 *Nec, tua quandoquidem bonitaſq́, fideſq́, perennis*
In cuncta durat ſecula,
Incepto prius abſiſtes, quám ſcilicet omne
Tuum hoc opus peregeris.

Pſalmus centeſimus triceſimus nonus.

παραμυθητικός.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi triceſimi noni.

Docet nos hic Pſalmus quum à potentioribus contra fas & ius ac præſertim religionis cauſa opprimimur, rectam ſemper conſcientiam ſeruare, & ad Dei cordium ipſorum inſpectoris tribunal prouocare, cuius infinita vis à Dauide in hoc Pſalmo magnificentiſſimè deſcribitur.

Eiuſdem Pſalmi

PARAPHRASIS.

1 *IEhouah ad quem ego prouoco, & quem, ne ſi velim quidem poſſim decipere, tu me penitus cognitum & perſpectum habes.*

2 *Nulla ſiquidem tibi vita mea pars eſt incomperta, ſiue ſedeam, ſiue ſurgam: imo etiam cogitationes omnes meas pro-*

INTERPRETATIO.

1 IEhoua tu *me* exploraſti & noſti.

2 Tu noſti ſedere meum, & ſurgere meum: intelligis cogitationem meam procul.

cul intelligis.

3 *Et ambulantem, & cubantem proximus obseruas: nec eorum qua aggredior quicquam prorsus te latet.*

4 *Nam & ipsas voces nosti, Iehoua, antequam illas lingua pronuntiet.*

5 *Tu me & à tergo & à fronte conclusum, & quasi iniecta mana circumsessum, tenes*

6 *Obstupefacit me profectò sui admiratione scientia tua tam sublimis vt eam comprehendere nemo possit.*

7 *Itaque si fortè tam sim insanus vt effugium aliquod captem, quonam, obsecro, abieyim vt vbi delitescam nesciam? & quò tandem extra tui conspectum aufugerim?*

8 *Si vel in cælos ipsos fugiens ascendam, nempe ibi te reperiam. Si contrà in ipsis sepulchri claustris iacuero, ecce rursum ibi te deprehendero.*

9 *Si mihi vel Sol ipse exoriens alas suas longè velocissimas commodet, quibus in vltimã vsque Occidentem auolem,*

10 *Perinde id fuerit ac si tu ipse me eò deduxeris, ibiq; dextera tua me deprehensum corripiet.*

11 *Quod si tam sim amens vt mihi persuadeam fore vt me saltem tenebræ occultent, ipsa nox erit quasi lux me circumcingens vt tuo conspectui pateam.*

12 *Nam ne tenebræ quidem quic*

3 Semitam meam & accubitum meum circumcingis & omnes vias meas intelligis.

4 Quia nullus sermo in lingua mea, ecce Iehoua agnoscis totum.

5 Retro & ante coarctas me & ponis super me manum tuam.

6 Mirabilis est scientia tua supra me: sublimis est, non possim *pertingere* ad eam.

7 Quò ierim à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugerim.

8 Si ascendero in cælum, illic tu es. Si stratum fecero in sepulchro, ecce tu.

9 Si sumam alas auroræ, & inhabitem in extremo maris,

10 Etiam illuc manus tua deducet me: & prehendet me dextera tua.

11 Si dixero, saltem tenebræ operient me: etiam nox lux circa me *erit*.

12 Etiam tenebræ non occulta bun

quam tegũt quominus id pervideas; imo tibi nox non aliter quàm lux ipsa splendet, vt nullum sit apud te lucis & tenebrarum discrimen

tabunt *me* à te, sed nox qua si dies illucebit: sic *tibi sunt* tenebræ sicut lux.

13 Neque id mirum. Tui sunt enim iuris & dominij viscera ipsa mea intima, vt qui me in ipso matris vtero inuolucrũ conditum texerit.

13 Certè tu possides renes meos: operuisti me in vtero matris meæ.

14 Et hoc opus profectò quod in me ipso conspicor, tã est prorsus admirabile, vt planè sim stupidissimus & maximè ingratus, nisi hoc nomine te celebrem, & opera tua supra modum esse mirifica profitear, quum id ipsum prorsus ita à se animadvertam.

14 Celebrabo te, quòd mirabiliter mirificatus sum mirabilia sunt opera tua: & anima mea *hoc* cognoscit valde.

15 Iam tum enim erat tibi nota meorũ ossium compages quũ tam occulto loco formarer, & velut opere acupicto in profundo specu compingerer.

15 Non est abscondita ossium meorum compages abs te qui firmatus sum in occulto, & opere phrygionico contextus in infimis partibus terræ.

16 Iam tum, inquam, me cernebas quum adhuc essem rudis & informis massa, & omnia ista efformatio, ac etiam ipsum tempus illi destinatum, erant in libro tuo descripta, antequàm vlla pars ipsius opificij existeret.

16 Informè meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia ista scribebantur, & dies *quibus* formabantur: quum non *extaret* vnum ex ipsis.

17 Itaque, Deus, quàm ego rebus omnibus studium rerum istarum antepono! tantarũ profectò, vt illarum ne summam quidem inire quisquam possit.

17 Itaque mihi quàm pretiosæ sunt cogitationes tuæ, Deus! quàm fortes sunt summæ earum.

18 Etenim si fortè recensere illas studeã, comperiero plures esse

18 Si numerem eas, præ arena multiplicabuntur: cui-

quàm arena grana: & vt me de ijs cogitantem ſomnus opprimat, nũquam enigilo quin nouum ſeſe tui laudandi argumentum offerat

19 Quod ſi, ô Deus, potentiam iſtam excercens perditos è medio tollere ſemel ſtatuas, tum nempe fuero ab iſtiu cruentu liber.

20 Ab iſtiu, inquam, de te ipſo ſceleratè loquutus: tãta eſt & vſque adeò elata non tã meorum quàm tuorum hoſtium, vt pote ſancto tuo nomine abutentium, ferocitas

21 Ego verò, vt tu noſti, quoniã te oderunt, idcirco viciſſim illos odi, atque adeò abominer quod eos in te inſurgere animaduertam.

22 Summè, inquam, illos odi, & pro mihi inimiciſſimis duco, nedum vt me ipſis adiungam, aut ad ipſorum ſaltem ſcelera coniungere ſuſtineam.

23 Subijcio me ipſum, hac quidẽ in re, Deus, explorationi tuæ vt cor meum penitus perſpicias, & omnia cogitata mea penitus ſcruteris.

24 Diſpice denique an iſtos vlla offenſione prouocarim, & prout inſontem me cognoueris, ita me ſaluum eſſe iube, & vitæ meæ ſpatium decurrentem conſilijs tuis rege.

lio, & adhuc ego ſum tecum.

19 Si occideris Deus impium: tunc viri ſanguinum declinate à me.

20 Qui loquuti ſunt de te ſceleratè: extulerunt ſe mendaciter aduerſarij tui.

21 Nonne oſores tuos, Iehoua, odio habui, & inſurgẽtes contra te auerſatus ſum?

22 Perfecto odio odi illos: pro inimicis fuerunt mihi.

23 Explora me Deus & cognoſce cor meum: & examina me, & cognoſce cogitationes meas.

24 Et vide an via irritationis ſit in me, & deduc me in via ſeculi.

Idem Pſalmus centeſimus tricesimus nonus, monocolos, vt Pſalmus vicesimus tertius

tertius.

1 INtus & foris tibi
Cognitus sum, mi Deus.
2 Sen quiescam considens,
Siue surgens ambulem,
Quicquid intus cogito,
Cogitantem perspicis.
3 Tu me euntem circuis,
Tu cubanti concubas,
4 Omnium iam præscius.
Lingua si quid hæc mea
Cogitauit eloqui.
Tu loquendæ præuides.

5 Ante tu me, tu retrò
Cognitum prorsus tibi,
Cingis & manu regis.
6 Vis sed ista qualis est?
Quàm tuum istud præ meo
Robur admirabile?

7 Ergo quónam fugero,
Quóue me subduxero,
Vt latentem nescias?
8 Ipsa forte si petam
Syderum palatia,
Hæc throni sedes tui.

Ipsa si refugero
Ad sepulchrorum cauas,

Te quoque hic inuenero,
9 *Imò lucis ipsius*
Fretus alis vltimum
Litus vt maris petam:

10 *Illa me potens tua*
Insequetur cœlitus
Auolantem dextera,
Meq; raptum de fuga,
Vltimo de littore
Protinus retraxerit.

11 *Sin apud me dixero,*
Nigra te nox occulet,
Ipsa nox fit lux mihi:
12 *Nulla nanque nox tibi,*
Noctis ac lucis tibi
Nulla sunt discrimina.

13 *Tu tibi renes meos*
Quippe iure vendicas,
Qui parentis in meæ
Ventre me reconditum,
Atque opertum mollibus
Circuisti fascijs.

14 *Ergo mire sit tibi*
Mira laus, ô artifex,
Cuius en opus merum
Esse me ipse sentiens,
Vsque & vsque te, Deus,
Mente tota cogito.

15 *Te*

15 *Tu quibus tandem modis*
Corpus istud ossibus
Clam suis compegeris,
Et nigro sic in specu
Arte mira finxeris,
Solus ipsemet tenes.

16 *Massa quum rudis forem,*
Tu rudem dispexeras:
Facta iam descripseras,
Facta quæ tandem dies,
Legibus currens suis,
Intuenda præbuit.

17 *Ista verò quàm iuuat*
Cogitare me Deus!
18 *Ista, magnitudine,*
Ista, multitudine
Tanta, noctes & dies
Cogitantem vt opprimant!

16. 20 *Impium quod si Deus*
Hunc semel peremeris,
Tunc procul facessite
Cædibus vos obliti,
Vos loquentes impia,
Fraudibusq́ nobiles.

21 *Nam tui osores, Deus,*
Et tui hostes numinis,
Totus omnes execror,
22 *Totus, inquam, abominor.*

Hostis vlus mec tibi,
Quin sit hostis & mihi.

23 *Tu, Deus, me dispice,*
Pectus istud perspice,
Cogitata peruide,
24 *Prava forte si sequor,*
Meq; per mei rege
Omnis æui tramitem.

Psalmus cēteſimus quadrageſimus ευχλιχος.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi quadrageſimi.

Pſalmus iſte eiuſdem eſt argumēti atque multi alii, in quibus Dauid partim calumniis partim aperta vi oppugnatus & in extremas anguſtias redactus, oſtendit quænam ſit piorum in hoc mundo conditio, & ad quem ſit nobis confugiendum: additis ſuauiſſimis ſententiis ex quibus intelligitur qua fide niti nos oporteat, & quam iſtorum certaminum exitus ſit tandem piis felix, impiis exitialis futurus.

Eiuſdem Pſalmi.

PARAPHRASIS

1 ERipe me, Iehoua, homi-nibus malignis: ſerua me aduerſus iſtos vim mihi inferentes.

2 Qui partim aſſiduè aggrediuntur nihil non apud ſe machinati, partim etiam vim apertam aduerſum me parant.

3 Serpentes eſſe dixeris linguam virulentam in me acuentes, & aſpidas venenū ore circūferētes, quo incautos perimāt.

4 At tu, Iehoua, ſerua me, ne in cuiuſquam ex iſtis ſceleratis manus incidam: tutare me ad-

PARAPHRASIS.

1 ERipe me, Iehoua, ab hominibus nequam, & à viris violentis ſerua me.

2 Qui cogitant mala in corde & quotidie congregant prælia.

3 Acuunt linguas ſicut ſerpens: venenum aſpidis ſub labiis eorum.

4 Serua me, Iehoua, à manibus improbi, à viris violēti ſerua me: qui cogitant de

uersus eos qui mihi iniuriam faciunt, & in eo zeti sunt vt miserum me præcipitem eiuertant.

de præcipitandis gressibus meis.

5 Laqueos enim mihi arrogantes isti clam apposuerunt, & retia ac tendiculas quacunque me transire oportet, mihi tetenderunt.

5 Absconderunt superbi laqueũ mihi: & funibus extenderuut rete ad viam semitæ: tendiculas posuerunt mihi.

6 At ego, Iehoua, fixum istud apud me teneo, quòd Deus meus sis. Exaudi igitur, Iehoua, deprecantis votem.

6 Dixi Iehouæ, Deus meus es tu: ausculta, Iehoua, voci deprecationis meæ.

7 Iehoua, mi Domine, tu is es qui me seruare viu & potes, vt qui meo capiti mille telis impetito galea vice fueris.

7 Iehoua, Domine mi, robur salutis meæ, posuisti operimentum capiti meo die armorum.

8 Ne, quaso, improbos iubeto vo tu suis pessimis potiri, siue quod conantur perficere, ex eo magis ac magis superbiẽdi occasionem arrepturos.

8 Ne des Iehoua' desideria improborum: cogitationẽ eorum ne promoueas: *nam* efferrentur.

9 Fac potius vt dux istorũ tam sedulò mihi imminentium atque adeò ipsimet cum suo duce, eo malo, quod mihi calumnijs suis machinati sunt, obruantur.

9 Caput obsidẽtium me: molestia labiorum eorum operiat eos.

10 Et ita sanè futurum prospicio: nempe vt incidant in eos ardentes pruna calitus demissa, & fulminibus icti in profundissimos gurgites nunquam inde regressuri præcipitentur.

10 Cadent super eos carbones: cum igne præcipitabit eos in profunditates non resurgent.

11 Certum enim illud est, nunquam fluxuros maledicos & calumniatores, & quicunque vi grassantur sibi ipsis exitium suis sceleribus accersituros.

11 Vir lingua *nocens* non stabilietur: virum violentũ noxa venabitur ad expulsiones.

12 *Neque ambigi potest quin oppressos & inopes asserat, asserat, inquam, Iehoua.*
13 *Iusti verò, Deus, nomen tuum celebrabunt, & quantacunq; vi oppugnentur, tuti tamen coram te recti & aqui amantes perseuerabunt.*

12 Scio facturũ Iehouã iudicium afflictis: iudicium pauperum.
13 Vtique iusti celebrabunt nomen tuum: habitabunt recti coram facie tua.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus, carmine heroïco, vt psalmus octauus.

1 *ERipe me miserum sceleratis, erue sæuis*
2 *Hostibus, inde dolis, hinc vi grassantibus istis,*
3 *Lethiferum quorum iaculatur lingua venenum,*
Quale vomunt sæuis metuendi dentibus angues.
4 *Impia fac ne me rapiat manus: improba contra*
Istius immanis tu me molimine serua.
5 *Nanq; mihi laqueum incauto abscondêre superbi,*
Insidiasq; parant ituro, ac retia tendunt.
6 *At tu Aeterne mihi Deus alta in mente repostus*
Semper eris: Deus audi igitur te voce vocantem.
7 *Audi Aeterne, inquam, mea magna potentia solus,*
O caput hoc toties mediis tutate periclis.
8 *Sancte veta votis hostes potiantur iniquis,*
Quin potius fac vana cadant quæcunq; parārunt,
Cornua ne semper tollant sic alta feroces.
9 *Fac inquam, potius tanto quæcunq; labore*
Cùm duce damna suo linguis mendacibus isti
Non cessant inferre mihi, ipsi damna reportent,
10 *Iussa pluant facito flammantes nubila prunas,*
Imaq; deuoluant istos ad tartara flammæ,
Scilicet æternis luituros crimina pœnis,
11 *Haud etenim firmas in terris figere sedes*

Mendaces

Mendaces fas est: & vis quibus improba cordi,
Hos adigit sua præcipites in retia noxa.
12 *Oppressos certè cœli seruabit ab arce*
13 *Ille inopum vindex, iustorum vt turba perennes*
Illi grata canat laudes, eiusq; beatos
Ante oculos felix secura sede moretur.

Psalmus centesimus quadragesimus primus εὐκτικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi quadragesimi primi.

In hoc quoque Psalmo Dauid grauissimè vexatus, Deum magna cum fiducia suo more precatur, sed tria petit præcipue in hac precatione obseruanda, vnum vt linguam etiam frenare possit, quæ nimirum nisi cohibeatur, sæpissime malum reddit deterius: alterum ne prauis exemplis aut illecebris victus sese sceleratis adiungat: tertium ne tamen sibi desint æqui & moderati reprehensores.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *NE, quaeso, Iehoua, diutius differas clamãtem exaudire, sed potius aurem vociferanti prabe.*

2 *Sint tibi accepta preces mea quasi suffitus odor à te prascriptus, sint & tibi preces mea quas sublatis ad te manibus effundo, sacrificij vespertini vice.*

3 *Comprime os meum, & obsera labiorum meorum fores, sancti tui Spiritus virtute ne quid temere vel impatienter effutiant.*

INTERPRETATIO.

1 IEhoua, clamo ad te, festina ad me: attende ad vocem meam dum ad te clamo.

2 Dirigatur precatio mea *sicut* suffitus coram facie tua: & eleuatio manuum mearum *sicut* sacrificium vespertinum.

3 Appone, Iehoua, custodiã ori meo: obserua ostium labiorum meorum.

4 *Ne cor meum prauis cupiditatibus meis regendum trade, ne fortè me dedam malo cum ijs qui sceleribus student, vel periculorum magnitudine victus, vel degustatis eorum illecebris illectus.*

4 Non inclinas cor meum ad rem malam, ad patrandum opera impij cum viris deditis sceleri: & ne comedã ex delitiis eorum.

5 *Cõtundant me sanè iusti, quod summa benignitatis loco ducam: & increpent me, nec vnquam excellens istud balsamum desit capiti meo, quo minimè ladetur. Sed quorsum plura? Nam breui futurũ est vt in istorum sceleratorum miserijs pro ijs ipsis te deprecer, nedum vt ab ipsis absorbear.*

5 Contundat me malleis iustus *erit mihi* beneficium: & castiget me: oleum pretiosum *erit quod* non franget caput meum: certè ad huc *paululum* & oratio mea *erit* in malis eorum.

6 *Vbi verò istorum præcipuos de gradu præcipites deieceris, ceteri nunc mihi infensi meos sermones æquis animis vt sibi gratos & suaues accipient.*

6 Deiiciantur in rupes iudices eorum & audientur sermones mei, quoniam suaues *erunt*.

7 *Interea non modo velut exanimes, verùm etiam haud secus quàm lapidicidæ huc & illuc lapidum frusta dissecãt, dissipatis disiectisque ossibus apud sepulchri specũ iacemus.*

7 Veluti quum quispiam proscindit & dissecat *lapides* in terra: dispersa sunt ossa nostra apud os sepulchri.

8 *Tu vero Iehoua Domine mi, quum ad te spei plenus oculos conuertam, ne me prorsus ad nihilum redigito.*

8 Certè ad te Iehoua, Domine mi, *tendunt* oculi mei: in te spero, ne exinanias animeam meam.

9 *Sed me potius tutare, ne fortè in laqueos incidam, & in retia quæ scelerati mihi apposuerunt.*

9 Custodi me à manibus laquei *quem* tetenderunt mihi: & à retibus eorum qui dant operam sceleri.

10 *Et ita proculdubio futurum est. Nam illi quidem cadent potius in Dei retia: ego verò*

10 Cadent in retia eius impij: simul ego semper transibo.

sicut.

sicut adhuc euenit, ita quoque semper deinceps illaesus ex illorum laqueis euadam.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus primus, dicolos distrophos, prior versus est Choriambicus dimeter, alter Iambicus dimeter catalecticus.

1 *AD te vociferor, Deus,*
Ades agedum promptius vocanti.
Surdis nec Deus auribus
Contemne seruulum precantem.
2 *Ceu te, thure litans tibi*
Odore recreat sacerdos,
Fac ad te penetrent graues
Quas eiulans fundo, querelae
Serae vt tempore vespertinae
Grati excipis sacri nidores,
Tendentem tibi sic manus
Tu caelo ab alto me tuêre.
3 *Ori frena mea iniice*
Linguae obserans fores loquaci,
4 *Nec mens haec facito meae*
In omne prona scelus feratur,
Vel se se impia polluat
Coetibus adhaerens improborum,
Et victam illecebris, mala
Pessundet implicitam voluptas.
5 *Me verò potius petat,*
Me vulnerèt monitor seuerus,
Et nunquam capiti meo
Hoc desit balsamum suaue.

4 *Ne cor meum prauis cupiditatibus meis regendum trade, ne fortè me dedam malo cum his qui sceleribus student, vel periculosa magnitudine victus, vel degustatis eorum illecebris illectus.*

4 Non inclinas cor meum ad rem illam, ad patrandum opera impij cum viris deditis sceleri: & ne comedā ex delitijs eorum.

5 *Cōtundant me sanè iusti, quod summa benignitatis loco ducam: & increpent me, nec vnquam excellens istud balsamum desit capiti meo, quo minimè ladetur. Sed quorsum plura? Nam breui futurū est vt in istorum sceleratorum miserijs proijs ipsis te deprecer, nedum vt ab ipsis absorbear.*

5 Contunda t me malleis iustus *erit mihi* beneficium: & castiget me: oleum pretiosum *erit quod* non franget caput meum: certè ad huc *paululum* & oratio mea *erit* in malis eorum.

6 *Vbi verò istorum præcipuos de gradu præcipites deiecerit, ceteri nunc mihi infensi meos sermones æquis animis vt sibi gratos & suaues accipient.*

6 Deiiciantur in rupes iudices eorum & audientur sermones mei, quoniam suaues *erunt.*

7 *Interea non modo velut exanimes, verùm etiam haud secus quàm lapidicidæ huc & illuc lapidum fracta dissecāt, dissipatu dissectisque ossibus apud sepulchri specū iacemus.*

7 Veluti quum quispiam proscindit & dissecat *lapides* in terra: dispersa sunt ossa nostra apud os sepulchri.

8 *Tu vero Iehoua Domine mi, quum ad te spei plenus oculos conuertam, ne me prorsus ad nihilum redigito.*

8 Certè ad te Iehoua, Domine mi, *tenduno* oculi mei: in te spero, ne exinanias animeam meam.

9 *Sed me potius tutare, ne fortè in laqueos incidam, & in retia quæ sceleratis mihi apposuerunt.*

9 Custodi me à manibus laquei *quem* tetenderunt mihi: & à retibus eorum qui dant operam sceleri.

10 *Et ita procul dubio futurum est. Nam illi quidem cadent potius in Dei retia: ego verò*

10 Cadent in retia eius impij: simul ego semper transibo.

sicut.

Sicut adhuc eunit, ita quoque semper deinceps illæsus ex illorum laqueis euadam.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus primus, dicolos distrophos, prior versus est Choriambicus dimeter, alter Iambicus dimeter catalecticus.

1 *AD te vociferor, Deus,*
Ades agedum promptus vocanti.
Surdis nec Deus auribus
Contemne seruulum precantem.
2 *Cen te, thure litans tibi*
Odore recreat sacerdos,
Fac ad te penetrent graues
Quas eiulans fundo, querelæ
Seræ vt tempore vespertæ
Grati excipis sacri nidores,
Tendentem tibi sic manus
Tu cœlo ab alto me tuêre.
3 *Ori frena mea iniice*
Linguæ obserans fores loquaci,
4 *Nec mens hæc facito mea*
In omne prona scelus feratur,
Vel se se impia polluat
Cœtibus adhærens improborum,
Et victam illecebris, mala
Pessundet implicitam voluptas.
5 *Me verò potius petat,*
Me vulneret monitor seuerus,
Et nunquam capiti meo
Hoc desit balsamum suaue.

6 *Sanè aut fallor ego, aut mora*
Non longa præterierit, istis
Quin nostra sit opus prece,
Sic impotenter nunc superbis,
Quorum præcipuos vbi
Tu rupe deieceris ab alta,
Tunc turba hæc monitus meos
Exaudiet docilis salubres,
7 *Qualis rupibus ex cauis,*
Ingente vix suo labore,
In frusta silex, fabri
Ferrata quem manus cecîdit,
Sic nos ad tumuli specum,
Sparsis & hinc ossibus & inde.
Vt despecta cadauera,
Et artubus laceris iacemus.
8 *At te luminibus meis*
Ego, Deus mi, intueor vnum,
In te spes residet mea,
Animulâ vt hãc serues misellam.
9 *Fac ne istis laqueis miser*
Quas nexuêre mihi scelesti,
His, inquam, capiar plagis,
Quas impia hæc manus retendit.
10 *Nempe ipsi potius tuis*
Simul ruent pedicis retenti,
Contra retibus omnibus
Semel ego ruptis euolabo.

Psalmus centesimus quadragesimus secundus, ἐυκτικὸς.

Argumen-

Argumentum expositus Psalmi centesimi quadragesimi secundi.

Significat inscriptio Hebraica editum hunc Psalmum fuisse à Davide quum vndique à Saule conclusus in speluncam Engaddi refugisset: vnde perspici potest quanta ipsius fides & constantia fuerit, sicuti narratur, 1. Sam. 24. Continet igitur hic quoque Psalmus pulcherrimum precum ardentissimarum exemplum.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *VOciferans Iehouam imploro: vociferans Iehouam precor.*

2 *Omnem mentem meam coram ipso effundo: quicquid me premit illi significo.*

3 *Ac mihi quidem anxietas tenebras offundit, sed tu nosti quo tramite mihi sit in his desertis rupibus incedendum, quamuis illi mihi vndique laqueos tetenderint.*

4 *Circunspicio quidem huc & illuc, sed neminem video qui me agnoscat: nullum vsquam patet effugium, nemo est qui de me seruando cogitet.*

5 *Te igitur vnum clamans requiro: tu perfugium meum es, tu mihi sinditus es me versantem inter viuos sustentans.*

6 *Eheu, exaudi miserrimi & penitus exhausti hominis clamorem: libera me ab istis longè superioribus hostibus qui me tam immani vi persequuntur.*

INTERPRETATIO.

1 VOce mea ad Iehouam clamo: voce mea ad Iehouam precor.

2 Effundo coram facie eius mentem meam: afflictionē meam corā facie eius declaro.

3 Inuoluit se super me spiritus meus, sed tu nosti semitam meam in ea via qua ambulem: posuerunt mihi laqueum.

4 Quum respicio ad dexteram & aspicio, nemo est qui me agnoscat periit fuga à me: nullus requirit animam meam.

5 Clamo ad te Iehoua, dico, tu refugium meum & portio mea in terra viuentium.

6 Attēde ad clamorem meū, quia exhaustus sum valde: libera me a persecutoribus meis: nam inualuerunt super me.

7 *Educ me ex isto carcere vt iustorum hominum corona cinctus præstitam à te liberationem mihi gratulantium, tuas assiduè laudes decantem.*

7 Educ è carcere animam meam, vt celebrem nomen tuum: me coronabunt iusti quòd conditionem meam commutaris.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus secundus dicolos distrophos: prior versus est choriambicus tetrameter acatalecticus: alter choriambicus dimeter.

1 *AD te vociferans clamito, mi Deus,*
Raucas ingeminans preces,
2 *Effundoq́; tuos vnius in sinus,*
Quicquid pectore cogito:
Et quicunq́; premit me dolor anxium,
Mox à me patefit tibi.
3 *Nanq́; vt prorsus inops consilij hæreat:*
Mens secum ista tumultuans,
Tu nosti via sit quæ mihi peruia,
Quamuis retibus obsita,
4 *Heu circunspiciens vndiq́;, me vndiq́;*
Ignotum video omnibus.
Eheu nulla patet nunc profugo fuga,
Nulli cura mea est salus.
5 *Ergo ad te fugio, Tu mea spes, Deus,*
Quo solo incolumis fruar.
6 *Clamosas agedum percipito preces,*
Tantis impliciti malis:
Tu me istis capiti iam veluti meo
Insultantibus eripe.
7 *Isthoc me miserum carcere libera,*
Laudes vt celebrem tuas.

Mutatòq́;

Mitatoque mihi ſuccinat vndique
Iuſtorum chorus ambiens.

Pſalmus centeſimus quadrageſimus tertius

ἐυκτικὸς

Argumentum & vſus pſalmi centeſimi quadrageſimi tertij.

Vix alius extat Pſalmus in quo apertius demoſtretur quis ſit nobis modus tenendus cũ calumnijs opprimimur. Etſi enim qui iniuſtè accuſatur quòd hunc vel illum læſerit, ſi non eſt eius criminis conſcius, ſicuti Dauidem conſtat immeritiſſimè proſcriptum fuiſſe quaſi ſeditioſum & læſæ regiæ maieſtatis reum (quæ res facit vt tum alibi tum in hoc Pſalmo auſit ſua innocentia fretus ad Deum prouocare) tamen quum conſcientia coram Dei tribunali, plus ſatis eos quoque redarguat qui coram hominibus ſunt innocentiſſimi, duplicem hic perſonam conſcientia ſuſtineat oportet, tum ſeſe videlicet ream confitens, tum apud idem tribunal ſeſe tanquam inſontem ſiſtens. Hoc autem manifeſtiſſimè facit hoc Pſalmo Dauid, addita inſigni ſententia ſiqua vſquam in ſacris literis extat, qua vniuerſi ſinguláque homines ſine exceptione (præter illum vnum qui natus eſt purus ab omni labe) in ſeſe conſiderati, repetundarum ac pro inde pœnarum alternarum rei damnantur. Additur poſtea inſignis deſcriptio luctæ fidei cum diffidentia, illa quidem armante ſeſe Dei Opt. Max. tum potentia inuicta tum veritate certiſſima verbo ſcripto patefacta: iſta verò ſumente vires ex magnitudine & multitudine vexationum quibus nunquam ſuos expoſiturus fuiſſe Deus videretur, Sed vincit tandem fides, quoniam (vt inquit Apoſtolus) non ſumus ſub peccato ſed ſub gracia, id eſt in regeneratis non vincit caro ſed ſpiritus.

Eiuſdem Pſalmi.

PARAPHRASIS.

1 IEhoua, tu noſti cauſa mea, quod ad hoſtes meos attinet bonitatem. Itaque te

INTERPRETATIO.

1 IEhoua audi preces meas, attende ad deprecationem meam: in veri-

precor vt innocentem vindicet. Rursum autem quis sim ego coram te considerans, quid aliud potius fecero quàm vt iustissimã iram tuam deprecer? Audi me igitur precãtem, audi deprecantẽ, tum veritate in præstandis promissis tua, tum in tuis asserẽdis iustitia fretũ.

2 *Sed illud vnicè quãtumuis in sons, quod ad istos attinet, peto, ne iure mecum agas seruo tuo. Illud enim constat nullum vsquam hominẽ extitisse vel extare, qui, si qualis in sese est coram tuo tribunali sistatur, iustus comperiatur.*

3 *Sed vide tamen, obsecro, quomodo isti me habeant. Quasierunt me ad necem. prostrato vix ipsa salua vita superest. imò teneor iam ab illis quasi putre iam pridem cadauer in sepulchri specu repositum.*

4 *Et quid hic agam? quò me vertam, mi Deus? Sum enim animo planè consternato, & corde perculso palpito, siue in te seuerũ iudicẽ, siue in istos immanes aduersarios meos respicio.*

5 *Veruntamen quum memoria repeto quàm benignè cum tuis agere cõsueueris, nec promissa tua dũtaxat recordor, quæ per sè certissima sunt, verùm etiã quàm multis insignibus factis illa confirmaris, quorum nullus auctor esse præter te vnum potest, incredibilem inde consolationem capio.*

tate tua exaudi me & in iustitia tua.

2 Nec intres in iudicium cũ seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens.

3 Sed persequitur hostis animam meam: prostrauit humi vitam meam: collocauit me in tenebris, sicut mortuos seculi *id est* iampridem.

4 Et inuoluitur super me spiritus meus: in medio mei obstupuit cor meum.

5 Recordatus sum *tamẽ* dierum ab antiquo, meditatus sum omnia facta tua: opus *inquam* manuum tuarũ meditatus sum.

6 Expandi

6 *Expansis igitur manibus ad te accedo, haud secus ac te demissum cœlitus spiritum effligitans, quàm terra præ æstu torrida ac penitus debiscens rorem expectat.*

6 Expandi manus meas ad te: anima mea, sicut terra siticulosa *est* tibi.

7 *Audi me igitur, Iehoua, nihil cunctatus, siquidem omnes me viret deficiunt: & quum iam sim mortuo quā vivo similior, ne te procul a me subducito.*

7 Festina, exaudi me Iehoua: deficit spiritus meus, ne abscondas faciem tuam à me: quia similis sum descendentibus in fossam.

8 *Fac potius vt primo quoque tempore mihi ad te vnum cōsigienti clementia tua quasi lux quadam effulgeat, quā me in istiu tenebris vagantem regat, quandoquidem abs te vno totus dependeo.*

8 Fac vt ego audiam mane clementiam tuam, quia in te confido: ostende mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meā.

9 *Eripe me, Iehoua, istiu hostibus meis, quandoquidem sub tuis vnius alis delitesco.*

9 Eripe me ab inimicis meis Iehoua: apud te latebras quæsiui.

10 *Denique quum tu sis non tantum Deus qui me posis seruare, sed etiam Deus meus, id est qui testatus sis hoc te velle mei causa quod posu, ereptum me istiu hostibus perge porro docere id quod tibi gratum est simul & nosse & facere: ne me vel ipsa mens mea caca, vel affectus suapte natura effrenes extra viam rapiant, sed vt potius spiritus ille tuus omnia bona effector recta via tuto vita mea curriculo me deducat.*

10 Doce me vt faciam voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: spiritus tuus bonus deducat me in terra recta.

11 *Neque verò peto vt me iam moribundum & angustiis mortis cōstrictū vita restituas, quasi vllis meritis meis nitar, sed vt tua ipsius gloria consulas.*

11 Propter nomen tuum Iehoua viuifica me: iusticia tua: educ ex angustia animam meam.

22 *Quid igitur futurum est? nempe omnino vt pro benignitate singulari tua meos hostes à quibus tam immeritò vexor, deleas, quoniam seruus tuus ego sum.*

12 Et in clementia tua disperdes inimicos meos, & perdes omnes affligentes animam meam: quia ego sum seruus tuus.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus tertius, monocolos, carmine phalæcio hendecasyllabo, vt Psalmus secundus.

1 *AVdi me Deus, obsecro, eiulantem,*
Audi me tibi, quæso, supplicantem,
Sic immota sibi tua illa semper,
Mi Deus, bonitas fidesq; constet.

2 *Nec seuerus apud tuum tribunal*
Causam dicere me reum iubeto:
Te prorsus siquidem innocens abire.
Mortalis poterit sedente nullus.

3 *Cerne vt me petit ad necem, soloq;*
Illidit miserum cruentus hostis,
Immò putre velut forem cadauer,
Iam caui tenet in specu sepulchri.

4 *Expers consilij horreo impeditus,*
Corde intus trepido tumultuante,
5 *Priscis illa tibi peracta sæclis*
Dum verso, meditor, voluto mecum.

6 *Tot curis igitur malisq; pressus,*
Ambas tendo tibi manus supinas,

Haud

Haud terræ absimilis siticulosæ,
Quam Solis nimius recoxit æstus.

7 *Adfer promptius opem mihi roganti,*
Nec me despicito, Deus, labantem,
Atque illis penitus parem, profundi
Iam quibus tumuli paratur antrum.

8 *Quamprimum facito tua quiescam,*
O tu spes mea, voce recreatus,
Et tutam mihi semitam indicato,
Abs te pendeo qui misellus vno.

9 *Istis eripe me hostibus superbis*
Opis tegmine sub tuæ latentem:
10 *Quod tu vis facito velim, Deus mi,*
Te rectum duce tramitem sequutus.

11 *Seruato examinem, Deus benigne,*
Sic tuum vigeat perenne nomen:
Opressum erue me potente dextra,
Sic toto celebreris orbe iustus.

12 *Clemens tu mihi, tu seuerus istis,*
Cunctos disicitoq́, perditoq́,
Hos inquam, Deus opprime, innocentis
Serui in perniciem tui ruentes.

Psalmus centesimus quadragesimus quartus, εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi quadragesimi quarti.

Dauid insignibus victoriis inclytus, neque id absque sin-

gulari tum animi tum corporis fortitudine, vt ex historia intelligitur, tamen hoc psalmo, prorsus consentiente cum decimo octauo, sic Deo gratias agens vt nihil sibi magis in re bellica tribuat quàm Paulus in Euangelii ministerio, quum inquit eum qui plantat & qui rigat nihil esse, sed Deum vnicum esse qui dat incrementum, docet omnes suo exemplo veram ταπεινοφροσύνην quantacunque diligentia functi sint in opere sibi commisso. Et quoniam tam diuturnum est hoc certamen quàm longa est hæc vita, sic agit gratias de concessis sibi victoriis vt aduersus noua imminentia certamina nouum robur petat, singulari admonitione cauendum ne successibus prosperis negligentiores facti ab hoste intercipiamur. Aperit denique fontem ex quo bona omnia tum publicè tum priuatim scaturiunt, veri Dei videlicet syncerum cultum, psalmum tandem claudens magnificentissimo epiphonemate, quod vtinam omnes politiæ seriò meditarentur.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *TIbi, Iehoua, vnico meo robori, laudem omnem tot victoriarum optimo iure tribuo. Quod enim manus ista fortiter sint præliata, quod digiti mei gladium sciẽter tractarunt, vnus tibi acceptũ fero.*

2 *Tu enim is es cuius beneficio sum superstes: tu præsidium meum es, arx mea, cõseruator meus, clypeus meus, perfugium meum, is denique qui mihi vnus omnem istum populum subiecisti.*

3 *Nam, quaso, quid rei tandem est homo, miserrimum istud & calamitosissimum animal, cur ipsius curã geras? quid habent in sese mortales mortalibus sati, cur eorum habeas rationem?*

INTERPRETATIO.

1 LAus sit Iehouæ rupi meæ: qui docet manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum.

2 Beneficentia mea & præsidium meum, arx mea, & liberator meus, clypeus meus, ad quem protectionis causa confugio: qui subiicit populum meũ sub me.

3 Iehoua, quid est homo, quòd agnoscis eum? filius hominis quòd de eo cogitas?

4 Homo

4 *Est ipse quidem certe nihilo quàm similimus, & tuus vita omnis est instar umbræ quàm velocissime prætereuntis.*

5 *Ades itaque mihi Iehoua, citra cuius opẽ perij: & ex arce tua cælesti terribilis prodiens præsentiam tuam tempestatibus sequuturis testificaturus, percussos nubium vertices, iube nimborum globos eructare.*

6 *Consequantur fulmina quibus istorum cuneos disicias: ingeminentur instar telorum vibrata fulgura, quibus omnem illorum aciem conturbes.*

7 *Exerta denique manu erue me ex istis aquarum vorticibus, & extraneorum istorum manibus.*

8 *Extraneos appello, quoniã etsi in familia tua censentur, nihil tamen ad te pertinent, quũ os quidem illorum sit perfidia plenũ, manus vero mille fraudibus contaminata.*

9 *Sed istos quoque nimirum propulsabis. Itaque nouum tibi carmen tum voce concinam, tum fidibus Psallam,*

10 *Tibi, inquam, regia dignitatis vindici, & Dauidis serui tui iam iam aduersariorum gladio perituri propugnatori.*

11 *Erue me igitur, & asserre ex istorum extraneorũ manibus, quorũ os perfidia, manus fraudibus plena sunt.*

12 *Sic enim (ne me quisquam pri-*

4 Homo vanitati similis est: dies eius *sunt* quasi vmbra præteriens.

5 Iehoua, inclina cælos tuas & descende: tange montes & fumigabunt.

6 Fulmina fulmen & dissipapis eos: mitte sagittas tuas & conturbabis eos.

7 Mitte manum tuam ab excelso: erue me & eripe me ex aquis multis: è manu alienigenorum.

8 Quia os eorum loquitur fallatiam: & dextera eorũ *est* dextera fraudulenta.

9 Deus, canticum nouum cantabo tibi: nablio decachordo Psallam tibi.

10 Qui dat salutem regibus: & eruit Dauidem seruum suum è gladio noxio

11 Erue me & eripe me de manu alienigenarum: quorum os loquitur fallatiam: & quorum dextera *est* dextera fraudis.

12 Certe filij nostri *erunt* si-

natis commodis studeo existimet) filij quidē nostri generosas plantas referent in ipso exortu maturè adolescentes: puella verò nostra procera & elegante statura columnis similes erūt affabrè politis, quibus palatiorum limina sustinentur.

13 Ex penuarijs nostris omnia annonæ genera redundabunt: fœcunda pecorum myriades plateas complebunt.

14 Armenta robusto compacto q; corpore cernentur: nulla vspiam hostilis fiet irruptio, quam repelli copijs oporteat: nullus vrbibus totis clamor audietur.

15 O beatum populum cui istud tribuetur. ô beatum populum qui Iehouam pro Deo, & quē pro populo Iehoua vicissim agnoscit.

cuc plantæ, quæ creuerunt in adolescentia sua: filiæ nostræ sicut anguli politi in similitudinem palatij.

13 Egressus nostri erunt pleni, producētes à specie in speciem: oues nostræ mille parientes, decem millia parientes in plateis nostris.

14 Boues nostri onusti, non erit irruptio neq; egressus, neque clamor in plateis nostris.

15 Beatus populus cui sic, beatus est populus cuius Iehoua est Deus.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus quartus dicolos distrophos vt Psalmus nonus.

1 TE Deus alme cano cuius sic munere, pugnis
Hæc habilis tractat fortia tela manus.
2 Tu mihi nanque bonus rebus tu tamen in arctis,
Tu scutum, & rupes, tu mihi certa salus.
Nam quòd me populus Regem subiectus adorat,
Omne tui est, fateor, grande fauoris opus.
3 Ecquid enim tanto cur nos digneris honore
Mortales miseros commeruisse putem?

4 Mortales

4 *Mortales, quibus est heu nil vanius vsquam,*
Et fugium quorum ceu leuis vmbra, dies?
5 *Prodi agedum Deus, & cœlorum cardine moto,*
Sydera decurrant fac propiora solo.
6 *Tecta tibi exhalent montana cacumina nimbos,*
Vnde tonent rutila fulmina missa manu.
Sancte tona, ignitis istos consunde sagittis,
Vt nunc qui nunquam te timuêre, tremant.
7 *Cœlitus exerta me denique surrige dextra,*
Seruet vt ex medijs sic tibi raptus aquis.
8 *Eripe degeneri me turbæ, & falsa loquutis,*
Quorum mille manus nobilita, dolis.
9 *Tunc celebrabo nouo te carmine, tunc tibi nerui*
Ista modos dentis barbitos icta canet.
10 *Te seruatorem regum tunc carmine dicet*
Ille tua Dauid sic redimiuus ope.
11 *Eripe degeneri me turbæ, & falsa loquutis,*
Quorum mille manus nobilitata dolis.
12 *Tunc patribus proles soboleſcet plurima, qualis*
Intonſis arbor surgit in astra comis.
Corpora natarum spectabunt talia matres,
Sustentant quales regia tecta pilæ.
13 *Vndique congestæ complebunt horrea fruges,*
Non capient totos compita tota greges.
14 *Plaustra domum referent robusti plena iuuenci,*
Rumpetur nullis motibus alta quies.
Horrida nemo domo sectabitur arma relicta,
Nec clamor totis vrbibus vllus erit.
15 *Felicem ô populum tali qui sorte beatus*
Tam placidum numen senserit esse sibi.

Psalmus centesimus quadragesimus quintus, εὐχαριστικός.

Argumentum & vſus Pſalmi.

Vel vnicus hic Pſalmus digniſſimus eſt quem omnes ſibi pro norma & regula deligant ad veras laudes numini tribuendas. Nihil enim neque grauius neque magnificentius dici poſſit tum de ſapientia, bonitate, iuſtitia, potentia Dei omnibus ipſius operibus teſtata, tum in primis de priuatis eiuſdem erga ſuam Eccleſiam ſummis beneficiis, vt verè ſit hic pſalmus perfectum rationalis illius cultus exemplum, qui in ſola Eccleſia perdurat.

Eiuſdem Pſalmi centeſimi quadrageſimi quinti.

PARAPHRASIS.

1 *Efferam te ſummis laudibus mi Deus, mi Rex, & nomen illud tuum perpetuo celebrabo.*

2 *Singulos vita mea dies gloria tua prædicanda conſecrabo: tuumq; nomen nunquam deſituris cantibus amplificabo.*

3 *Magnus enim es & omni laude maior, Iehoua, nec ad tuam magnitudinem quiſquam poſſit pertingere.*

4 *Nec enim vnius ætatis & ſeculi ſunt admirãda opera tua, ſed vt alia aliis ſuccedunt, ita viciſſim alij aliis eorum memoriam commendare oportet, niſi officio ſuo deeſſe velint.*

5 *Itaque mihi quidem abſit vt quicquam ſit antiquius quàm vt magnificentia tua nobis in ipſo rerum vſu elucentẽ ſplendorem, & omnium conceptu atque admiratione grandiora facta tua aſſiduè cogitem.*

INTERPRETATIO.

1 EVeham te Deus mi rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum & vſque.

2 Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum & vſque.

3 Magnus *eſt* Iehoua, & laudabilis valde, & magnitudinis eius non *eſt* inueſtigatio.

4 Generatio generationi laudabit opera tua, & potentiam tuam narrabunt.

5 Decus gloriæ excellentiæ tuæ, & verba mirabilium tuorum meditabor.

6 Et

6 Et certe vt ſtupidiſſimi & ſupra modum ingrati ſint plerique, nunquam tamen deeſſe poterunt qui tuam ſaltem terrificam potentiam vel inuiti fateantur: ſed vt cæteri conticeſcant, ego tamen magnitudinem tuam prædicare nunquam deſinam.

6 Et fortitudinem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabo.

7 Abſit autem vt vnus ego defungi hoc munere meo ſtudeam. Nam certe cœtus erit ſemper aliquis, qui tuæ benignitatis peculiaris memoriam, & promiſſiones certiſſimas tuas modis omnibus teſtetur,

7 Memoriam magnitudinis bonitatis tuæ eloquentur, & iuſtitiam tuam cantabunt, *dicentes*,

8 Te videlicet clementiſſimum eſſe & ad ſummam miſericordiam propenſiſſimum, & de quo pene poſſit ambigi, ſis ne ad iraſcendum tardior an ad parcendum promptior.

8 Propitius & miſericors eſt Iehoua, tardus ad iram & magnus clementia.

9 Ecquid enim eſt Iehoua, tua benignitatis expers? immò quid vſquam eſt in iſta vniuerſitate quod tuam clementiam vel eo ipſo non teſtetur quod tot modis contaminatũ mundum tam multis iam ſeculis feras?

9 Bonus Iehoua omnibus, & miſericordia eius ſuper omnia eius.

10 Nihil igitur condidiſti, nihil à condito mundo abs te geſtũ eſt, Iehoua, quod tuam gloriam per ſe non celebret; ſed ſoli beneficiarij tui te agneſcũt, & tibi conuenientes laudes tribuunt.

10 Celebrabunt te Iehoua omnia opera tua, & beneficiarij tui benedicent tibi.

11 Soli enim iſti quod tuum ſit imperium & qua poteſtas ſit tua nouerunt, & experti prædicant,

11 Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquẽtur.

12 Tuorū videlicet fortissimorū gestorum præcones, & regni tui decus ad posteros usque transmittentes.

13 Regnum tuum siquidem nullis est temporum momentis circūscriptum, vt pote quod semper idem sui que simile à perpetuis seculis duret.

13 Quàm autem æqua & moderata sit hæc tua dominatio, ex eo liquet, Iehoua, quod quantumuis indignos quosuis alioqui lapsuros sustines, imò etiā prolapsos erigis.

15 Et cuiusmodi tandem est illud tuum beneficium omnibus cōmune, quòd animantium omnium vita ad te conditorem suum ac conseruatorem refertur, & tu vicissim illis alimēta suo commodo tempore suppeditas.

16 Nec enim aliunde viuit quicquid viuit, quàm eo quòd tu vnicuique velut porrecta manu vltrò, solāque liberalitate expulsus præbes.

17 Nec minus in ijs qua tu condidisti gubernandis & ad destinatos fines quaqua via deducendis, tum iusticia tum benignissima tua bonitas elucet:

18 Præcipuè tamen & peculiari quodam beneficentiæ testimonio sese patefaciens in ijs qui te colūt & serio cordis affectu reuerentur sedulò tutandis, tanquam ab illorum latere nunquam discedas.

12 Vt notas faciant filiis hominum potentias eius, & gloriam decoris regni eius.

13 Regnum tuum est regnum omnium seculorum, & dominatio tua perdurat in omnem generationem & generationem.

14 Sustētat Iehoua omnes cadentes, & erigit omnes curuatos.

15 Oculi omnium ad te expectant, & tu das illis cibū ipsorum tempore suo.

16 Aperis manum tuam, & satias omne viuens beneplacito tuo.

17 Iustus est Iehoua in omnibus viis suis, & clemens in omnibus operibus suis.

18 Propinquus Iehoua omnibus inuocantibus eum, omnibus qui eum inuocāt in veritate,

19 *Adeò quidem vt nihil à te vrite flagitent quod eis non concedas, & clamantibus nunquam non opituleris.*

20 *Sicut autem omnes à quibus diligeris salvos præstas, ita improbos omnes disperdis.*

21 *Optimè itaque iure, Iehoua, laudes tuas sonora etiam voce prædicabo: & hoc ipsum assidùe perpetuoque facere cunctos decet quibus huius vitæ vsuram concedis.*

19 Desiderium timentium se perficit, clamorem eorum audiet & seruabit eos.

20 Custodit Iehoua omnes diligentes se, & omnes impios disperdet.

21 Laudem Iehouæ loquetur os meum, & benedicet omnis caro nomini sancto eius in perpetuum & vsq;.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus quintus, dicolos tetrastophos, vt psalmus decimus nonus.

1 *MI Deus, mi Rex, tibi nostra dicet*
Barbitos laudes: tibi conseerata
Voce venturis memoranda pangam
Carmina seclis.

2 *Me dies nullus tacitum videbit,*
Quinimò laudes tibi concinentem
Audient ipsi mea post sequuti
Secla nepotes.

3 *Nanque tu verè Deus vnus ingens,*
Laude tu maior Deus vnus omni,
Omnium cuius superat potentum
Robora robur.

4 *Omnis hæc ætas hominum fatetur*
Virium testis locuples tuarum,
Orbe quæ toto tua comprobante
Facta recensent.

5 *Ipse quos inter tibi consecratus*

Præco, tot partos tibi iam triumphos,
Mira tot dextra tibi gesta forti
Pectore verso.
6 *Ipsa te ingentem tua facta cantant,*
Nemo quem possit satis obstupêre,
Ipse te ingentem quoque voce dicam,
Maxime rerum.
7 *Sic tuæ summæ bonitatis huius,*
Sic tuæ semper memor æquitatis,
Debitas grato tibi fundat orbis
Pectore laudes.
8.9. *Namque tu verè Deus es benignus,*
Tu malo in nostro facilis dolêre,
Tardus irasci, miserisq; nobis
Parcere promptus.
10 *Te mare & tellus, radiansq; cœlum,*
Quæq; sunt toto fabrefacta mundo,
Te colunt patrem, dominumq; solum
Cuncta fatentur.
11 *Sed tui in primis, bone, quos beasti,*
Hi tui demum decus omne regni,
Hi tuas vires merito celebrant
Laudis honore.
12 *Orbis vt norit semel vniuersus*
Istius roburq; decusq; regni,
13 *Nulla quod claudunt spatia, atque nulla*
Terminat ætas.
14 *Pondere oppressos retines labantes,*
Surrigis curuos, dapibusq; largis
15 *Pendulos abs te reficis, decenti*
Tempore, cunctos.
16 *Namque tu dextra satiuas aperta*

(Sic

(Sic tibi visum Deus ô benigne)
Vsquam quicquid fruitur tribuæ
Lumine vitæ.
17 *Iustus est certè Deus vndiquâque,*
Mitis est idem Deus vndiquâque
17 *Promptus haud fictè sibi supplicantum*
Audire querelas,
19 *Hic suum numen veritos querentes*
20 *Compotes voti facit, eruitque,*
Impios perdens, simul & piorum
Scilicet vltor,
21 *Istius laudes mihi concinenti,*
Succinat, quâqua patet orbis ingens,
Ipsius sacrum celebrans perenni
Carmine numen.

Psalmus centesimus quadragesimus sextus, εὐχαριστικὸς.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi quadragesimi sexti.

Hortatur omnes hoc psalmo Propheta ad laudes Dei celebrandas, in eo præcipuè positas, vt omnis fiducia in eo vno tanquam potentissimo simul & moderatissimo ac in primis clementissimo rerum omnium Domino collocetur, cuius tum potentiæ, tum æquitatis ac clementiæ aliquot profert exempla illustria ex ipso vsu quotidiano comprobata.

PARAPHRASIS.

1 *AGedum, anime mea, laude Iehouam.*
2 *Est enim hoc mihi constitutum, totam vitam meam tempus collaudando Iehouæ impendere, & Deum meum quandiu vixero celebrare.*

INTERPRETATIO.

1 LAudate anima mea Iehouam.
2 Laudabo Iehouam in vita mea: psallam Deo meo quandiu fuero.

3 *Hac autem propria ipsius laus est, vt in eo vno fiduciam omnē nostram collocemus. Cui enim potius fidas? principibus scilicet, quorum splendor solet stultorum oculos perstringere. Atqui quum isti quoque mortales sunt mortalibus sati, id est neque firmi roboris neque constantis voluntatis, salus sita in ipsis esse nequit.*

3 Ne confidatis in principibus in filio hominis, in quo non est salus.

4 *Etenim ipsorūmet vita in halitu consistit, quo simul atque anima ex corpore demigrante, destituuntur, rursū in puluerem rediguntur, & simul cum iis cogitationes eorum omnes euanescunt.*

4 Exibit spiritus eius reuertetur in terram suam in illa die: peribunt cogitationes eius.

5 *Sed ô beatum illum qui Dei Iacobi præsidio nititur, & cuius spes omnis est in Iehoua Deo suo reposita.*

5 Beatus cui est pro auxilio Deus Iacob: cui spes est ad Iehouam Deum suum.

6 *Huius enim vires quales & quantæ sint ex eo vel cæcis liquet, quòd cælum, & terram & mare, omniaque in iis comprehensa creauit: summa verò eiusdem tum bonitas tum fides; in eo apparet quòd datam fidem nunquam fallit.*

6 Qui fecit cęlum & terram, & mare, & omnia quæ in illis sunt: qui custodit veritatem in perpetuum.

7 *Quòd iniustè oppressos asserit, famelicos pascit captiuos vinculis soluit.*

7 Ius reddit iniustè oppressis: dat escam famelicis. Iehoua soluit vinctos.

8 *Cæcis & præ cōsilij inopia perculsis quasi oculos aperit sub calamitatū pōdere fatiscentes erigit, Iehoua denique iustitiæ amantes omnes complectitur.*

8 Iehoua illuminat cæcos: Iehoua erigit incuruatos Iehoua diligit iustos.

9 *Iehoua humanis præsidiis destitutos veluti vagos aduenas,*

9 Iehoua tuetur peregrinos: pupillos & viduas sustentat&

pupillos, viduas in primis tutatur & fouet: flagitiosè verò viuentes subuertit.

10 *Denique cætera quidem imperia caduca sunt & interitui obnoxia. Regnum autem Iehoua vnicum est sempiternum. Deus, inquam, tuus, Sion, in omnes ætates perdurat. Laudate dominum.*

tat: & viam impiorum disperdit.

10 Regnabit Iehoua perpetuò: Deus tuus, Sion *perdurat* in generationem & generationem.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus sextus, dicolos distrophos. Prior versus est Iambicus dimeter hypercatalecticus: alter Iambicus dimeter acatalecticus.

1 *EIa animula laudemus illum*
Ter maximum, ter optimum,
2 *Hunc prædicemus, hunc canamus,*
Hæc vita donec supperit.
3 *Opes valete præpotentum,*
Quibus nihil fugacius.
Mortalium omne genus valeto,
Quibus nihil fallacius.
4 *Spirare quorum pulmo anhelans*
Simulatque desiit semel,
In puluerem redit cadauer,
Consulta pereunt irrita.
5 *At ô beatum qui potente*
Pendens ab vno numine,
Illius acquiescit vno
Suffultus vsque robore.
6 *Cœlum hic solumque & æquor ipsum.*

Hísque sita cuncta condidit.
Hic quicquid vsquam pollicetur
Constante perficit fide.
7 *Bonos tuetur iſte preſſos,*
Cibíque paſcit indigos,
Hic liberat compede reuinctos,
Cæcíſque lumina ſuggerit.
8 *Sub onere merſos hic labantes,*
Fautor bonorum, ſurrigit.
9 *Et hoſpites hic & pupillos,*
Viduáſque tutor protegit.
Hic impiorum vltor ſeuerus,
10 *Sion beata denique,*
Rex hic tuus, tuúmque numen,
Seclis idem cunctis manet.

Pſalmus centeſimus quadrageſimus ſeptimus, εὐχαριστικός.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi quadrageſimi ſeptimi.

Hoc Pſalmo celebrauit populus beneficium illud maximũ reditus ex Chaldæa, qui fuit Eccleſiæ ἀναζωπυρήσεως præſertim ſi diuini cultus ratio potiſſima, ſicuti par eſt, habeatur. Admiſcentur autem teſtimonia beneficentiæ Dei, tam eleganter deſcripta vt nihil ſupra: vniuerſalia quidem ſed quæ tamen propria ſint filiorum Dei, quòd ij ſoli agnoſcant à quo proficiſcantur, & iuſtas Deo laudes perſoluant. Commemorat itaque in extremo Pſalmo ſummum illud & omnium maximum beneficium, quo ſibi Eccleſiam peculiariter deuinxit Deus, voluntatis nimirum ſuæ ſaluificæ noticiam: & quum illa ex Chaldæa liberatio, & Iſraelis collectio, ſicut & vrbs ipſa Ieroſolymorum typi fuerint, quarum veritas in Euangelio nobis reipſa eſt exhibita, dubium non eſt quin multo magis teneatur Chriſtiana Eccleſia beneficium redemptionis, qua

ni

in cœleſtem patriam inducimur, quotidie celebrare, noſtris præſertim vltimis temporibus quibus cœpit Deus Eccleſiam ſuam ex altera Occidentali Babylone colligere.

Eiuſdem Pſalmi

PARAPHRASIS.

1 AGite quaſo, *Dominum collaudate. Quid enim potius facto opus fuerit, quàm vt Deo qui, præterquà quòd Deus eſt eóque iure omnes ſibi obſtrinxit, tot peculiaribus beneficijs nos affecit, gratias agamus? & vnſum iſtiuſmodi pietatis teſtimonio quid eſſe poſſit iucundius & optatius?*

2 *Nam ecce, Deus, quod te ſolum efficere potuiſſe res ipſa teſtificatur) tu proſtratã, dirutam, euerſam, in pulueremredactam Ieroſolymam cõtra ſpem omnium populorum inſtauratas, & totos annos ſeptuaginta diſperſum Iſraelem tuum aggregas.*

3 *Tu penitus deploratos recreas, tu lethalibus & vulneribus vni tibi tenabilibus medicaris.*

4 *Nempe quoniam nihil eſt quod præſtare nõ poſſis. Tenes enim ipſarum ſtellarum numerum, quas, vt illarũ Dominus, nominatim cies.*

5 *O magnum Dominum noſtrũ immenſa tum efficacitatis, tũ etiam intelligentiæ.*

6 *Et iſta infinita poteſtate ſua*

INTERPRETATIO.

1 LAudate Dominũ, quia bonũ eſt pſallere Deo noſtro: quia iucunda, & decens res eſt laus.

2 Aedificat Ieruſalem Iehoua diſperſos Iſraelis congregat.

3 Sanat contritos corde: & alligat dolores eorum.

4 Numerat multitudinẽ ſtellarum: ſingulis nomina impoſuit.

5 Magnus eſt Dominus noſter, & multus virtute: intelligentiæ eius non eſt numerus.

6 Subleuat oppreſſos Iehoua

minimè ſuperbè aut immoderatè ſed oppreſſu quidē ſublenandu, ſceleratu autē ad terram proſternendu, vtentem!

7 *Agite igitur, Iehouam Deum illum noſtrum & voce & fidibus celebrate.*

8 *Cœlum nubibus prætexentem, inde pluuias irrigandis terris & montium verticibus omni herbarum genere veſtiendis expromentem:*
Hoc pabulo beſtias paſcentem: & crocitantes coruorum pullos à parentibus deſertos educantem.

10 *Neque verò quicquā in nobis ineſt quod eum ad nos compellādos alliciat, minimè eorum ſimilem qui equum probant ipſius forma aut generoſitate capti, aut qui curſorem à velocitate æſtimant.*

11 *Quid enim ille in quoquā inueniat quod non ſit ipſe prior ei largitus? Itaque omnia in ipſius timētes & in vnicā eius clemētiam reſpicientes collata beneficia ab vna eius benignitate proficiſcuntur.*

12 *Eia igitur, Ieruſalē, lauda Iehouam: eia Sion, lauda Deum tuum.*

13 *Hic enim portas tuas vectibus munit, hic tuam familiam ciues videlicet tuos, fouet & multiplicat.*

14 *Hic tibi pacem cum vicinis conciliat: hic te paſcit opima tritici medulla.*

deprimit impios ad terram.

7 Canite Iehouæ in laude: pſallite Deo noſtro cythara.

8 Qui operit cælum nubibus: parat terræ pluuiam: germinare facit herbam in montibus.

9 Qui dat iumentis cibum ſuum: filiis coruorum qui clamant.

10 Non in fortitudine equi placet ei *equus* neque cruribus viri delectatur.

11 Beneficentia Iehouæ eſt ſuper timentes eum: & in iis qui ſperant ſuper miſericordia eius.

12 Lauda Ieruſalem Iehouā: lauda Deum tuum Sion.

13 Quia roborat vectes portarum tuarum: benedicit filiis tuis in medio tui.

14 Qui reddit fines tuos pacificos: pinguedine frumenti ſatiat te.

15 *Dum*

15 *Nec enim illi copiis vllis aut machinamẽtis opus est: sed simulatque quid sibi placeat significauit, percurrit terrarũ orbẽ instar velocissimi veredarij, mandatum ipsius.*

15 *Dum* emittit sermonem suum terræ: valdè velociter currit sermo eius.

16 *Hic niuiũ floccos quasi vellus à nubibus depluit: hic minuta quoque pruina solum quasi puluere conspergit:*

16 Qui dat niuem sicut lanã pruinam quasi cinerẽ spargit.

17 *Hic glaciem frustulatim vibrat, & frigore cui tolerando nemo par esse possit cũcta constringit.*

17 Proiicit glaciẽ suam quasi frusta: coram frigore eius quis consistet.

18 *Et idem rursus simulatq; iussit, conglaciata liquefacit, & aquæ repẽte quasi solutis vinculis rursum fluunt.*

18 Emittit sermonem suum & liquefacit ea: flat spiritus eius, & fluunt aquæ.

18 *Et ista quidem infinitã ipsius tum bonitatem tum potentiã luculentissime testificantur: sed nihil sunt profectò præ eo beneficio quo suum Israelem affecit, quum illi salutis doctrinam, & tum piè tum honestè viuendi regulam traderet.*

19 Annunciauit verbũ suum Iacobo: statuta sua & iudicia sua Israeli.

20 *Nec enim vlla gens est sub cœlo cum qua sic egerit, imo cæteros homines huius doctrinæ certissimæ ac iustissimæ expertes reliquit.*

20 Non fecit ita cuilibet genti: & iudicia eius alij non nouerunt.

Idem Psalmus centesimus quadragesimus septimus, monocolos, carmine trochaico dimetro catalectico, vt Psalmus vicesimus tertius.

1 *FErte numen laudibus: Laude nanque numinis*

Ecquid vſquam iuſtius?
Ecquid vſquam pulchrius?
Ecquid vſquam dulcius?

2 *Vrbis hic eſt diruta*
Conſecratæ mœnia,
Qui benignus ſurrigit:
Fortis hic Abramidas
Diſſipatos colligit.

3 *Hic medetur anxijs,*
Curat iſte ſaucios.
4 *Iſte cœli ſtammulas*
Perſpicit, nouit, vocat
Nominatim ſingulas.

5 *Vnus iſte maximus*
Plenus vnus roboris,
Gnarus vnus omnium,
6 *Iſte preſſos ſubleuat,*
Iſte ſternit impios.

7 *Eia vos hunc dicite,*
Eia vos huic pſallite,
8 *Quo iubente cœlitus*
Irrigata montium
Germinant Cacumina,

9 *Inde larga beſtiis*
Qui miniſtrat pabula:
Quin nec ipſos coruulos,
Matribus ſpretos ſuis,

Crocitantes

Crocitantes deſerit.

10 *Fortis hic equi nihil*
Robur admirabile,
Fortis athletæ nihil
Comparatus currere
Curat iſte tibias.

11 *Sed ſui timentibus*
Iſte verè proſpicit.
Hic ſui nitentibus
Vnius Clementia,
Cuncta clemens ſufficit.

12 *Huic tuo, Sion, Deo*
Grata laudes concine,
Qui tuos intus beat,
13 *Teq́, firmat ferreis*
Obſeratam peſſulis.

14 *Pace qui te ad vltimos*
Vſque ditat limites:
Vberante qui tuos
Lectioris tritici
Meſſe paſcit incolas.

15 *Cuius vt vox inſonans*
Ore miſſa prodijt,
Orbis omnes integrì
Mox obit plagas celer,
Obſequutus omnibus.

16 *Quo iubente, velleris*
Instar, arua cœlitus
Depluens nix candidat,
Et pruina cen cinis
Lapsa terris spargitur.

17 *Qui suum vibrans gelu,*
Dura mox in fragmina,
Ipsa stipat flumina.
Cuius acrem frigoris
Quis rigorem perferat?

18 *Quo iubente nubilus*
Mox vt Auster prosilit,
Colliquata, vinculis
Dissolutis diffluunt
Quæ rigebant flumina.

19 *Qui suis Isacidis*
Ipse leges tradidit:
Israeli qui suo
Vtriusque cœlitus
Iura vitæ sancijt.

20 *Nulla gens prioribus*
Seculis hanc gratiam
A Deo parem tulit,
Eius vt sic regulas
Atque scita nosceret,

Pſalmus centeſimus quadrageſimus octauus, εὐχαριστικός.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi quadrageſimi octaui.

Huius magnificentiſſimi & cœleſti plane ardore ſcripti Pſalmi ſcopus ac finis eſt, quum tot extent locupletiſſimi teſtes diuinæ ſapientiæ, potentiæ, atque bonitatis, quot ſunt res conditæ: omnes illas ſummas, medias, ac infimas ad Dei laudes communi concentu celebrandas compellare. Quamuis enim illarum plæræque non intelligentiæ modò ſed etiam ſenſus ſint expertes, omnes tamen ſuo quæque modo dicuntur Dei gloriam etiam tacentes perſonare: quanuis homines rationis compotes, & quorum cauſâ ſunt conditæ, propriè oporteat tum ſuo tum illorum etiam nomine illo munere defungi & quidem pios in primis beneficium illud incomparabile aſſiduè prædicare qno ſût in filij Dei ſocietatem aſciti.

Eiuſdem Pſalmi centeſimi quadrageſimi octaui.

PARAPHRASIS.	INTERPRETATIO.
1 *Ela, è cælis ipſis, & quidē ſupremis, perſonent Iehouæ laudes*	1 LAudate Iehouam è cælis laudate eum in excelſis
2 *Praite cæteris in hac eius collaudatione vos omnes beati ſpiritus, maieſtatis ipſius apparitores, innumerabilibus turmis diſtributi.*	2 Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes excercitus eius.
3 *Tu ſol, tu luna, vos omnes in cælo fulgentes ſtellæ laudem opificis prædicate.*	3 Laudate eum Sol & luna: laudate eum omnes ſtellæ lucidæ.
4 *Laudate illum ipſi cælorum orbes ſupremi, & ſuperius ſuſpenſa aquarum fornices.*	4 Laudate eum cæli cælorum, & aquæ ſuper-cæleſtes.
5 *Celebrent, inquam, hæc omnia Iehouam, ſiquidē vnius illius*	5 Laudent nomen Iehouæ: quia ipſe mandauit & cre-

mandato exiſtere cœperunt:

6 Sunt q̃, eiuſdem nutu eo in quo perſtant loco & ordine firmiſſimè collocata, certiſque ſpatiis ac metu diſtributa, quas prætergredi ne ſi velint quidē vllo modo poſſint.

7 Reſpondeant autem viciſſim cœleſtibus terreſtria, & in ipſis etiam ſubterraneis cauis ſerpentes beſtiæ, ipſaq̃ adeò aquarum voragines.

8 Vos quoque fulminum flāma, grandines, nives, vapores ſurſum elati, turbines, cæteraq̃ tempeſtates, quæ omnia ipſius mandato & exiſtitis & mouemini.

9 Montes & colles omnes, arbores fructibus onuſtæ: cedri admirabili altitudine ſurſum elatæ,

10 Vos itidem feræ: vos domeſticæ animantia: quicquid humi repit: quicquid per aerem volitat.

11 Et quidem in primis tum Reges tum populi regibus ſubditi, principes & terrarum gubernatores,

12 Iuuenes ſimul & ſenes, puellæ pariter & pueri,

13 Laudate nomē Iehoua. Summam enim hic vnus laudē meretur, vtpote qui tum ipſa terra ſit profundior, tum cœlis ipſis ſublimior.

14 Sed hæ ſunt in primis partes populi quem Deus inenarrabili fauore ſibi delectū ac cōſecra-

ata ſunt.

6. Et ſtatuit ea in perpetuum: in ſecundum poſuit ſtatutum, quod non præteribit.

7 Laudate Iehouam ex terra dracones, & omnes abyſſi.

8 Ignis & grando, nix & vapor: ſpiritus tempeſtatis faciens verbum eius.

9 Montes & omnes colles: arbores fructiferæ, & omnes cedri.

10 Feræ & omnia pecora: reptilia & aues volucres.

11 Reges terræ & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.

12 Iuuenes atque etiam virgines: ſenes cum pueris:

13 Laudent nomen Iehouæ, quia excelſum eſt nomen eius ſolius: laus eius ſupra terram & cælos.

14 Et exaltauit cornu populi ſui: laus *conuenit* omnibus beneficiariis eius,

tum præ cæterù in ſummum dignitatis faſtigium extulit. Itaque Deo beneficiarios propriè decet laudes ipſius celebrare, Iſraelis videlicet ſobolem quem populum ſibi familiarem ac domeſticum Deus aſciuit.

filij Iſrael populo ſuo, qui propinquus eſt ei.

Idem Pſalmus centeſimus quadrageſimus octauus. monocolos, carmine Choriambico tetrametro, vt Pſalmus triceſimus octauus.

1 *FElix ſyderea turba ſedens domo,*
AEternis Dominum carminibus cane:
Vos, inquam, ætherei luminis incolæ,
AEternis Dominum tollite laudibus.
2 *Felix turba Patris iuſſa renuntians,*
AEternis Dominum carminibus cane:
Et quotcunqne Deum cingitis agmina,
AEternis Dominum tollite laudibus.
3 *Solis fulgida fax, ætheris ô decus,*
Mundi luna decus totius alterum,
Et quæcunque polo ſydera curritis
AEternis tollite laudibus.
4 *Cælorum ignea vis perpetuò rotans,*
AEternis Dominum carminibus cane:
Suſpenſum aëreis fornicibus mare
AEternis Dominum tollite laudibus.
5 *Namq; hic eſt opifex unicus omnium,*
Nutu cuncta creans, cuncta regens ſuo.
6 *Et quotcunque ſemel conſtituit, potens*
Fixum perpetuo limite continet.

7 *Tellus hunc pariter quamlibet infima,*
Et quæ trajcitis cærula bellua,
Ipsiq; Oceani vos quoque gurgites
AEternis Dominum tollite laudibus.
8 *Grando fulguribus, fulgura grandine*
Permixta, & gelida cum glacie nives,
Tempestasq; Dei vocibus excita
AEternis Dominum tollite laudibus.
9 *Montes aerijs nubibus æmuli,*
Colles pampineis frondibus obsiti,
Incuruæ omnigenis fructibus arbores,
Cedri nubifero vertice nobiles:
10 *Errantes pecudum cornigeri greges,*
Dispersæ nemorum per latebras feræ,
Terrarum colubri sepositi cauis,
Et quotquot volucres aera scinditis:
11 *Terrarum domini denique principes,*
Et plebs imperijs subdita principum,
Cuncti, inquam, proceres, iura quibus datum
Sublimi è solio reddere gentibus.
12 *Et vos ô Pueri, vos quoque virgines,*
Et lanugo quibus prima notat genas,
Vitæ & qui spatium curritis vltimum,
13 *AEternis Dominum tollite laudibus.*
Hic est cuncta procul qui supereminens,
Cœlum quâque patet, quâque patet solum,
Complet cuncta sui nomine numinis,
14 *Et fixuo Isacidas robore roborat.*
Hunc ergo Isaciæ, sacrum hominum genus,
Et chari superûm præ reliquis patri,
Aeternis hilares dicite canibus,
Aeternis alacres tollite laudibus.

Psalmus

Psalmus centesimus quadragesimus nonus, εὐχαριστικός.

Argumentum & vsus Psalmi centesimi quadragesimi noni.

Planior & ad historiam sacram accōmodatior videtur esse huius Psalmi interpretatio, si ad initia regni Dauidici potius quàm ad captiuitatis Babylonicæ tempora postrema, vel liberationem illam proximè cōsequuta, referatur. Itaque meo iudicio populus ex tot calamitatibus quas Iudicum & ipsius Saulis temporibus sustinuerat tunc primùm respirans, tum cultu Dei instaurato, tum politia optimè constituta, docetur hoc psalmo Deo gratias agere, nec tantis Dei beneficiis abuti. Qua in re Dauid ipse illis præit, communem cum illis Regem ac Dominum Iehouam agnoscens. Quod autem de musicis instrumentis hic dicitur fuit pars legalis cultus aboliti: Musices tamen & vocalis & instrumentalis ad permouendos animos vim esse maximam, nullus, nisi dignus qui ne inter bestias quidem censeatur, inficiari potest. Sed tamen eiusmodi symphoniam aut instrumentalem Musicam in Ecclesia Christiana quàm non expedierit institui (quòd etiam sero factum fuit) docent plus satis & veteris Ecclesiæ prioris exemplum, & horribiles mox abusus inde consequuti. Simul autem adjicitur prophetia quam euentus ipse confirmauit tot victoriis Dauidi concessis, & regni finibus ad Euphratem vsque propagatis, tunc demum denique impleta promissione Abrahæ facta, quod ad typum quidem attinet. Nam hæc fuisse regni Christi & spiritualium ipsius victoriarū, ac tandem etiam horribilis illius iudicii figuras, quo in rebelles omnes subinde animaduertit, & quod plenissimè tandem vltimo die exercebit, ambigi non potest.

Eiusdem Psalmi.

PARAPHRASIS.

1 *AGite, nouum & minimè vulgare carmen totum tam periculi quàm mortibus desuncti, nunc Iehoua concinite omnes ipsius beneficiarij.*

INTERPRETATIO.

1 CAntate Iehouæ canticum nouum: laus eius audiatur in cœtu beneficiaciorum eius.

2 *Tu videlicet, Israel, oblecta teipsum celebrandis illius laudibus cuius nouum quoddam es opus: eines Sionis exultate Iehoua Rege & gubernatore vestro freti, quod nulli alia sub cælo gens contigit.*

2 Lætetur Israel de factore suo: filij Sion exultent de rege suo.

3 *Laudes eius longè latéq; non priuatim dũtaxat, sed publicè quoq;, nec voce tãtum verùm etiam & tibiis, & tympanis, & omni musices organica genere, celebrate.*

3 Laudét nomen eius choris tympanis & cytharis psallant ei.

4 *Nempe quòd Iehoua pro infinita benignitate sua visum sit populum hunc sibi cõsecrare, & (vt res ipsa ostendit) quum perdita iam videretur, conspicuum illum maximaq; dignitate insignem reddere.*

4 Quia delectatur Iehoua populo suo: glorificat afflictos in salutem.

5 *Itaq; & iam exultant & deinceps exultabũt glorioſi quos tot beneficijs affecit: & summa quiete perfruẽtes triumphum canent,*

5 Exultabunt beneficiarij *eius* gloriosè: iubilabunt in cubilibus suis.

6 *Clamoribus quidem Iehouam efferentes, manibus verò gladijs ancipitibus armatis,*

6 Exaltationes Dei *erunt* in gutture eorum, & gladij erunt ancipites in manu eorum.

7 *Quibus de prophanis gentibus pœnas sumant, & populorum sanitiam vlciscantur:*

7 Ad faciendam vindictam in gentibus: castigationes in populis.

8 *Atq; adeò reges illorũ ac proceres catenis & ferreis compedibus vinctos trahant,*

8 Ad vinciendos reges eorum catenis, & proceres eorũ compedibus ferreis.

9 *Præscriptum videlicet dictumq; à Iehoua iudicium executuri. Et hæc quidem est omnium Dei beneficiatorum dignitas & amplitudo.*

9 Ad exequendum in illis iudicium scriptum: decor hic est omnibus beneficiariis eius.

Idem

Idem Psalmus centesimus quadragesimus nonus, monocolos, carmine Iambico dimetro acatalectico, vt psalmus decimus tertius.

1 *SAcer piorum agedum chore,*
Carmen nouum, nouum melos,
Summo canamus numini.

2 *Auctore tu tuo Israel,*
Tu Rege Sion hilaris tuo,
Testare voce gaudia.

3 *Hunc personate fistulæ,*
Hunc concrepate tympana,
Hunc psalle suauis barbitos.

4 *Namque vnus hic verè suos*
Ex omnibus periculis
Beare suetus eruos.

5 *Tunc illa sanctorum cohors*
Feris domiq; iubilans,
Noctes dies q; gestiet.

6 *Deique toto gutture,*
Vtrinque acutis ensibus
Accincta, laudes concinet

7 *Vltura quas ferocium*
Olim iugo sub genium
Indignitates pertulit.

8 *Ducturáque ipſos hoſtium*
Cum regibus duces ſuis,
Vinculis annexos ferreis.

9 *Tandémque, iura ceu iubens*
Perſcripta, pœnis peſtimos
Coercitura debitis.

Hoc eſt, pÿ, veſtrum decus,
Huic ergo laudes dicite,
Hunc perſonate cantibus,

Pſalmus centeſimus quinquageſimus

εὐχαριστικός.

Argumentum & vſus Pſalmi centeſimi quinquageſimi.

Hoc Pſalmo mirifici ardoris pleno, probabile eſt ſanctos templi cantores mutuò ſeſe incitaſſe. Quàm nō expediat autem iſtius ſymphoniæ vſum in ſacris cœtibus ipſis reiiceri, qui portio fuit legalis ſiue leuitici cultus, & vnde hic demum fructus eſt patrum memoria conſequutus, vt prædicatio verbi in cantiones ne ab ipſis quidem cantoribus intellectas, ac tandem pſalmodia illa grauis & ſimplex qua haud ſatis ſcio an vnquam caruerit Eccleſia, in turpiſſimum lenocinium eſt cōmutata, ſuperiore pſalmo diximus.

Eiuſdem Pſalmi

PARAPHRASIS.

1 *Laudate Deum ſanctiſſimum in illo ſublimi ſacrario conſidentem: laudate, inquam, eum ex illo firmiſſimo palatio ſuo infinitæ ſuæ potentiæ robur teſtificantem.*

2 *Sit vobis illius celebrandi ar-*

INTERPRETATIO.

1 Laudate Deum in ſanctitate ipſius: laudate eum in firmamēto roboris eius,

2 Laudate eum clangore buccina-

gumentum tanta illa ipſius vis tot miriſicis rebus geſtis declarata.

3 *Clangant illius laudes tuba, perſonent eius gloriam nablia & cithara.*

4 *Intonent illum tympana, ſibilent illi fiſtula, concinant tũ percuſſa digitis fides, tum organa ſollibus inflata.*

5 *Tinniant illi ſonora cymbala, triumphum* inquam, *illi canant cymbala.*

6 *Denique quicquid ſpirat, Dei laudes concelebret.*

buccinarum, laudate eum nabliis & cytharis.

4 Laudate eum tympanis & fiſtulis: laudate eum fidibus & organis.

5 Laudate eum cymbalis ſonoris, laudate eum cymbalis triumphalibus.

6 Omnis halitus, laudet Deum.

Idem Pſalmus centeſimus quinquageſimus, monocolos, carmine Iambico dimetro acatalectico, vt Pſalmus decimus tertius.

1 *LAudate numen fulgidas*
Cœli quod arces obtinet,
Laudate numen dextera
Cœlos potente ſuſtinens.
2 *Laudate numen præpotens*
Rebúſque geſtis inclytum.
Laudate numen bellicæ
3 *Stridore rauco buccinæ.*
Laudate numen nablijs,
Laudate numen barbitis,
4 *Laudate numen tympanis.*
Laudate numen fiſtulis,
Laudate numen tibijs,

5 *Laudate eum in cymbalis;*
Laudate illum in nabulis,
Lætisq; lati vocibus.
6 *Quicquid movetur denique*
Mundiq; spiras ambitu,
Dei celebret gloriam,
Summiq; laudes numinis.

Finis Psalmorum.